UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th 2462

K
11
7

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITA
P. BALTHASSARIS ALVAREZ,
SOCIETATIS IESV RELIGIOSI,

MVLTIS AC PRAECLARIS DOCVmentis referta, Superioribus, Tyronum Magistris, & Operarijs in salutem proximorum incumbentibus apprimè vtilis.

PER

P. LVDOVICVM DE PONTE VALLISOletanum eiusdem Societatis Hispanicè edita, & pulchris Digressionibus ad eadem documenta accommodatis exornata.

P. MELCHIOR TREVINNIVS eiusdem Societatis Latinè reddidit.

Liber Collegij Soc: Jesu Paderb: 1683

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Kinchium, sub Monocerote.
ANNO M. DC. XVI.
Permissu Superiorum & cum grat. Priuil. S. C. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ADMODVM R. PATRI IN CHRISTO, P. NOSTRO MVTIO VITELLESCO SOCIETATIS IESV *Præposito Generali, &c.*

ALIQVOT virorum Societatis nostræ res gestæ P. adm. R. in lucem prodierunt, tum seorsim, tum simul in nouissima Societatis IESV historia, à P. Nicolao Orlandino edita, in quibus præclara virtutum exempla, spiritualia documenta, & monita ob oculos nobis proposita sunt, quæ ad Instituti nostri perfectionem sectandam nos impellunt: sed nescio, an vlla sit tot virtutibus, exemplis, varijsque monitis, ac spiritualis vitæ documentis referta, atque hæc P. Balthassaris Aluarez: cui cum Societatis Institutum maximè cordi esset, omnia sua eò conferebat; vt, quod munere diuino acceperat, (erat autem omnino eximium magnique momenti) ad nostri ordinis hominum commoda, per quos proxi-

morum bonum & ſalus promoueretur, totum dirigeret. Nullus eſt in Societate gradus, ſiue Superioris, ſiue Operariorum ſpiritualium, & Coadiutorum temporalium, qui non inueniet in hac hiſtoria, magna ad ſuum quiſque munus adiumenta: præcipuè cùm P. Ludouicus de Ponte, eiuſdem aliquando filius, & in tertij anni Probatione diſcipulus, qui hiſtoriam conſcripſit, multa addiderit, aliorum eiuſdem in ſpiritu diſcipulorum, aut ſubditorum exempla virtutum; & digreſsiones, quæ ad eiuſdem P. Balthaſſaris exempla & documenta illuſtranda plurimum conferunt. Eam hiſtoriam ex Hiſpanico in latinum ſermonem cum Superiorum approbatione verti, vt pluribus eſſet vſui. Nam huiuſmodi exempla recentia, tum antiquorum Patrum perfectionis ſtudium reddunt credibilius; tum magnam ſemper vim habent ad legentium animos permouendos; cùm videant quaſi præſentes viros Inſtituti noſtri adeò ſtudioſos: nam vt præſentis alicuius virtus, quem oculis ipſis cernimus, magnam vim habet ad viam perfectionis nobis faciliorem reddendam: ita etiam abſentium geſta magnæ perfectionis plurimum iuuant, vt naturæ noſtræ imbecillitas, ab eadem aggredienda non ſolum non terreatur; ſed magnos ſpiritus & animos ſumat ad eandem amplectendam, & in ea progreſſus magnos faciendos. Hic finis hiſtoriam

con-

conſcribentis fuit, & meus. Faxit Deus, vt tantum Lectores fructum hauriant, vt & ipſorum exempla præſentes quibuſcum verſabuntur, permouere; & ſucceſſores ædificare poſsint: plura, quę in hunc finem adferri poſſent, ipſe R. P. Ludouicus de Ponte in ſua ad Lectorem præfatione fusè differit: hic mentem meam tantum V. P. inſinuare volui, vt: & hoc nomine, quod P. V. interpretatio hæc dicata ſit, aliquid momenti hiſtoriæ, eiusque lectioni adferat. Deus P. V. Diutiſsimè Societati noſtræ, totique Eccleſiæ ſanctæ incolumem ſeruet, ſanctiſsimisque donis locupletet, ad feliciſsimam totius huius corporis (quod haud ita pridem ſingulari quodam, & quaſi diuino omnium, qui electioni legitimè aderant conſenſu, atque omnium noſtrum plauſu & congratulatione regendum à Deo ſuſcepit) gubernationem, profectum, amplificationem, ornamentum. Cuius paterno amori & ſanctiſsimis precibus humiliter ac reuerenter me commendo.

Adm. R. P. V.[re]

minimus in Chriſto ſeruus

Melchior Treuinnius.

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV.

CVM ex mandato Sacræ Cæsar. Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus; seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros vllos à Societatis Nostræ Patribus hactenùs editos aut imposterum edendos, intra S. Rom. Imperij Regnorum & Dominiorum suæ Cæs. Maiest. hereditariorum fines, simili, aliove charactere aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alioi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere clàm seu palàm citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat, vel præsumat: Ego HENRICVS SCHERENVS Societatis IESV per Rheni Prouinciam Prouincialis concedo IOANNI KINCKHIO facultatem excudendi Vitam R. P. Balthassaris Aluarez conscriptam à R. P. Ludouico de Ponte Vallis-Oletano è Societate IESV, à R. P. Melchiore Treuinnio latinè conuersam. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & Sigillo nostro munitum dare voluimus Colon. 21. Februarij, Anno M. DC. XV.

HENRICVS SCHERENVS.

AVTHOR

AVTHOR PIO LECTORI.

POSTQVAM *Ecclesiasticus populum suum Israel, & in eo homines vniuersos, diuinæ legis præcepta, multa consilia, magnæque perfectionis documenta docuisset, voluit statim ante oculos eis ponere heroica Maiorum suorum exempla: qui, quòd eadem præcepta, & consilia exactissimè seruassent, digni facti essent coram Deo & hominibus laude & gloria æterna; vt sic, qui librum ipsum legerent, quem ipse scribebat, ad eorum imitationem exstimularentur, & accenderentur: vt eadem via gloriam & honorem consequerentur, quem illi fuerant consecuti. Eadem quoque operâ muneri suo & obligationi satisfecit, quâ tenebatur renouare, ac perpetuam reddere eiusmodi virorum memoriam, qui egregijs suis facinoribus genus & nationem suam illustrarant, laudans nominatim, & ampliùs extollens Magistros suos, à quibus ipse, quam docebat alios, sapientiam didicerat: vt sic bonum, quod ab eis acceperat, redderet, ac retribueret.* a Laudemus, *inquit*, viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute & prudentia sua

a *Eccli.* 44. 1.

tia ſua præditi, nunciantes in prophetis dignitatem prophetarum,& imperantes in preſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſsima verba. In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina Scripturarum. Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes: pacificantes in domibus ſuis. Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. *Hæc Eccleſiaſticus, cuius conſilium, ab ipſo Deo ſicut reliqua, quæ in illo libro ſcripſit, inſpiratum cupio in hoc meo ſequi. Cum enim libros aliquos ediderim de* Oratione & Meditatione; *ac de* Perfectione Chriſtiana in omni vitæ genere, *quibus ad eam conſequendam lectorem quaſi manuducerem, optabam etiam ſcribere heroica noſtrorum Anteceſſorum Exempla, qui nos eam docuerunt. Non dico, valde antiquorum: quia, qui illis fuerunt viciniores ab hoc labore nos liberarunt; ſed eorum, quos ipſemet noui, & cum quibus verſatus ſum, quorum ſanctitate ac doctrina ſum vſus, & quibus Deus Dominus noſter virtutes, ac veritates ſculpſit, quas in libris meis propoſui & expoſui. Horum vnus fuit Pater Balthaſſar Aluarez, inſignis noſtræ Societatis* IESV *Religioſus, verè Pater & Magiſter in ſpiritu, non meus tantùm, ſed omnium ferè Seniorum qui in Prouincia hac Caſtellæ verſantur; & plurimorum Eccleſiaſticorum, ac Sæcularium huius*

regni:

regni: vir in quo Deus magnam suam benignitatem ostendit, cælestibus suis donis eum ditans, per quem magnam inter fideles gloriam obtinuit: vir verè in virtute magnus, insigni prudentia præditus, in aperiendis scientiæ mysticæ arcanis; in gubernandis, & promouendis animabus; in colloquijs de Deo sanctissimis, quibus audientium corda penetrabat, & accendebat: vir valde diues in diuitijs cælestibus: cuius studium continuum fuit in virtutis pulchritudine, & in familiaritate cum Deo; conuersans inter suos cum ingenti pace, quam inter omnes promouebat: quamobrem magnum obtinuit sanctitatis nomen, tam apud homines Societatis nostræ, quàm apud alios, quibuscum versabatur, & in diebus suis *ab omnibus* fuit in laudibus habitus. *Mihi autem eius filio, ac discipulo hæc sors obtigit, vt insignes eius virtutes scriberem, quibus omnes ad earum imitationem animemur. Nam (vt ait sanctus Gregorius) vita Iustorum est viua quædam lectio virtutum, ac mediorum ad eas consequendas; est splendidissimum quoddam speculum in quo nostros defectus & imperfectiones expressas cernimus, vt eas deponamus, & nos ipsos purificemus: est viuum exemplar perfectionis Euangelicæ, omniumque graduum, per quos ad eandem liceat conscendere: est perfectum memoriale mirabilium Dei, qui est admirabilis in sanctis suis: dum eos perducit ad culmen sanctitatis; nunc per vias extraordinarias & prodigiosas, admirandas potiùs, quàm imitandas, nunc per ordi-* Lib. 24. moral. c.

nariam & tritam, modo tamen quodam heroico & perfectissimo; ac propterea & admirabili, & imitabili: hac igitur via insignem hunc patrem deduxit: in cuius vita plurima inuenient, quæ imitentur, quicunque ad perfectionem contendunt, donumque obtinere desiderant, orationis & familiaritatis cum Deo Domino nostro; scireque rectè, magnoque cum fructu cum proximis agere: & hoc præcipuè nomine eius vita est viua quædam eius imago, quam illi Religiosi amplecti debent, qui actiuam cum contemplatiua ex suo Instituto profitentur, attendentes scilicet exercitijs orationis & contemplationis, & simul occupationibus & munijs animas iuuandi. & quoniam talis est professio Religiosorum Societatis IESV, *ideo illis nominatim exemplar hoc ob oculos pono: vt ad eam perfectionem contendant, qua exactè pleneque suum seruent Institutum. Et vniuersim qui valde spirituales ac perfecti esse desiderant in vtraque vita, si scire velint, qua via voti compotes euadere possint, conijciant oculos in eos gradus, per quos sanctum hunc virum Deus deduxit, & per eosdem ipsi ambulare studeant, quantum ipsis concessum fuerit à Deo: à cuius gratia & misericordia omnis noster profectus dependet: modò eius diuinis inspirationibus obediamus; industriaque nostra ac diligentia illis cooperemur.* PRIMVM *enim dedit illi Deus donum* ORATIONIS, *per ordinariam ratiocinationum, ac meditationum viam, nominatim circa vitam, passionem ac mortem Christi Redemptoris*

ptoris nostri. Sed quia donum hoc, nudum ac solum esse non potest, SECVNDVM *addidit,* SPIRITVM *scilicet* POENITENTIAE *ac* MORTIFICATIONIS *in rebus omnibus. Et vt altiores in vtroque dono radices mitteret, adiecit* TERTIVM, *exactissimam scilicet trium* VOTORVM *custodiam,* CASTITATIS, PAVPERTATIS, *&* OBEDIENTIAE; *cæterorumque consiliorum perfectionis quæ in suæ Religionis regulis sunt expressa. Ad id autem multum Deus illum iuuit pio sanctissimi Sacramenti vsu & frequentiâ, faciens eum Sacerdotem, vt absque impedimento frequentiùs posset communionem suscipere. Et quoniam Patronis indigemus, qui sua intercessione nos iuuent ad cœptum adeò excelsum & arduum obtinendum: insignem ei indidit pietatem ac deuotionem ad sacratissimam Virginem matrem suam, ad Angelos, & Sanctos multos Patronos nostros. Addidit etiam illi feruentem salutis animarum* ZELVM, *magnasque dotes, ac talenta ad eas iuuandas; promouens eum ad varia munia, quibus copiosam ex eis messem colligeret. Iniunxit etiam illi gubernationis munus, vt subditos suos magis adhuc iuuaret, pasceretque oues Christi, ad boni sui Pastoris imitationem; dans illi donum confidentiæ ac fiduciæ de infinita ipsius bonitate, ac suauissima prouidentia, ad res magnas seruitij eius aggrediendas; in quibus fœlices illi dedit exitus: quem tamen simul fecit, profundæ humilitatis*

Ioan. 21.

tatis fundamenta iacere, ne ex fœlicibus illis euentis euanesceret.

SED *quoniam humilitas, patientia, & reliquæ virtutes nec perfectæ sunt nec firmæ nisi contemptûs, morborum, & aliarum calamitatum aduersitate probentur, voluit Deus horum illum participem facere: vt eius virtutes magis eminerent, & perficerentur. Quem iam benè dolatum ac mortificatum ad altiorem Orationis & Contemplationis gradum euexit: vt maiorem quietem sentiens, ac refrigerium, munia sua maiori cum fructu perficeret. Denique supremum amoris Dei culmen perfectamque cum diuina voluntate in rebus omnibus prosperis & aduersis conformitatem ei communicauit. Cumque iam fructus esset maturus illum decerpsit, vt suæ cælesti mensæ adhiberet: deditque illi fœlicem mortem in medio feruentis sui cursus & stadij. Nec tamen existimandum est, sanctum hunc virum per hos gradus ordine, quo sunt positi, ab vno ad alterum ascendisse: nam huiusmodi Electorum vita, actionis & contemplationis, consolationum & desolationum, officiorum sublimiorum & inferiorum, prosperorum & aduersorum euentuum varietate ac vicissitudine permixta esse solet, his alijs semel & sæpius inuicem succedentibus. Hæc eius vitæ disponendæ fuit ratio; eritque huius libri in eius factis referendis: vt sic historia ipsa prælegatur, vt simul appareat ratio & dispositio inserendi virtutes, & ad earum culmen perueniendi. Eadem etiam causa & ratione dum heroica virtu-*

tum

tum eius exercitia indicabimus, simul referemus altissima sensa, sententiasque à Domino ipsi in eorum singulis communicatas.

QVONIAM verò certitudo veritatis eorum, quæ adferemus, veluti fundamentum quoddam est, voluptatis & vtilitatis, quæ ex ipsa lectione oriuntur: nihil hic referam, quod non verum, ac certum habeam. Præter enim ea, quæ ipsemet vidi, & in viro hoc Sancto obseruaui: reliqua innotuerunt ex relatione, ac testimonio virorum fide dignissimorum nostræ Societatis, aut aliorum etiam sæcularium: qui ea in eodem obseruarunt, & ipsis cum eodem agentibus euenerunt, ac postea retulerunt; aut excerpta fuerunt ex paruo quodam libello apud ipsum reperto, in quo ille notabat ea sensa, quæ ipsi Deus in oratione communicabat: quemadmodum Pater noster S. IGNATIVS, eiusque socius ex primis Pater Petrus Faber magni spiritûs vir, multique alij viri sancti fecerunt: ne veritates, & fauores Dei erga se obliuioni traderent; sed eadem relegentes recentis profectûs occasionem caperent. Alia ipsemet occultè aperuit ijs, quibuscum agebat: imò interdum etiam publice in exhortationibus insinuabat, zelo charitatis permotus, ad pusillanimes ac debiles exstimulandos, & ob sanctos alios fines: sicut constat S. Iob. virtutes suas, & sanctum Apostolum multas ex suis reuelationibus sanctè retulisse, vt fideles excitarent, & in fide confirmarent. MVLTA ex ijs quæ adferentur, collegit primùm Pater Franciscus Salcedius eiusdem Patris

ex so-

ex sorore nepos, qui eandem Societatem est ingressus paulò post obitum sui auunculi. cuius vestigia tanto feruore ac spiritu sequi cœpit, tam in propria perfectione, quàm in zelo adiuuandi animas: vt speraretur insignis vir futurus, nisi in ætatis suæ flore, cùm esset Collegij nostri Numantini Rector, morte sublatus fuisset: qui tamen prius fuerat etiam Abulensis Collegij Rector: (à quo etiam inceperat sanctus ipse Pater Balthassar Aluarez) & tunc omnem diligentiam, quam potuit adhibuit, vt maiorem huius historiæ partem colligeret. Et hic alter est titulus, qui me ad eam perficiendam impulit: quia idem pater, meus fuit discipulus tam in literis, cùm per triennium Philosophiam in Collegio nostro Legionensi docerem; quàm in Spiritu, cùm egi Tyronum Societatis nostræ Magistrum Villa-gartiæ. Qui cum tanquam discipulus vitam & acta collegerit sancti mei Magistri; ita decet, vt ego tanquam eius Magister, perficiam opus boni mei discipuli: cuius frater Doctor Didacus Lopez Salcedius, qui priùs fuit insignis Collegij sanctæ Crucis Vallis-Oletani Collegialis, & postea Regij Ordinum Consilij, & nunc est supremi Consilij Castilliæ: hic, inquam, tertium addidit titulum, valde instanter apud me agens, vt hanc historiam perficerem, ne heroica adeò talis auunculi gesta obliuioni traderentur, nec pij fratris sui prædicti labores perirent: quod ipsum etiam peregit apud Patrem nostrum Generalem Claudium Aquauiua, cuius in-

ius instinctu & voluntate (vt simul etiam multorum nostræ Societatis hominum desiderio satisfacerem) hanc historiam scribo ad gloriam Dei Domini nostri, & Catholicæ Ecclesiæ ædificationem; & nominatim minimè nostræ Societatis IESV, *qui redemptionis suæ diuitias in hoc suo fideli socio manifestauit fidelibus, quibus par est eum esse notum, magniqúe fieri in terra, quemadmodum mihi persuadeo ab omnibus Angelis cæterisque sanctis fieri in cælo. Et quamuis in hac historia ordinem sequemur annorum, ac locorum, in quibus sanctus hic vir versatus fuit, referentes res insigniores, quæ tunc illi euenerunt: eisdem tamen similes alias inseremus, licèt alio loco & tempore euenerint: vt omnes hac ratione facilius vtiliusque intelligantur. Et quoniam arbor bona ex bonis fructibus cognoscitur; sapiensque ac sanctus Magister ex discipulis sapientibus ac sanctis: & ipse Pater Balthassar multos huiusmodi habuit æterna memoria dignos, faciemus quoque in hac historia mentionem insigniorum tam sæcularium, quàm Religiosorum Societatis nostræ & aliarum Religionum, non solum vt ex eis agnoscatur eorum Magistri sanctitas, sed vt perpetua sit memoria insignium adeò virorum, quorum Heroica exempla id in lectoribus efficiant, quod in ijs, qui eos viderunt, effecerunt. Eadem quoque opera desiderio & obligationi meæ satisfaciam, afficiendo, qua ratione licebit, honore eos, quos noui, & cum quibus fa-*

bus familiarißimè egi; & de quibus ſcio, quod omnibus ſuis viribus honorauerint in hac mortali vita Deum Dominum noſtrum, ac propterea id mihi certò perſuadeo, quòd diuina maieſtas valde eos honoret in æterna.

* *
*

BAL-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BALTHASSARIS ALVAREZ RELIGIOSI SOCIETATIS IESV VITA.

CAPVT I.

ORTVS ET EDVCATIO P. Balthassaris: & eius in Societatem IESV Ingressus, Tyrocinium, & studia literaria.

NATVS est P. Balthassar Aluarez in Oppido Ceruera Diœcesis Calagurritanæ, anno à Christo nato millesimo quingentesimo trigesimo tertio parentibus nobilibus: Patri nomen fuit Antonius Aluarez; matri Catharina Manrique: ab ipsa infantia ita in bonum propensus, vt in ea ætatula magna dederit eius pietatis ac deuotionis indicia, quam adultus erat habiturus. Ordinariè enim, & libenter occupabatur in conficiendis crucibus, erigendis altaribus, & instituendis supplicationibus. Educarunt illum parentes piè valde, & Christianè: curaruntque vt in ipso Oppido prima literarum rudimenta, & latinam linguam addisce-

ret : cumque in ijs humanioribus benè profecisset, miserunt ad Complutensem Academiam : vbi post Philosophiæ curriculum emensum Magister creatus est : suaque studia prosequens, duos annos in Scholastica Theologia cum magno suo profectu posuit. Hoc ipso tempore DEVS hominem ad virtutem alliciebat ac disponebat ad id, in quo eius opera, & obsequio vti volebat: &, cùm ad deuotionem ac recollectionem propenderet, tales ei prospexit socios, qui & ipsi eidem recollectioni studentes, eum iuuarent. nam, vt Sapiens dixit: [a] *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit* : ac similiter qui recollectis ac deuotis coniungitur, similis erit illis: quòd multò magis experiuntur adolescentes, quibus ob teneram ætatem, & verba, & mores amicorum, cum quibus versantur, facilè adhærescunt; &, si ipsi sunt aliàs ad bonum propensi, alijsque bonis coniungantur, multum proficiunt in suis bonis propensionibus. Quare pius hic noster Adolescens ab Anno præcipuè millesimo quingentesimo quinquagesimo primo ex familiaritate cum quodam seruo DEI cœpit assuescere, vt bis in die, mane scilicet, statim atq; surgeret; & vesperi, cùm esset incumbendum, conscientiam suam lustraret, & aliqua meditaretur, quæ Deus illi delibanda offerret. cumque hæc eum afficerent ac delectarent, adiecit postea alia tempora interdiu, in quibus oraret: qua ratione, & delectatio, & profectus augebatur; & idem eueniebat ex lectione bonorum librorum, & pijs sanctisque conuersationibus.

a Prou. 13. 20.

PER

PER hæc exercitia dedit ei Dominus quatuor annis, priusquam Societatem ingrederetur, feruens quoddam & inflammatum desiderium deserendi mundum, & CHRISTI Domini nostri consilia sequendi: nam respiciens, quàm misera (vt ipse aiebat) vita sua præterita fuisset; & quàm ingratus ipse erga eum, qui tot beneficia in ipsum contulisset: iudicabat ad seriò DEO seruiendum, & animæ suæ saluti consulendum expedire sibi religiosum statum amplecti, in quo id maiori cum securitate, & perfectione obtinetur. Sed bonas hasce cogitationes animique desideria cogitatio quædam continuè oppugnabat ac remittebat: quod scilicet parentes multa cum eo exponerent, vt studijs vacaret: non decere autem, eos in senectute deserere, præcipuè cùm in litteris ad ipsum datis iuberent, eum recipere curam duarum sororum paruularum, quæ post ipsorum mortem non alium patrem nisi ipsum haberent. Cumque ipse parentes suos valdè reuereretur: hæ cogitationes ac rationes magnam in eius corde vim habebant, hominemque reddebant valde perplexum. Nec mirum: siquidem (vt sanctus Gregorius perpendit) b *nerui Behemot perplexi* appellantur: nam cùm Sathanas aduertit, vocari aliquem à DEO ad religionem, aggreditur illum, conaturque rationibus, pietatis speciem præferentibus, ita illum offuscare, & irretire: vt non sciat, cui debeat Spiritui obedire; vocanti ne, an retrahenti. Sed lux cœlestis Iuuenem hunc iustum non deseruit; sed

b *Iob* 40. 12. *Lib.* 32. *c.* 17.

ex ea perplexitate eduxit, Deiq; rationes & vocatio vicerũt, ac dissoluerunt eas, quæ pro carnalibus parentibus suggerebantur, data illi magna fiducia de bonitate diuina, quòd tanquam orphanorum parens, esset eius sororibus prospectura: id quod postea præstitit cum omnium gratulatione. Necdum tamen constituerat ipse: quamnam vellet Religionem amplecti. quamuis valdè ad Carthusianam propenderet: quòd eam iudicaret propensioni suæ, qua ad recollectionem & pœnitentiam inclinabat, esse maximè aptam. Hæc sua desideria nouem menses, antequam Societatem nostram amplecteretur contulit cum quibusdam viris doctis, quibus erat familiaris, præcipuè verò cum quodam cognato suo valde fideli DEI seruo, qui Canonicus postea fuit in sancta Magistrali Ecclesia Calagurritana. Is, cùm negotium diligenter DEO commendasset, ei respondit; si desiderio teneretur mundo renunciandi, ingrederetur Societatem IESV, quæ tanquam recens instituta magna sanctitate, ac spiritus feruore emineret. Quæ ratio adeò illi arrisit, vt statim constituerit apud se, ingredi Societatem: totaq; vita sua gratissimum semper animum gessit erga eum, qui rectum adeò sanumque consilium suggessisset: ita vt post multos elapsos annos, in quadam profectione decem milliaria circumiuerit, vt virum illum accederet, gratiasq; illi ageret, qui DEI fuisset aptum instrumentum in hoc beneficio sibi collato.

SED non decet, aliam causam huius vocationis silentio præterire, quę mea quidem sententia fuit magis præcipua, licet tunc esset occulta.

Cupie-

Cupiebat feruens iste Iuuenis Carthusianum Institutum amplecti, vt, quod Ieremias dixit: c *sederet solitarius & taceret, quia sic leuaret super se*, eligens scilicet partem Mariæ, vtpote meliorem, quàm Marthæ; & omninò se tradens vitæ Contemplatiuæ, vtpote excellentiori Actiuâ. Sed DEVS (cuius prouidentia est admirabilis in distribuendis vocationibus ad diuersas Religiones, variaque in eisdem munia) hominem hũc ad eam vitam elegerat, quæ vtramque complecteretur; & melior est quauis eius parte seorsim accepta: quæ, ad imitationem supremi nostri Magistri, ac Redemptoris, eiusque sanctorum Apostolorum, ita occupatur in contemplatione diuinorum Mysteriorum, vt lucem, facultatem, animique robur ex ea hauriat ad id, quod in Actiua est optimum, attendere scilicet saluti animarum, exeundo (vt sanctus Bernardus ait) à Contemplatione ad Actionem; & ab Actione redeundo ad Contemplationem. Et hoc existimo fuisse præcipuum motiuum maiestatis diuinæ, vt hunc Iuuenem vocaret & alliceret ad Societatem IESV: quæ ex proprio Instituto habet, non solum saluti & perfectioni propriarum animarum vacare: sed etiam in salutem & perfectionem proximorum incumbere, adhibitis ad vtramque oratione; & contemplatione, ac reliquis spiritualibus exercitijs. Cùm igitur hoc secum decreuisset, statim absque vlla mora petijt in Societatem ipsam admitti: *non* enim (vt sanctus Ambrosius ait) *nouit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Et quando vocatio agnoscitur esse DEI, meritò est illi obtemperandum adeò exactè ac velociter, vt (quem-

c *Thren 2. 28.*

Vide Caiet. in 2.2. q. 182. a. 1.

Ser. 57. & 58 in Cant.

Lib 2. in Lucam.

Hom. 14. in Matth. admodum ait sanctus Chrysostomus) nec ad vnicum momentum hæreamus: quemadmodum sancti d Petrus & Andreas, duoq; filij Zebedæi continuò & statim atque à Christo sunt vocati, relictis retibus, & patre secuti sunt eum. Hac igitur celeritate pius hic Iuuenis dedit operam, vt in Societatem admitteretur: quod factum fuit in Collegio nostro Complutensi, vno ex præcipuis nostræ Religionis in Hispania, ex quo plurimi valdeque præstantes Religiosi prodierunt, qui Spiritu suo, virtute, & eruditione valde eam illustrarunt. Ingressus est autem Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, cùm esset ætatis viginti duorum annorum, decimoquinto à Confirmatione ipsius Societatis, quemadmodum sanctus Bernardus, cùm eiusdem esset ætatis, nouum Ordinem Cistertiensem ingressus est, post annos quindecim ab eius institutione. Neque accidit absque aliquo diuinæ prouidentiæ mysterio, vt admitteretur tertio die Maij, Inuentioni sanctæ Crucis dedicato, quasi Prognosticum esset eius affectus & amoris, quo ipsam crucem amplecteretur; plurimisque proximis ditissimos thesauros manifestaret in ea latentes. Receptum mox superiores miserunt Senticam (vulgò Simancas) vbi Nouitiatus, siue Tyrocinium erat totius Prouinciæ, quæ tunc complectebatur vtranque, quas nunc Castellanam & Toletanam vocamus. Erat singularis, valdeque extraordinarius feruor Tyronum, ex varijs locis eò conuenientium: Spiritus enim sanctus replebat eos musto, & nouo Spiritus vino, recentis huius Religionis proprio, quam idem in sua Ecclesia recens plantauerat.

d Matth. 4. 22.

Exper-

Expertus est noster hic Tyro, re ipsa veram esse rationem, quam eius cognatus ei proposuerat; cuius benè semper memor, operam dedit, vt feruentem priorum eius Patrum spiritum promoueret, qui adeò recens ac viuax in eorum filijs permanebat, ne ipsius culpa veterasceret aut tepesceret. Sociorum igitur adeò feruentium exemplo permotus & animatus cœpit ipse inter eos eminere, omni suo conatu contendendo ad excellentem sui mortificationem, pœnitentiam, orationem, & insignes alias virtutes, quæ in ipso toto vitæ eius decursu eluxerunt: vt mox apparebit. Ex eo enim tempore cœpit angustam perfectionis semitam propero, ac feruenti gressu ambulare, quem ad mortem vsque continuò tenuit. Et ita ipse solebat postea Tyronibus dicere: (quemadmodum ego ipsius nouitius in quadam exhortatione audiui) *Attendite, quomodo nunc in via spirituali progrediamini. nam de lege ordinaria, quo passu tempore Probationis, & Tyrocinij vestri progrediemini, eodem reliquo vitæ tempore pergetis. Si hoc Nouitiatus vestri tempore tepidi fueritis, & in vestro spirituali profectu desides, tales semper & immortificati manebitis: si autem nunc magno spiritus feruore incedatis, assuescetis vos benè ad eodem modo progrediendum.* Quæ veritas quamuis ex antiquissimo prouerbio ab Spiritu sancto approbata intelligatur, qui ait: e *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit non recedet ab ea*: eandem tamen ipse protulit, sicut multas alias, ex propriæ experientiæ libro,

e Prou. 22. 6.

memor feruoris illius, quem Dominus noster tempore Nouitiatus ipsi communicauerat: Quo tempore valde illum iuuit Pater Bartholomæus Bustamantius, qui tunc Magistrum agebat Nouitiorum. Nam vt subiecti huius talenta & facultates cognouit: eum probabat ac cælabat, iuxta consilium S. Ioannis Climaci, varijs mortificationibus, ac pœnitentijs: vt magis quotidiè in virtutibus proficiendi occasionem ei præberet: maximè cùm is Magistri sui manibus se totum cum magna humilitate traderet, instar ferri ex camino extracti, & fabri arbitrio relicti, vt ipsum flecteret; & pro sua voluntate poliret, donec eius cordi forma Euangelicæ perfectionis imprimeretur. Quare sæpè dicebat: Patrem Bustamantium, magnum ipsius animæ bonum præstitisse. Non enim credi potest, quantum sancti ac periti Magistri attentio ac diligentia valeat, vt nouitius insignis euadat. Et quoniam Deus Dominus noster Nouitium hunc instruebat ac poliebat, vt & ipse Tyronum Magister, & multarum animarum dux, ac director fieret. voluit, ipsum experientia discere, quantum eis bonum ex eo proueniret, quod bonum ac peritum ducem sortirentur.

Gradu 4.

EODEM tempore ventitabant Senticam Patres Franciscus de Borgia, & Antonius de Araoz, duo illi Societatis oculi in Hispania. Iubebant autem superiores, fratrem hunc Balthassarem eisdem Patribus ministrare, vt modestiæ, feruorisque sui odore eos ædificaret, ipseque ex luce illa proficeret, quam ab eiusmodi luminaribus acciperet; & nominatim à Patre Francisco, qui obseruans eum adeò feruentem ac deuotum,

magnum

magnum in eum concepit affectum. Sed non fuit valdè diuturnum tempus Sentitianę recollectionis. Nam, cùm in vicino quoddam Collegio cocus deesset, eò fuit missus, vt cocum ageret, vt qui multis indiciis suum ad officia vilia affectum proderet. Adeoque seriò per menses aliquot officium illud egit, atque si tota vita in eo fuisset occupandus, negligens omninò sui, ac rerum suarum; solumque attendens, quomodo soli DEO placeret, in cuius domo (vt ipse aiebat) nullum inuenitur officium vile, aut occupatio, quæ non sit in magno honore habenda, relinquendo eius durationis tempus prouidentiæ DEI, qui per ipsos Superiores id totum constituit. Hi autem, cùm eum tam fœliciter profecisse viderunt, ad finem eiusdem anni ex Tyrocinio ad sua studia prosequenda dimiserunt. Etsi enim in Societate duo sint anni Probationis pro Tyronibus constituti: eo tamen tempore, quòd in suis initijs esset; paucaque haberet subiecta, illud tempus minuebatur: & DEVS gratiâ suâ defectum illum supplebat, perficiens in eis magno Spiritus feruore in paucis mensibus, quod nunc in duobus annis obtinetur. Maximè quod in medijs studijs, Tyrones feruorem ac deuotionem obseruabant, ita orationibus & laboribus attendentes, atque si studiosi non essent; & ita studentes, atque si non essent Tyrones. Et hac ratione ex particulari DEI auxilio eo tempore prodierunt aliqui viri non minus in Spiritu & Sanctitate, quàm in diuinis & humanis scientijs eminentes.

MISSVS itaque est Burgos, vt in Philosophia, quam Compluti auiduerat, perficeretur: sed

breui illic manſit: eò quòd exactè aliàs ſtuduiſſet, quare poſt paucos dies Anno 1556. miſſus eſt ad Collegium Abulenſe, vt annos duos Scholaſticæ Theologiæ, qui illi deerant, perficeret in Monaſterio S. Thomæ Patrum Dominicanorum. Cùm enim eo tempore nondum haberet Societas profeſſores conſtitutos, mittebantur noſtri fratres ſtudioſi ad Vniuerſitates Salmantinam, & Complutenſem, aut ad Collegia ſiue Conuentus ſacræ Religionis ſancti Dominici Vallis Oleti & Atulæ: in quibus excellenter, & exactè, vt toti mundo conſtat, prælegitur. Studuit igitur ibi per duos annos ſacræ Theologiæ non ſine varijs occupationibus, eò quòd Collegium illud Societatis eſſet recens fundatum, ac propterea neceſſarium multis rebus attendere, quæ in tali occaſione deeſſe ſolent, domibus præcipuè adeò pauperibus, & indigentibus: nihilominus tamen ipſe in ſtudijs ita profecit, vt inter peritiores ſui temporis ſtudioſos numeraretur. Et quamuis nõ valde emineret in ipſa Scholaſtica Theologia, quòd in ea defuit, ſuppleuit in Myſtica: obtinuit enim à Domino Deo noſtro, vt poſtea videbimus, per Orationem, quod alij magno labore ſtudiorum aſſequuntur: ita vt aptiſſimus eſſet ad ea Officia & Miniſteria, quæcunq; ipſi iniungebantur, Confeſſarij, Magiſtri Nouitiorum, Rectoris, Prouincialis, ac Viſitatoris; gubernauit enim direxitque omne genus hominum, Sæcularium, ac Religioſorum Societatis noſtræ, & externorum adeò excellenter, colloquendo & exhortando, tam in communi, quàm in particulari de rebus Spiritualibus, vt exemplar quoddam eſſe poſſit perfe-

ctionis

ctionis ijs omnibus, qui eiusmodi Officijs funguntur. Nam sanctus hic vir ab initio primæ suæ vocationis sculptum semper habuit in corde suo consilium illud à S. Bernardo Monachis de Monte Dei datum, dicente illis, ab omnibus cuiuscunque gradus & status in Religione meritò exigi, vt sint perfecti: à Tyrone & Nouitio, vt sit perfectus Nouitius; ab Studioso, vt Studiosus sit perfectus; ab Operario, vt sit Operarius perfectus; ab Incipiente, vt sit perfectus Incipiens; à Proficiente, vt in Profectu sit perfectus; & ab eo, qui est iam in gradu Perfecti ne hæreat, sed (vt Apostolus suadet) f *ea quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora seipsum extendat, ad destinatum persequens, ad brauium supernæ vocationis Dei*: vt semper studeat esse perfectior. Ita vt, qui Nouitius est, perfectè habeat illas virtutes, & in eo gradu, quem Nouitij status meritò habere debet: atque prout crescit, perfectiorem in ijsdem gradum acquirat. Et quoniam Pater hic Balthassar hoc modo est progressus, ita constitui, historiæ ordinem per annos prosequi, vt dum eius virtutes referam, simul indicem augmentum, & perfectionem earum, quamuis id diuersis acciderit temporibus.

Tract. de vita solitaria.

f *Philip. 3. 14*



CAPVT

CAPVT II.

INGENS EIVS AB IPSO Tyrocinio propensio ad Orationem & familiaritatem cum DEO: *ac diligentia ab eo adhibita, ad eam perfectè consequendam.*

INTER multa indicia, quæ in hac vita habentur, quod DEVS aliquem elegerit ad altissimos Sanctitatis gradus, & egregia valdeque præclara seruitij sui facinora, vnum ex præcipuis est, quod ei orationis donum eminenter communicet, & ad suam familiaritatem admittat. Nam Oratio (teste S. Gregorio) est valde vniuersale & efficax mediũ ad ea exequenda, quæ in æterna sua prędestinatione disposuit: vt propterea, quando tale medium cum excellentia adhibet, signum sit, quod insigné aliquem finem diuinæ suæ gloriæ per illud quærat. Deinde Oratio (vt S. Chrysostomus docet) mille vijs & admirandis modis vitam quandam efficit puram & sanctam, DEO cui seruit dignam: non enim ferre potest domum pauperem, vacantem, & malè compositam: Nam statim eam componit, & gloriosis plurimorum meritorum, ac supernorum donorum exercitijs eam replet. Alit generosum quendam animum, pectusque nobilis-

Lib. 2. Dial. c. 8.

Lib. 5. de oran. Deum.

Lib. 2.

bilissimum, quod non se abijciat ad culpas etiam leuiores, nec ad mundi nugas, & inanes sæcularium hominum conuersationes, ne Dæmonibus det aditum: ex familiaritate enim cum Deo tanta animi, & cordis magnitudo prouenit ijs, qui cum eo versantur: vt quidquid est in mundo, sordes & stercora reputent, magnamque vilitatem, si eò se demittant, vt malignorum Spirituum suasionibus dent aditum; aut aliquid faciant Dei sui præsentia indignum. Et similiter animum quendam communicat, laboribus, ac tribulationibus huius vitæ, etiam ipsa morte superiorē: ita vt nihil horum auferre illis possit sanctam libertatem Spiritus, & cordis puritatem, quam hauriunt ex familiaritate cum suo creatore: ex cuius virtute fortes ac potentes se reputant ad hostes suos superandos, & insignia facinora perficienda. Hæc S. Chrysostomus. Ex quibus infert, curam & studium Orationis indicium esse virtutis & profectus interni. Si videam, (inquit) Christianum aliquem, aut Religiosum in orando tepidum, idque paruifacientem: mox conijcio, exigua ipsum virtute præditum esse, & pauca Dei dona in animo habere; quem tamen valde attentum, solicitum, ac propensum ad orationem video, statim intelligo, donis eum cœlestibus redundare. Si enim cum sapientibus agens sapiens efficitur: qui familiariter cum Deo agit, quam Sapientiam habebit? Et quas spirituales diuitias consequetur? denique Sancto Bonauentura teste, oratio est omnipotens quoddam medium, quo liberamur ab omnibus malis; & bona omnia consequimur, diuinam sollicitantes omnipotentiam

Lib. 1.

In Medit. vitæ Christi.

tiam, vt nobis semper sit auxilio. Hæc omnia volui insinuare, vt aperire incipiam sanctitatem, & stupenda opera Patris BALTHASSARIS ALVAREZ. cui DEVS cum singulari excellentia donum hoc orationis communicauit, singularibus eum præueniens auxilijs ab ipso Tyrocinio, imò multò antè, vt statim in hac virtute, ac proinde in reliquis inciperet splendere, [a] *quasi lux* matutina, quæ *procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Et cùm duplex sit modus orationis mentalis, alter ordinarius, quem tenent communiter Iusti: alter magis extraordinarius, qui paucis conceditur: quamuis seruus hic DEI in vtroque excelluerit, nunc tamen de priori tantùm agemus, qui ad posteriorem disponit, multumque dependet ab industria nostra, præuenta, & adiuta in diuina gratia: sine qua [b] *non sumus sufficientes vel cogitare aliquid à nobis*, nec quidem [c] *dicere: Dominus Iesus*: cum ea tamen facilè mens nostra applicat sese ad fidei mysteria consideranda; & ratiocinatione ac meditatione varios excitat in voluntate deuotionis affectus, petitiones instituens & colloquia cum ipso Deo Domino nostro, quemadmodum S. Pater noster Ignatius docuit in libello Exercitiorum, & nos in aliis nostris libris fusiùs explicuimus. Incepit itaque Pater hic Balthassar magno feruore ab hoc modo orandi, in quo, vt postea dicemus, per sexdecim annos hæsit, DEO ipsi rationes & industrias suggerente, quas ad progressum & excellentiam in eo obtinendam adhiberet: vt fieret dignus, qui ad alium magis intimum, & excelsiorem modum admitteretur, si Dominus ipsi eum

a *Prou. 4. 18.*

b *2. Cor. 3. 5.*

c *1. Cor. 12. 3.*

In lib. Meditation. & in Duce Spiritu.

eum communicare dignaretur. Harum induſtriarum, ac diligentiarum ſummam quandam hic ponemus, ad decem eas reducendo, vtpote præcipuas; vt qui in hac virtute proficere, & progredi cupiunt, earum vſum habere poſſint.

§. I.

PRIMVM igitur Deus Dominus noſter huic adhuc Tyroni magna deſideria votaque communicauit, continuam & feruentem orationem habendi: huiuſmodi enim adeò accenſa deſideria, velut prænuncij eſſe ſolent inſignium gratiarum ac fauorum è cœlo venturorum: exſtimulant enim ad petendum, & valde inſtanter procurandum apud DEVM, quod ipſe prouidentia ſua dare conſtituit. hoc enim inſinuauit Salomon, cùm dixit: a *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ*, & Dauid dixit: b *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris eius*. Quæ deſideria magnæ illi opinioni innitebantur, quam de Superno hoc exercitio habebat: non ex eo ſolùm quod ingentia, quæ ſecum adfert bona, legiſſet, & audiuiſſet; ſed multò amplius ex eo quod ipſe ſenſim in ſe experiebatur. Eſt enim Oratio manna quoddam abſconditum, non ſatis cognitum, ac proinde nec, vt par eſt, ſatis rectè æſtimatum eſt, niſi ab illud delibante ac recipiente: nam ſtatim atque ſuauitas eius deguſtatur, deſideria creſcunt; ampliùs illud degu-

a *Sap. 7.7.*

b *Pſal. 9. 38.*

degustandi : prælibatio enim nouam gignit fa-
mem, iuxta illud diuinæ Sapientiæ : [c] *qui edunt*
me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.
Ex quo fiebat, vt huiusmodi desideria adeò in pe-
ctore huius serui DEI feruerent, vt omne tem-
pus videretur illi exiguum & breue, quò se san-
cto huic exercitiò traderet. Quare statim atque
necessarijs alijs obligationibus satisfaciebat, con-
uertebat se ad hanc, in qua expendebat, quidquid
temporis illi supererat, dicens : bonum Religio-
sum in huius mundi exilio constitutum, toto tem-
pore, quo cũ Deo suo non versaretur, debere esse
tanquam ingens aliquod saxum vi quadam extra
suum locum detentum, & suo modo gemens,
quamdiu ita detinetur, & impeditur: ideoq; sicut
illud impedimento sublato, magna vi ad suũ tẽdit
centrũ, ità hic statim atque à tali impedimento se
videt expeditum, mox ad suũ creatorem tanquam
ad centrum pergere incipit. Et quicunque talem
habet spiritum ac desiderium, plura negocia spa-
tio vnius horæ expedit, quàm alij in multis: eò
quòd in ijs non amplius hæreat, quàm sit neces-
sarium: quare ab eis liberatus statim pergit ad
suam requiem, hoc est ad agendum & conuersan-
dum cum DEO suo. Verum quidem est, quòd Ty-
ronum feruor, etiam cùm est à bono Spiritu, faci-
lè admittit aliquid de proprio: quare hæc ora-
tioni incumbendi desideria eo vsq; peruenerunt,
vt essent nimia : ita vt aliquando inquietum i-
psum reddiderint; vt quodammodo de superio-
ribus conquereretur, quòd nimium ailjs rebus i-
psum occuparent, nec locum relinquerẽt ad tan-
tam sui recollectionem, quantam ipse cupiebat.

[c] Eccl. 24. 29.

Quam

Quam imperfectionem dum in se aduertit, dedit operam, vt eam exueret; suaque feruentia desideria perfecta quadam resignatione temperaret, ac diuinæ voluntati subijceret in omnibus, quæ ad ipsam orationem spectabant: huiusmodi enim resignatio valde est necessaria magnique momenti dispositio ad progressum & profectum in ipsa oratione, iuxta illud Dauidis: d *Subditus esto Domino & ora eum*, quia tunc magno cum fructu orare poteris. Quare maturiori consilio constituit, nolle se plus temporis recollectæ orationi impendere, quam obedientia ipsa præscriberet, & necessariæ occupationes illi permitterent: amplectens pro regula suæ orationis consilium Tobię de Eleemosyna filio datum: e *Quomodo potueris*, inquit, *ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Ita ipse aiebat orationi recollectæ trade te prout tempus suppetet. Si multum suppetet, multum in ea expende; sin exiguum, hoc ipsum tribue illi libenter: præstat enim, obseruata Dei lege, diuidere cum ipso, quod ille dederit: quàm furari, vt possis multum offerre. Scriptum est enim, f *quod ipse Deus odio habeat rapinam in holocausto*: ac proinde etiam odio habebit, si tempus obedientiæ subtrahas, etiam ad orandum, & sacrificandum. Et multò magis cùm ipsum orare sit esse cum Deo. quod si quo tempore ille opera tua vult in alijs vti, ipsum hoc tempore defraudes: iam non erit ipse tecum: & si ille tecum non sit: quomodo tua solitudo poterit esse oratio. Seruus faciens quidquid Dominus iubet, tempusque in eo expendens, quod ipse præ-

d *Psal. 36. 7.*

e *Tob. 4. 8.*

f *Isa. 65. 8.*

,, ſcribit paratus ad omnia, quæ eius ſunt obſequij,
,, non gratis comedit panem; poteſtque omnem de-
21. Septemb. 1569 ponere ſcrupulum. Ad cuius rei confirmationem refert ipſe in ſuo libello: quòd cùm in feſto ſancti Matthæi amanter apud ipſum Deum conquereretur, de defectu temporis ad manendum cum
,, ipſo ſeorſim & ſolum. Factum (inquit) eſt ad me
,, verbum DOMINI: conquieſce; & ſatis
,, tibi eſſe exiſtima, quòd vtar opera tua, etiamſi
,, non ſis mecum, ex quo ipſe quietus tunc manſit, ac iucundus. His rationibus, quas ipſa docebat oratio, temperauit Pater BALTHASSAR nimia ſua deſideria illam habendi, retinens interim moderata, quæ Domini Spiritus ſemper illi communicauit; ac per totam vitam conſeruauit.

HINC verò oriebatur, quòd ſemper fuerit valde exactus in explendo ad minus toto illo tempore, quod Societatis noſtræ leges ad orationem habendam, lectionem, & conſcientiæ examina, aliaque ſpiritualia exercitia peragenda præſcribunt, nullo vnquam prætermiſſo eodem quo præſcribitur, aut altero ei æquali, etiamſi plurimæ adeſſent occupationes. Et cùm præuidebat fore multas, ſurgebat citius ac præueniebat, vt temporis penſum in his omnibus exercitiis maiori cum quiete expenderet, imò tunc ſemihoram vltrà præſcriptum, illis tribuebat; ad reparanda (vt ipſe aiebat) detrimenta, quæ aliàs pati cogebatur, potiùs volens præſcriptum tempus excedere; quàm aliquid illi detrahere: & hac ratione ſupererat illi ſufficiens tempus

pro

pro reliquis negotijs & occupationibus.

Nec contentus erat solo tempore à regula præscripto: nam cùm Superior erat (fuit autem ferè semper) multò plus temporis orationi tribuebat. Nam post pulsum ad incumbendum ipse ad Chorum se conferebat, & duas, aut tres etiam horas in oratione expendebat, vigilans tanquam bonus Pastor, quando grex eius quiescebat. Et præter hoc, iubebat etiam Excitatorem, ipsum media hora ante alios excitare: & adhuc quando ille veniebat ad excitandum, iam illum orationi vacantem inueniebat. Et aliàs integras noctes consumebat orando in suo cubiculo (quod sæpè aduertebant, qui proximè habitabant) vt imitaretur Dominum, de quo sanctus Lucas ait, quod g *exiret in montem orare*, essetque *pernoctans in oratione Dei*: cui dicebat illud Isaiæ: h *anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Id tamen præcipuè faciebat, quãdo necessitate aliquã propria, aut alterius, aut negotio magni alicuius momenti premebatur: cuius rei plura exempla subijciemus inferius.

g Luc. 6. 12.

h Isa. 26. 9.

Et præter hæc, singulis annis minimùm semel colligebat se per octo aut quindecim dies plus minus, prout occupationes patiebãtur: vt exercitia pro more Societatis perageret, totum illud tempus familiaritati cum Deo omninò tribuens. Quod si ita occupationes non paterentur, vt tantum temporis simul in hoc expenderet, studebat saltem singulis mensibus diem vnum; & singulis septimanis vnius diei totum tempus

matutinũ ſoli Deo conſecrare: aduertebat enim & ipſa experientia deprehendebat, huiuſmodi longioribus temporis ſpatijs feruefcere ſpiritum, gratiamque deuotionis, & familiaritatem cum Deo obtineri; & augeri vires ad pia opera exercenda, & iuuandas animas. Ac propterea DEVS cõtinuit Moyſen [i] *ſeptem diebus in medio caliginis*; vnde *vocauit eum ad montem*, vbi *fuit quadraginta diebus*; poſt quos dedit ei tabulas legis, quas ipſe deſcendens ex monte portauit in manibus, vt eam populo promulgaret. Et quamuis potuiſſet Deus vna hora perficere, quod fecit quadraginta diebus: voluit tamen ipſe hac ratione ſignificare: eos, qui familiaritatem cum ſua Maieſtate habere cupiunt, debere longa, collectaque communicatione cum ipſo eam obtinere, in qua docentur, & roborantur ad fortiter præſtanda quæcunque ad eius diuinum obſequium ſpectant.

i Exod. 24. 16.

EX quo licet intelligere, quanta attentione, reuerentia, deuotione, & feruore Spiritus ſeruus hic Dei habere conſueuerit collectam ſuam orationem: cùm nullus tot horas, ac toties in ea expendat, niſi magnam nobiliſſimi & vtiliſſimi huius exercitij opinionem habeat, ipſaque experientia didicerit ſuauitatem & fructum ex ea prouenientem. Eadem etiam deſideria & ſtudium, quo tantum temporis orationi impendere cupiebat, ipſum etiam exſtimulabat, vt maximam diligentiam adhiberet ad eam cum omni perfectione habendam. Quamobrem toto ſexdecim annorum tempore, quo primum Orationis modum tenuit, fuit ſingularis in obſeruandis plenè omnibus conſilijs, & circumſtantijs, quas S. Pater noſter

ſter Ignatius in libello Exercitiorum obſeruandas præſcribit (quas Additiones vocat) ad rectè habendam orationem; nulla, etiam minima, neglecta: obſeruauerat enim diligenter, plurimum placere Deo, quod quis diuinam eius voluntatem plenè, etiam in rebus minimis, exequatur: vt nos ad ſuum conſpectum, & familiaritatem admittat: cui vt verè obedientes ſunt chariſſimi: ita propria ſua conſilia ſequentes odit: & quemadmodum ait S. Bernardus; cœleſtis ſponſus non requieſcet per contemplationem in lectulo cordis non producentis obedientiæ flores, ſed propriæ voluntatis vrticis ſeminati; nec ſe ipſum in oratione communicabit inobedienti is, qui adeò obedientiam dilexit, tantiq; illam fecit, vt mori voluerit potiùs, quàm non obedire. *Serm. 46. in Cant.*

§. II.

HINC etiam ortũ eſt, vt hanc orationis viam cum magna humilitate ambularet: nec voluerit vno quaſi volatu ad eius culmen aſcendere, ſed per certos gradus ab infimo incipiendo; donec Deus ad altiorem aſcendere ipſum iuberet. Vt enim idem S. Bernardus ait, non eſt tutum repentè ad ſummum aſcendere, ac diuini oris oſculum petere; niſi qui priùs pedes, & poſtea manus cœleſtis Sponſi fuerit oſculatus. Quam rationem Pater hic Balthaſſar tenuit in progreſſu meditationum, & in operibus triplicis vitæ Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ: incipiens à primis, vt ſe ipſum à culpis omnibus purificaret, & paſſiones ac reliquas res, quæ familiaritatem cũ Deo impedirent, reprimeret, ac mortificaret. *Serm. 3. in Cant.*

quare magnam ſemper rationem habuit duplicis conſcientiæ examinis quotidiani, quo vtitur Societas: generalis ſcilicet omnium culparum ac defectuum; & particularis circa particularem aliquem ad illum exuendum & euellendum: adnotans, quoties mane, & quoties veſperi in illum incidiſſet: & hos cum illis conferens: ſicut & quos vno die aut vna ſeptimana, cum alterius diei aut ſeptimanæ præcedentis: vt intelligeret, an verè proficeret, nec ne. Cuius exercitationis magnam ducebat rationem, dicens, illud eſſe genus quoddam practicæ orationis, qua propria cognitio obtinetur, quæ radix eſt humilitatis; & cordis puritas, quæ diſpoſitio maximi momenti eſt ad familiaritatem cum DEO habendam.

HVIC diligentiæ aliam magni momenti addebat ad proficiendum in ipſa oratione. Reflectebat enim ſe, & ad eius finem, examen inſtituebat de omnibus, quæ in ipſa oratione acciderant, ſiue benè, ſiue malè: vt incuriam ſuam defleret, ac emendaret, gratias verò DEO ageret ob ſenſa bona, quæ ipſi communicaſſet. Ne autem hæc ipſa obliuioni traderet, adnotabat in libello quodàm, (cuius in præfatione meminimus) appoſito die, menſe, & anno; imò & occaſione, qua talia ſentiebat: & in eodem ſcriptum reliquit, huiuſmodi veritates tanquam prunas fuiſſe cœleſtes in ſuo pectore, quæ ipſius torporem excitarent, cùm tepidum & ignauum ſentiret: & ita memoriam eorum refricabat, & cum mora ruminabat: vt nouum ex eis fructum hauriret.

EX

EX quo alius quoque valdè magnus illi fructus proueniebat ad continuè perseuerandum in oratione. Amplectens enim illud Saluatoris cõsilium : a *oportet semper orare & non deficere,* a Luc.18.1.
tota die occupabatur, ac ruminabat bonos motus ac sensa, quæ in matutina oratione habuisset : vnde fiebat, vt noua alia Deus illi communicaret. Ita ipse in prædicto libello fassus est : in
quo hanc proponit interrogationem : quid debet
quis interdiu cogitare? & respondet in hunc modum : si apertos habeat oculos, oratio cœlestis,
& b *reliquiæ cogitationis diem festum agent ei.* b Psal 75.
Quemadmodum enim, ait, in aula principis, fide- 11.
liter seruienti datur quotidie constituta portio :
ita Deus fideliter sibi obsequentibus ex reliquijs
ferculi proprij noua sensa communicat veritatum, quibus anima iucundè alitur & occupatur.
Et ego, inquit, experior in mea, quòd non possit
tot bolos digerere, quot ei offeruntur. Ex quo
apparet, quàm profusus DEVS Dominus noster in seruum suum hunc fuerit : Siquidem tanta erat spiritualium sensuum copia, & magnitudo, vt non sufficeret ei tempus ad eos ritè digerendos, quamuis toto die se in eis ruminandis occuparet. Hinc autem oriebatur vt semper in DEI præsentia versaretur; ac sese frequentissimè intra se ipsum colligeret, vt eundem maiori attentione & viuacitate aspiceret; contendendo, vt in ipso foro non minus esset collectus, quàm si maneret in suo cubiculo : & obseruarunt aliqui, quod non posset impedire, quin frequenter ita eius oculi clauderentur, atque si reuera dormitaret : idque ex

contracta iam consuetudine illos spontè claudendi, vt faciliùs posset interiores aperire. Et similiter, cùm Nouitius & Studiosus esset, Patremque aliquem comitaretur, toto illo tempore & quamdiu Pater negotia sua peragebat, semper ipse orationi attendebat. Et similiter, cùm faciebat iter semper orabat: ac propterea dicere solebat, esse bonum, quòd quis alium comitetur, aut iter faciat: quia tam diu licet semper orare. Et hac ratione coniungebat Pater Balthassar duas res illas, quæ hominem reddunt spiritualem ac deditū orationi. Neq; enim satis ad id est prolixa & recollecta oratio, si interdiu effunditur cor, & illam continuare obliuiscitur, ruminando quod ex ea hausit; aut alias iaculatorias breues ac frequentes addendo: nam, vt ait Cassianus, valde parum orat, qui solùm orat quando flectit genua, nisi conetur explere illud Apostoli c *sine intermissione orate*. Neque sufficit breuium orationum frequentia, nisi accedat interdum oratio recollecta, in qua accenditur cor ad præsentiam Dei, & internam recollectionem conseruandam: ita vt nec frigescat, nec euanescat ex occupationibus interdiu occurrentibus, & hoc nomine sæpiùs repetebat, quod Magister Ioannes de Auilla author libri, cui Titulus Audi Filia, respondit cuidam interroganti: an sufficeret Dei præsentiam interdiu habere, & interiùs esse collectum sicut ipse erat? cui ille respondit: nisi vltra id aliquid habeat, euanescet: & interrogatus quid illud vltrà esset, respondit: frequentiam prolixæ orationis.

Colla. 10 c. 13

c 1. Thes. 5. 17

OMNES hasce diligentias obsignauit Pater Bal-

Balthassar magna constantia & perseuerantia in rebus omnibus prædictis. Nam licèt in sexdecim annis, quibus hunc orationis modum tenuit, magnas nebulas, & spiritus ariditates, durities, distractiones, animi defectiones, aliasque afflictiones, & probationes, quas experiuntur, qui hanc viam ambulant, sustinuerit: nunquam tamen desideria orationis deposuit; nec exactam in ea habenda exsecutionem: sed tanta diligentia & constantia in ea perseuerauit, atque si iucundum semper & facilem aditum inueniret, collocabat nimirum præcipuam suam fiduciam in infinita misericordia ac liberalitate DEI, in cuius conspectu sese constituebat, quemadmodum Cananæa illa dicebat: tanquam d *catellum expectantem micas cadentes de mensa Domini sui*: & sicut e *amicus* ille Euangelicus, etiam repulsus non destitit ad portas DEI pulsare per multos annos, donec tandem exauditus fuit, & ad familiaritatem eius admissus, cum ingenti cœlestium donorum copia, vt apparebit ex capite duodecimo, in quo ponentur & fructus & magna præmia, quæ accepit ob hasce diligentias, & perseuerantiam in eisdem.

d *Matt.* 15. 27.
e *Luc.* 11. 8.

(***)

CAPVT III.

MEDITATIONES SVAS A mysterijs Humanitatis Christi cœpit: singulari ad eam deuotione semper affectus: & fructus inde perceptus.

QVI DEO seruire incipiunt, & cum diuina eius maiestate in oratione agere, post exitum ex miserando, in quo fuerant, peccati statu, & post exercitationem in eundem finem, in meditationibus de peccatorum grauitate, Mortis, Iudicij, & Inferni terribilitate, aliorumque suppliciorum, quæ diuina Iustitia contra ea est minata: transire solent ad meditanda mysteria sacratissimæ Humanitatis Christi Seruatoris nostri, veri Dei & hominis, qui est vera a *via, veritas, & vita*; principium, finis, & medium perfectionis ac saluationis nostræ: ita enim ipse dixit: b *ego sum ostium, per me, si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Per ostium hoc ingredi oportet & Iustos & Peccatores; Incipientes, Proficientes, & Perfectos: qui omnes pascua inueniunt animabus suis, iuxta necessitatem & capacitatem suam accommodata; & ad finem, ac scopum, ad quem, cùm meditantur eius mysteria, tendunt. Peccatores enim considerantes, quàm multa ipse fecerit, ac pertulerit pro ipsorum peccatis: inueniunt

a Ioan 14.6.

b Ioan 10.9.

niunt pascua Contritionis, Pœnitentiæ & Lachrymarum: vt ab eis mundentur: Incipientes inueniunt pascua virtutum, quæ passiones ac vitia mortificant; & efficiunt, vt Caro Spiritui subijciatur; & sensualitas rationi: Proficientes pascua inueniunt veritatum, & virtutum altiorum, quæ illos illustrant, & crescere faciunt, tanquam [c] *lucem* matutinam *vsque ad perfectam diem.* [c] Prou. 4. 18. Perfecti autem sublimiora inueniunt pascua, ingredientes scilicet per hoc sacratissimæ humanitatis ostium ad altissima diuinitatis mysteria contemplanda: & egredientes ad præstanda erga proximos opera & ministeria inflammatæ charitatis. Per hoc ostium ingressus noster Pater Balthassar, à principio non destitit, sed per totam vitam prædicto modo ingressus & egressus est. ingressus, inquam, primùm in occulta cordis DEI humanitate induti, & sensim ascendens & immergens se in mysteria DEI trini & vnius: & inde exiens primùm ad se ipsum mortificandum, varijsque virtutum exercitijs perficiendum, & exornandum: & postea ad subueniendum magno feruore suis proximis.

§. I.

PRIMVM itaque omnium Christum Dominum nostrum tanquam præcipuum suũ Magistrum accepit, iuxta ipsius Domini verbum dicentis: *Magister vester vnus est* CHRISTVS. Qui, quà homo, officium hoc visibiliter egit, docens omnes factis & verbis Euangelicam perfectionem, arcana diuinitatis & [a] Matt. 23. 10.

Trini-

Trinitatis myſteria, quæ prius erant abſcondita; quà verò eſt Deus, idem præſtat quotidiè inuiſibiliter, docens animas huiuſmodi veritates, præbensque lucem ad eas intelligendas; & affectum ad virtutes deſiderandas & procurandas: & vtroque modo illum accipiebat in oratione, tanquam magiſtrum: nunc tanquam hominem, formans in ſua imaginatione figuram huius Domini: quæ poſtea multò perfectiùs eſt illi communicata; nunc eundem aſpiciendo tanquam Deum, ad cor ſeruorum ſuorum in ſolitudine interna loquentem. Eratque ſtupenda eius compoſitio, reuerentia, deuotio, ac teneritas; quam in hoc ſeruabat. Conſtituebat enim ſe in oratione ad pedes Chriſti Domini noſtri, tanquam diſcipulum talis Magiſtri, dicens ei: Domine mi, vterque noſtrum ſuum habet Officium ab æterno Patre iniunctum, cùm dixit: b *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Officium tuum eſt Magiſtri; meum, diſcipuli. ſi itaque cedit in tuam gloriam, exerceamus nunc illa. Quoniam verò Magiſtri eſt loqui; diſcipuli autem tacere: ego ſilentium ſeruabo: c *loquere tu Domine, quia audit ſeruus tuus:* & vt magis ſim attentus; claudam oculos meos, & quoniam non ſolùm tu es Magiſter, ſed etiam Dominus: audiam te genibus flexis. Et quia non tantum es homo, ſed etiam Deus, coniunctas manus in altum leuabo, tum vt audiam te, tum vt ſimul te adorem: hinc doctrinam tuam accipiendo, inde venerationem oſtendendo, qua illam ſuſpicio, in Religioſo hoc ſitu immobilis manens, etiamſi plurima eueniant, quæ me interturbare conentur: ne vel vnicum doctrinæ adeò ſalutaris verbum mihi pereat.

b Matt. 17. 5.

c 1. Reg. 3. 10.

pereat. Ideoque inquietudinem quamcunque hic mihi occurrentem, Martyrium reputabo, & vt talem fortiter sustinebo: præbens in hoc modico experimentum multorum, quæ in aliis orationibus obtuli, sustinendi & tolerandi amore tui, debeo itaque deliberato animo eum tanquam Magistrum in silentio; tanquam Dominum genibus flexis; & tanquam DEVM iunctis & eleuatis manibus audire: & immobilis permanere: ne vllum verbum mihi prætereat; & vt appareat, quanti anima mea eius doctrinam faciat, & veneretur.

HOC dicebat faciebatque pius hic Pater, qui loquens ad Tyrones, non intelligit per *audire in silentio* sublimem illum orationis modum, qui dicitur Quietis & Vnionis, in quibus, cessantibus ratiocinationibus mentis, suscipiuntur diuinæ illustrationes: qui modus resplenduit posteà in ipsomet Patre, vt suo loco videbimus; sed ordinarium quendam & necessarium modum, ad attentè & vtiliter orandum, cessantibus distractionibus ac diuagationibus garrulæ ac vagabundæ imaginationis; intellectu verò in quiete attendente, vt ratiocinetur ac meditetur mysteria Saluatoris, & verba, quæ in suo Euangelio est locutus, & quæ internè loquitur ad cor aptè meditantis, quæ sunt inspirationes diuinæ.

CVM hoc meditationis exercitio tribuit Deus Patri Balthassari singularem æstimationem ac deuotionem omnium verborum cœlestis huius Magistri: nam quamuis omnia verba, quæ Deus est locutus ab initio mundi, & in Scriptura sacra referuntur, eadem fide sint credenda, cùm

sint

ſint eiusdem ſupremæ veritatis, quæ nec decipere poteſt, nec decipi: ſed ſingulari quodam reſpectu & cura vtebatur ſacratiſsimis æterni verbi incarnati verbis: in quibus ſingulare quoddam Antidotum, & potentem efficacitatem inueniebat ad omnia, quæ animæ bonum concernebant. Propterea enim ipſemet Dominus dixit:
d Ioan.6.64 d *verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*. Et ſanctus Petrus ea audiens, dixit:
e 68. e *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Hoc autem proueniebat illi ex valde ſingulari deuotione, & æſtimatione, quàm de cœleſti hoc Magiſtro habebat: cuius ſacratiſſimam humanitatem tanquam fontem ſpiritualium diuitiarum perennem aſpiciebat: & hoc ſpiritu ad orationem accedebat, vt earum particeps fieret. Hunc ſenſum conſecutus eſt dum verba illa ſancti Lucæ meditaretur. f *Deſcendenti Ieſu de monte occurrit illi turba multa*, deſcendit, inquit, è cœlo frater natu maior, Dominus diues & accedentibus hominibus ad eum, g *virtus de illo exibat, & ſanabat*, ac dicabat *omnes*. Id enim eſt, quod æterni patris cum iuſtis viris colloquia eò tendant, vt CHRISTVM Dominum magni æſtiment: per quem iuxta ſui conſilij decreta, illos ditet:
f Luc.9 37.
g cap.19.6.
h *magnificans* (vt dixit Dauid) *ſalutes Regis eius*: hoc eſt efficiens, vt in ſuis cordibus magni faciant & æſtiment ſalutem & bonorum plenitudinem, quæ per hunc Regem mundique Saluatorem ipſis aduenit. i *Per quem*, (vt ſanctus Petrus dixit) *maxima & precioſa nobis promiſſa donauit*, de quo etiam verificatur illud Iob:
h Pſal 17. 51.
i 2.Pet.1. 4.

k *ſi com-*

k *si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* Ipse est filius DEI l *deditque nobis potestatem, filios eius fieri.* In eo sibi complacuit æternus pater, & in eodem nos illi complacemus. Ipse Sacerdos est, fecitque nos Sacerdotes: ille in se res omnes continet, nosque fecit earum participes. Ita Pater BALTHASSAR sentiebat de CHRISTO; & magno cum doloris sensu addebat: ex ignorantijs, quæ Christiano populo nocent, hanc de CHRISTI Domini persona, ac diuitiarum, quas in ipso habemus, esse maximam: vtpotè ex qua ingentes tristitiæ, animæ defectiones, ac diffidentiæ illis proueniant, quasi non habentibus remedium: eum in modum, quo Iosephi fratres magna fame ac desolatione premebantur, eò quòd ignorarent, ipsum Iosephum fratrem suum in AEgypto regnare, & in eius potestate esse copiam & abundantiam illius regni, ad quod m DEVS *ipsum miserat pro ipsorum salute: vt ipsemet eis posteà dixit.*

k Iob 31.17
l Ioan. 1.12
m Gen. 45.5.

HIS & similibus alijs considerationibus acquisiuit etiam magnam opinionem & æstimationem accensissimi ipsius CHRISTI DOMINI nostri in nos amoris, ex quo beneficia in nos ab eo collata processerunt. Hoc ipse hac comparatione, deuotisque & feruentibus verbis declarabat: quò solis radij sunt vehementiores, eò splendor ex eorum reuerberatione vrit magis. Radij amoris ipsius CHRISTI DOMINI rectè tendebant ad cor æterni sui

Patris,

,, Patris, vnius amore & obedientia nos amauit:
,, quod si illi radij adeò erunt vehementes, eò quòd
,, amor in patrem suum adeò esset intensus: quàm
,, eorum splendor vehementer aduret? nulla est
,, lingua aut virtus quæ hoc valeat explicare. Hæc
,, illa vis est, quam insinuauit Propheta, cùm de eo
n Psal. 18. 6. dixit: n *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius: & occursus eius vsq; ad summum eius: nec est, qui se abscondat à calore eius.*
,, O amor diuine, qui à Deo exijsti, ac descendisti ad
,, hominem; & iterum ad Deum redijsti: non enim
,, hominem propter ipsum dilexisti; sed propter
,, Deum: adeoque illum dilexisti, vt, qui amorem
,, hunc benè consideret, nō possit à iucunda & ami-
,, ca violentia, quam infert cordi, se defendere.
,, Quis illum intuebitur, & in primo suo in mun-
,, dum ingressu tenerum, ac præ frigore sui causa
,, trementem agnoscet, qui tali ipsius amore non in-
,, flametur? quis eum in toto vitæ suæ decursu abie-
,, ctum, & honoris sui causa adeò malè à suis habi-
,, tum consideret, qui eum non maximi faciat? quis
,, eum in extremo vitæ constitutum, permittentem
,, in se à suis creaturis manus inijci, defœdari, li-
,, gno crucis configi, & in altum proprio sanguine
,, tinctum suæ salutis causa eleuari, qui non eum in-
,, de extractum secum exportet? si beneficia colla-
,, ta, cēlentur catenæ, bonaque opera impensa, pru-
,, næ, & torres accensi: animaque mea tot ab isto
,, Domino accepit: quomodo non tota accendatur,
,, & eius amore inflammetur? quod si amor vehe-
,, mentius impellit ad redamandum, quàm ipsa be-
,, neficia: (nam qui beneficium alicui facit, dat ei
,, partem aliquam eius, quod habet; at qui illum
amat;

amat, seipsum illi tradit cum omnibus quæ habet, nihil sibi retinendo) quomodo anima mea Deum non diligis? quomodo non eo saturaris, tibique ille satis est, qui Angelis cœlestibus est satis? si misero cæcoque mundi amore frigida aliàs corda in aliorum amorem accenduntur, cùm vident, se ab aliorum amore præueniri: & amantes ipsi accenduntur, & quodammodo vruntur, cùm se mutuò vident: quæ tua est durities anima mea, vt, cùm hunc Dominum amando non præueneris, saltem non reddas amorem ei, quem vides tot amoris sui erga te indicia dedisse? ei qui cor suum alteri obstrictum non habet, hæc dicta sufficient. His rationibus inflammabat P. Balthassar cor suum amore sui Redemptoris, qui prius ipsum dilexerat: dabatque operam, ne cor suum alicui creaturæ alligaret: vt diuinus eius amor feruentiùs in ipso arderet. Ob eandem causam studebat, profundiùs adhuc penetrare, vt reliquos titulos cognosceret, ob quos Christus Dominus noster dignus est, qui ametur, & æstimetur. Et ita dicebat illi; O Domine, quantũ te diligunt, qui te nouerunt! Pater tuus te diligit; Spiritus sanctus te diligit; Mater tua, Angeli tui, filij, & amici omnes amore tui exardescunt, flagrant & tenerescunt; omnes creaturæ tuæ profundam tibi exhibent reuerentiam: & ego solus te non diligam? ego solus ita ero in amore tuo frigidus, & in tua præsentia inurbanus?

§. II.

EX hac æstimatione, & amore erga Christum Dominum nostrum oriebatur, vt singulari quadã animi præparatione sese disponeret

ad præcipua illa festa, in quibus sacræ eius humanitatis mysteria celebrantur: diutius inhærens orationi, ac meditationi circa eadem: in quibus singulares accipiebat visitationes: vt apparet ex illis motibus, internisque animi sensis, quæ in suo libello ipse refert, se in illis diebus habuisse. Quorum duo hic proponam, in quibus apparebit, quam ipse diligentiam faceret, & quas consolationes ab ipso Domino reciperet. In nocte Natiuitatis adeò erat immersus præsentiæ Saluatoris, quem adorarunt Pastores, vt cùm, sumpta Collatione, conferret se ad communem cum alijs socijs
,, recreationem: cogitaui, inquit, me ire ad
,, gregem, cuius præcipuus Pastor est CHRI-
,, STVS: & occurrit menti meæ, quòd cùm ipse
,, esset bonus Pastor, non dereliquisset gregem so-
,, lum; sed adesset illi: cum qua cogitatione valdè
,, consolatus ad recreationem accessi, vbi illum
,, eram inuenturus. Deinde feruentia desideria
sua insinuat, & resignationem, qua se præparabat ad amplectendum & carendum solatio & consolatione, quæ sese insinuare incipiebat, di-
,, cens: Si illa nocte mihi euenisset iuxta votum
,, meum, sicut hæc fuisset magna consolatio, & iu-
,, cunditas: ita contrarium fuisset ingens deso-
,, latio: sed ad eum finem, cuius causa alterutrum
,, Deus mittit, eò est efficacius, quò est purius. Et
,, sic fui valdè consolatus.

SIMILE aliud sensum habuit in die Epiphaniæ: in quo, ait, cùm optarem valde pios habere animi motus de ipso festo, hoc quasi verbum

bum audiui: quid si DEVS nolit, te eos sentire? respondi, libentissimè ignorare volo, quod DEVS non vult mihi declarare. Quod si DEO placere cupias: nulla te afficit iniuria: cum hac ratione magis illi placeas. Et sic mansi consolatus, atque si plenè mihi fuisset satisfactum. Sed non reliquit eum Deus aridum, neque deuotione, quam cum tanta resignatione cupiebat, eum defraudauit. Nam statim pia hac consideratione valde illum est consolatus, perpendentem Magorum lætitiam, ex aspectu Stellæ: si enim in hoc exilio, & mœroris ac miseriæ loco lux, quam DEVS communicat, ita implet, ac satiat, vt Reges illi Magi statim atque Stellam viderunt, gauisi sunt a *gaudio magno valde*: quid is faciet, cui DEVS per hanc lucem sese communicat? Sine dubio ipse DEVS se tunc illi fruendum communicauit, vt ex alijs dulcibus ac teneris motibus, ac sensis ibi additis apparet, quæ sexto capite infra indicabimus.

a Matth. 2. 16

INTER omnia tamen Saluatoris mysteria singulari afficiebatur deuotione ad eius sanctissimam passionem, & mortem in cruce, quam valde suæ memoriæ fixam habebat, valdeque recreabatur de eadem meditari. Quare rogatus eo tempore de modo, quem in orando tenebat, respondit: sibi statim in ipso ingressu offerri sanctissimos Christi crucifixi pedes, quos ipse primùm adorabat: & ad eos constitutum, se meditari altissimam omnium virtutum lectionem,

quam ex crucis cathedra ſupremus ille Magiſter docuit: ex quo valde accendebatur ad ſe mortificandum, cruciqúe affigendum; ad amandos adiuuandosque proximos, pro quorum amore tantus Magiſter, tot labores ſuſtinuit. Adeoque ex hoc proficiebat, vt omnes Incipientes tradere ſe orationi, hortaretur ad meditandam CHRISTI Paſſionem, tanquam ſpiritualis eorum profectus fontem: & in ordinarijs ſuis exhortationibus hoc frequenter repetebat: Ne exiſtimemus, nos aliquid feciſſe, donec eò perueniamus, vt ſemper CHRISTVM ipſum crucifixum in corde noſtro geſtemus. Ipſum verò, ita CHRISTVM geſtaſſe, licet colligere ex corporali ipſius præſentia, quam ſcripſit ſibi communicatam in relatione, quam poſtea reddemus: licet exiſtimem, præcipuè illum hoc intelexiſſe de viua CHRISTI crucifixi imagine, quam eiuſdem Domini amor cordi noſtro imprimit, transformans nos in figuram, quam pro nobis in cruce accepit: vt ex omnibus noſtris viſceribus cupiamus viuere cruci cum ipſo, & pro ipſo affixos, dicentes cum Apoſtolo:
b Gal. 2. 19. b CHRISTO *confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Proficiebat præterea ex eo, quòd haberet ſemper in cubiculo Crucifixum, in quem frequenter aſpiciebat, & hac ratione inſignia accipiebat beneficia, & multarum veritatum lumen, quas ijs aperiebat, cum quibus agebat: & interdũ in Ecſtaſim rapiebatur, ingrediens mente per ſacratiſſima CHRISTI vulnera; vt in abyſſum infinitæ ipſius charitatis ac diuinitatis ſeſe immergeret. Denique ſingulari quo-

quodam ſenſu, ac feruore in ipſo CHRISTO crucifixo meditabatur, tres illos comites ipſius indiuiduos, qui illum ab ipſo præſepio per totum eius vitæ tempus, & adhuc in ipſa paſſione ac morte exactiùs ſunt comitati, Paupertatem, ſcilicet, Contemptum, & Dolorem; perpendendo, minutimque ruminando, cuiuſque illorum proprietates & circumſtantias. Cernebat illũ in cruce adeò pauperem, vt eſſet omninò nudus, nec aquæ guttam haberet, qua ſitim ſuam mitigaret, adeò contemptum, vt improbiſſimi alicuius inſtar medius duorum latronum poneretur: & ab omnibus blaſphemaretur: tot denique doloribus affectum, vt ab ipſis pedibus vſque ad verticem capitis nulla eſſet corporis pars, quæ horrendis doloribus nõ cruciaretur. Qua cõſideratione non ſolum emolliebatur ipſe, ſed ſe ipſum excitabat, ad quærendam & amplectendam paupertatem; ad amandum contemptum; ac dolores amplectendos: quemadmodum toto vitæ ſuæ decurſu oſtendit, magnifaciens ſemper ſpiritualem crucem: ex his rebus confectam, vtpote in qua conſiſtat perfecta Chriſti crucifixi imitatio; & (quod Apoſt. ait) [c] *mortificationem IESV in corpore circumferre*, eiuſq; [d] *ſtigmata*: vt in proximo cap. apparebit.

In capit. 48. hæc fuſiùs.

c 2. Cor. 4. 10.

d Gal. 6. 18.

§ (*) §

CAPVT IV.

AB IPSO TYROCINIO SVI ipsius mortificationem in rebus omnibus magno studio exercuit; totoq; vitæ cursu cum multis pœnitentiæ operibus est prosecutus.

SPIRITVS perfectæ orationis, quæ ad familiaritatem cum Deo Domino nostro peruenit, non est absque Spiritu veræ & integræ suiipsius mortificationis: quæ ordinariè tanquam dispositio præcedit ipsam orationem, vt cum vtilitate fiat; & eandem comitatur tanquam armatura fortis ad vincendas difficultates inter orandum occurrentes; sequitur verò eandem tanquam fructus, quem ipsamet oratio profert, ad exequendum, quæ in ipsa intelleximus, & optauimus. Si ad a *collem thuris*, hoc est, ad orationem spiritui suauem & iucundam ascendere velis, necesse est prius transire per *montem myrrhæ*, hoc est, mortificationem carni amaram & ingratam. Et quoniam in hoc DEI colle est b *statio Philisthinorum*, & exercitus hostium oppugnantium, eos qui in illo habitant: necesse est arma in promptu habere ad pugnandum contra eos: mortificando scilicet ac dissoluendo impedimenta omnia, ac difficultates ab hostibus nostris iniectas. Quod si in montem c *Thabor ascendisti*, teque per orationem in Chri-

a Cant. 4. 6.

b 1. Reg. 10. 5

c Matt. 17. 2.

1. Luc 9. 28.

Christi glorificati imaginem transformasti: non id fit, vt ibi sistas; sed vt descendas ad explendos, & exequendos amoris excessus, quos ibi hausisti: etiamsi multas mortificationes laboresq; subire oporteat, amplectendo ipsius Christi paupertatē, contemptum, ac dolores, crucemq; ipsam ex eisdem confectam tollendo.

Qvare cùm Christus Dominus noster vellet seruum, hunc suum facere perfectum, simul cum affectu, ac desiderio orationis impertiuit ei ab ipso initio sui Tyrocinij generosam quandam & firmam seipsum in rebus omnibus mortificandi voluntatem, animiq; decretum, vt simul & semel sibi ipsi omnibusq; rebus creatis mori, soliq; Deo viuere, & in eo requiem & solatium inuenire desideraret. Cùm enim caro magnam sentiat repugnātiam, timeatq;, ac tremat, cùm agitur de mortificatione, quia eam sibi, tanquam grauissimam iudicat crucem; & quò magis eam refugit, eò illa horribilior apparet: ideò magnæ prudentiæ est, ad eam ab ipso initio, & quidem maximo feruore ferendam sese offerre: nam vt ipse Saluator dixit: d *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: non alios vincendo, sed seipsos, proprium scilicet amorem iugulando: hac enim spontanea & fœlici morte euadunt mille mortes, quas sui ipsorum amatores immortificati subeunt, & e *gaudium* obtinent ac *pacem*, quæ est *regnum* DEI. Quare Pater hic BALTHASSAR dicere solebat, quòd quemadmodum Martyres (vt canit Ecclesia) mortis sacræ compendio, vitam beatam possident: ita Iusti benè mortificati breui quadam alia propriæ abnega-

d Matt. 11. 12

e Rom. 14. 17

,, tionis morte consequuntur quietem illam, quæ in
,, hac exilij regione potest obtineri. Sed quoniam
,, non statim & vno tractu seriam nostram abnega-
,, tionem amplectimur, fit vt semper gementes cru-
,, cem feramus, nec moriamur in ea: quod est Hypo-
,, critarum proprium.

§. I.

HOC itaque animi decreto cœpit hic vir arduum hoc exercitium; aggressusque est magno animo & spiritu mortificationem eius, quod solet esse maximè in homine profundè radicatum, improbam scilicet naturalem corporis constitutionem: quæ in initio arida erat, & aspera, secum, & cum alijs: de qua, ab alijs, qui illũ nouerant, monitus, eam ita correxit ac mortificauit, vt erga se quidem asperitatem retinuerit; erga alios verò magnam induerit facilitatem & suauitatem, eũ in modum, quo de S. Patre nostro Ignatio scribitur, quod naturalis eius constitutio esset valde cholerica: quam tamen mortificatione ita permutauit, vt omnibus appareret phlegmatica: ad cuius imitationem adeò Pater hic naturalem suam constitutionem mutauit, vt ex rigido ac seuero valde effecerit mitem, ac mollem.

AFFECTVM etiam carnis & sanguinis erga consanguineos, qui aliàs adeò est naturalis, & in multorum cordibus infixus, adeò ipse mortificatum ac subiectum habuit, atque si nec patrem, nec matrem, nec cognatos vllos haberet. nunquam ab eo audiebatur vnde esset, aut quos haberet cognatos; nec in eorum se negotia ingerebat. Et cùm Romam profectus est; quamuis eundo, ac redeundo tribus tantùm miliaribus à patria sua transi-

transiret: noluit tamen aut eò diuertere, aut vllo indicio ad se accersere. Et cùm eò profectus est, id fecit ab obedientia Patrum Prouincialium coactus; & postquam ipse multas rationes attulisset ad id impediendum: Ob quam etiam causam nihil vnquam voluit ab eis accipere, ne si id faceret, nouo aliquo vinculo ad eos inuisendos obstringeretur. dicebat enim, Religiosum virum debere tota sua vita in id contendere, ne cuiquam homini super terram cognato, amico aut consanguineo sese obstringeret, sed potiùs esse, sicut [a] *Melchisedech sine patre, sine matre*, aut aliquo consanguineo, qui quocunque modo religiosam eius libertatem lædat aut impediat.

[a] *Heb. 7. 3.*

VALDE etiam studuit sensus suos mortificare, ita, vt in nulla re eorum propensioni acquiesceret. Videndi curiositatem mirum in modum vicit: dum enim Romam esset profectus, vbi tot sunt res visu dignæ, abstinuit tamen: ac dum alij ad eas videndas excurrerent, ipse ad corpora sanctorum in oratione manebat, quorum reliquias magno affectu venerabatur. Cùm esset Collegij Metinensis Rector, ac die corporis Christi iret in processione, aduerterunt multi, eũ toto tempore, quo processio illa durauit, oculos ita sanctissimo Sacramento infixos habuisse, vt nunquam eos inde auerterit ad saltationes & alia, quæ ad celebritatem illam exornandam fiebant, magnamque illi occasionem ea aspiciẽdi dabant. Et quadam opportuna occasione ipsemet retulit, quòd, cùm Vallis-Oleti esset, in solenni & publico quodam sanctæ Inquisitionis Actu, contigisset sibi locus, ex quo non poterat theatrum, in quo ipsi Inquisitores &

publicè pœnitentes erant, aſpicere, quin priùs multas fœminas, quæ in altero theatro ante ipſum erant, aſpiceret. Quod cùm ſibi videretur valde indecens, & incommodum, extraxerit quandam beatiſſimæ Virginis imaginem, quam ſecum portare conſueuerat, in quam ita oculos & cor ſuum infixit, vt cùm actio illa publica per ſeptem integras horas duraſſet, nunquã oculos ſuos ab imagine ipſa diuertiſſet; neque magis fuit conſcius eorum, quæ ibi geſta eſſent, quàm ſi præſens non fuiſſet.

NEC minori cura, ac diligentia guſtatus ſenſum mortificauit: nam, quando cibus aliquis benè illi ſapiebat, ſtatim à ſe remouebat: & minimùm optimum bolum relinquebat, dicens: decere, Deo illum relinquere. Nec permittebat aliquid particulare ſibi in menſa apponi. quod ſi quando aliquid tale apponeretur: illud ſibi proximis dabat. Imò ſi ordinaria portio, melior illi contingebat, quàm ſibi aſſidenti; eam cum illo commutabat, ac deteriorem pro ſe accipiebat. Quod ſi quando diſſimulanter, deteriorem panem, ac duriorem ſibi accipere poterat: id faciebat, apponens meliorem, & molliorem ſibi aſſidenti. In cubiculo ſuo nunquam voluit aliquid retinere ad indulgendum palato, etiamſi illi aliàs multa mitterentur: ſed curabat, vt infirmis darentur.

CVM ægrotaret, quò maiori inappetentia & faſtidio laborabat: eò maiorem ſibi vim infere-

ferebat, vt quod apponebatur, comederet: quia ipsa cibi sumptio tunc erat gustatus mortificatio, & cruciatus. Potiones, & purgationes ex Pharmacopæo, etiamsi amarissimas, sumebat cum mora, & paulatim vsque ad vltimam guttam: imò in ipso ore vltimam partem retinebat, quasi illud abluens: vt sic potionis acerbitatem diutius gustaret. AEgrotanti semel apposuerunt pullum non apertum, sed plumis tantum ablatis coctum: & quamuis ingratissimum haberet saporem, comedit tamen ex eo, vt se mortificaret: donec idem ille, qui apposuerat, id aduertens, ex mensa abstulit. Sed has omnes mortificationes ita facere studebat, vt nullus aduerteret, vt sic honorem & opinionem fugeret, quam homines de sese mortificante concipiunt: Sed non poterat illas occultare: quia omnes attentè obseruantes id deprehendebant.

Cvm semel in hospitio quodam vix aliud ad comedendum haberet, quam vnum ouum, studio permisit cadere in terram, cum aliquo indicio, quasi inaduertenter cecidisset: quod tamen socius, studio factum aduertit, vt se etiam in illo exiguo cibo, qui aderat, mortificaret. Hostis erat rerum boni odoris extra Ecclesiam, & locum alicuius ægroti, quando id erat necessarium. Et eodem mortificandi se spiritu, etiam cùm esset superior, immunda loca purgabat. In proprio cubiculo incommoditates quærebat, vt essent mortificationis materiæ. Abulæ elegit

sibi

ſibi aliquando cubicellum, in quo vix poſſet ſe mouere; nec vlla eſſet menſa: ſed in quodam aſſerculo Breuiarium, & quoſdam alios libellos collocabat. Nunquam in coriacea ſede ſedebat; aut in alia, quæ retro haberet reclinatorium, etiam cùm eſſet conualeſcens, & corpus aliqua requie indigeret; ac propterea nunquam in cubiculo ſuo habuit niſi ſellam ligneam plicatilem ſine reclinatorio.

SEVERIOR fuit, ac valdè rigidus in aſpera corporis ſui tractatione, dicens: animam quæ amore Chriſti Domini noſtri vulnerata eſt, non eſſe contentam, niſi vt ipſum corpus vulneretur: nam tunc quemadmodum in ipſis cordibus eſt ſimilitudo, quando vtrunque eſt vulneratum: ita inter eius corpus & ſacratiſſimam Domini ſui humanitatem, quam læſam videt, & vulneratam. Quare, cùm eius Dominus non mittit corpori dolores & morbos, ipſemet hoc ſibi aſſumit, vt proprium corpus affligat & vulneret. Ita ergò ſanctus hic vir faciebat. cùm enim S. Pater noſter Ignatius in libello exercitiorum adeò commendet ijs, qui ſe dedunt orationi, vſum pœnitentiarum & afflictionum corporis, magnus erat inter noſtros ſimul cum oratione ſpiritus & vſus Pœnitentiæ: vt quotidie cilicium geſtarent, bis in die, mane ſcilicet, ac veſperi diſciplinas facerent; & vnamquamque vltrà horæ quadrantem: dormirent ſuper aſſerem; ſemel tantum in die comederent; extenſis brachijs in modum crucis per horas aliquot ſtarent; in triclinio per vnum, aut etiam duo Miſerere diſciplinas facerent; & ſancta alia exercitia, quæ ignis diuini amoris in illo-

illorum cordibus ardens adinueniebat, vt seipsos persequerentur, dureque tracterent: conantes sancta quadam æmulatione alij alios excellere. Et qui sanctum hunc Patrem nouerunt, affirmant, eum hac in re alios excelluisse. Qui cùm ferè semper esset Superior, maiorem habebat ad magnas pœnitentias præstandas authoritatem & libertatem. Adeò seueras quotidiè in toto corpore à pedibus vsque ad caput disciplinas faciebat, vt Tyrones Metinæ, per modum exaggerationis dicerent, quod faceret tremere totum illud latus domus in quo illas faciebat. Fuitque opus, vt Prouincialis terminũ illi præscriberet ac limitẽ: & Cõfessarij aduertentes, quòd ex mala corporis tractatione sensim imminueretur, & cõsumeretur cilicijs, abstinentijs, & in affere cubationibus, illum iusserũt omnia hæc moderari, ne salus, & ipsa eius vita consumeretur, sicut multis alijs ex nostris eadem ex causa euenit.

§. II.

Nec satis sibi existimabat esse hanc externam corporis & sensuum mortificationem; sed maiori adhuc cura ac diligentia studebat propriæ voluntatis mortificationi, vtpote præstantiori, maioriſque momenti, ad profectum in spiritu, & in omni virtute; & ad maiorem cum diuina voluntate in rebus omnibus conformitatem: quod est supremum perfectionis culmen. Et hoc nomine hunc ei sensum dedit Dominus, quem in suo refert libello, sermonem de seipso tanquam de tertia persona faciens: intellexit, inquit, Deum Dominum nostrum

„ ſtrum nolle, nos rebus huius mundi oblecta-
„ ri: quia facilè voluntas eas ſequitur; nec vult,
„ nos id ſequi quod voluntas propria ſuggerit;
„ ſed contrarium amplecti; nec vlla re nos ob-
„ lectari, niſi è cælo & à manu ſua veniente; ſic-
„ ut Figulus lutum comminuit, calcat, & huc il-
„ luc vertit, donec molleſcat: ita Dominus noſter
„ in ſuis operibus adeò exactus, vult noſtram vo-
„ luntatem ipſius voluntati ſubiectam valde ac re-
„ ſignatam, ideoque eam terit, & inuertit, do-
„ nec ſit valde mollis, ac facilis, & ad nutum
„ ipſius prompta & ſubiecta, quemadmodum e-
„ quus ſeſſori ſuo: quamuis ſi quod opus rude aut
craſſum ſit conficiendum, neceſſe non ſit lutum eſſe adeò facile & tractabile. Quod myſterium adeò magnum, ait, cùm prædicta illa perſona intellexiſſet, valde fuit admirata; ac per illud magna Dei experta in ſe beneficia: hæc ille in ſuo libello. quibus verbis apertè ſatis oſtendit, ſe re ipſa executum hoc documentum, & copioſum ex eo fructum collegiſſe. Et ita verè ſuam voluntatem valde mortificabat, etiam in rebus aliàs bonis, ſi illum à melioribus retardabant, quemadmodum ſuperiùs aduertimus, cùm diceremus de eius anxietate, vt poſſet tempus habere pro oratione: quia hoc nomine deſerebat, & abſtinebat ab agendo cum proximis: & cùm diuina inſpiratione cognouiſſet, anxietatem illam ab amore proprio procedere, quo propriam quietem, & ſolatium potiùs quæreret, quàm purum Dei obſequium: ita anxietatem illam mortificauit, ac vicit, vt cum magna de-

lecta-

lectatione occasiones amplecteretur agendi cum proximis, existimans, se ibi maius Dei obsequium, quod quærebat, inuenturum. Quare perpendens illam quam Apostolus flens dixit sententiam, a *quod multi essent inimici crucis Christi*, loquens cum ipso Christo dicebat: ex nunc Domine protestor, meam animi quietem nolle in eo ponere, vt plus temporis conquiram ad mea desideria etiam bona explenda; sed in mei ipsius iactura propter te; non in eo, vt plus mihi tribuas, quàm habeam, nec in sanitate, aut commoditate alia habenda: sed in eo, quod tibi placet. & quò tu fueris in hoc liberalior, eò maius studium fauoremque tuum erga me interpretabor: eò quòd sim tuæ crucis amicus, & cupiam Apostoli tui lachrymas temperare. non iam igitur consolationem meam in eo ponam, vt faciam quod ego volo; sed in eo, quod tu vis. malo non offerre tibi aliquid, quàm tempus furari, vt id faciam. Hac animi fortitudine priuabat se hic vir Dei suis solatijs & spiritualibus delicijs: vt magis Deo placeret. quod fit, cùm sancta eius voluntas exsecutioni mandatur. Eadem quoque animi fortitudine proprium iudicium, honorem, & opinionem mortificabat; & vniuersim quamcunque haberet ad creaturas propensionem & affectum, qui quocunque modo posset feruentem suum in Christum amorem imminuere. Pater quidã illi familiaris retulit: quòd cum aduerteret eum per dies aliquot continuè cogitabundum, quasi aliquid sibi deesset, aut aliquid pateretur: causam interrogauerit, qui respondit: cõtendo in me ipso efficere, vt ita viuam,

a Phil. 3. 18.

quasi

quasi essem in Africæ desertis; & vt cor meum ita sit ab omnibus huius vitæ rebus, & humanis personis expeditum, sitque adeò solum, & à creaturis separatum, atque si re ipsa in desertis locis habitarem. Et ita reuera id à seipso obtinuit, vt inferius apparebit: quod est indicium continuæ ac feruentis internæ, & externæ mortificationis eius. Ex quo oriebatur vt continuè se ipsum quasi persequeretur, sibique negaret quidquid natura appeteret, non solum in rebus maioribus, sed etiam in minutissimis: dicebat enim, substantiam mortificationis in eo consistere, vt in rebus omnibus etiam minimis adhibeatur; vt non solum rectus ac perfectus in ipso statu suo esset, sed etiam eius minutijs, sponsam æmulando, cuius b *manus stillabant myrrham, & digiti* vsque ad extremitatem *pleni erant myrrha probatissima*. Et qui eò vsque peruenerit, dicere poterit: c *consummatum est*, quidquid scilicet Dei voluntati repugnabat; ventumque ad extremum, quò ex parte nostra potest perueniri. Et ita euenit ipsimet Patri Balthassari: qui continua sua hac mortificatione abstulit omnia sui profectus impedimenta; vicit passiones suas, & obtinuit magnam spiritus libertatem, suique ipsius, & affectuum omnium tam exactum dominium: vt nemo illum turbatum, aut iratum videret. Quando autem alium reprehendere opus erat, ita hominis irati laruam induebat, vt statim totus compositus, quietusque maneret, quasi nihil tale egisset: passiones enim, quæ antea ipsum impediebant, nunc non solùm non nocebant; sed rationi ipsi obtemperabant in ijs, quæ illa iubebat: quod aiebat esse grande miracu-

b Cant. 5. 5.

c Ioan. 19. 30.

raculum gratiæ Dei: cuius virtute, qui antè nos oppugnabant, ac lædebant, iam prosunt, & adiuuant.

EX eadem mortificatione procedebat exterior eius compositio adeò iucunda & religiosa, vt ex se efflaret odorem quendam sanctitatis, ipsumque aspicientes, etiam componeret: eius modestia, erat magna; vultus hominis pœnitentis, & in Deo suo existentis; oculi nonnihil sublachrymantes; & grauitas quædam neminem offendens, sed omnibus amabilis, eò quòd vultum gereret lætum, absque tristitiæ indicijs, etiamsi multæ eius caussæ adessent. Multi viri graues affirmabant, non solùm se illius verbis iuuari, sed vel sola eius præsentia; Et quòd talis esset modestia, & sanctitas quæ in eo elucebat, vt in eo rectè videretur habere locum quod S. Iob de se dixit: d *lux vultus mei non cadebat in terram*, nihil enim faciebat, quod pudorem illi adferret, aut à sua grauitate & authoritate degeneraret: qui est perfectæ mortificationis effectus, tenentis affectus omnes interioris hominis motusque exterioris intra certos limites. d Iob 29.24.

DENIQVE vehemens studium ac desiderium, quo Sanctus hic vir cupiebat habere semper spiritum suum cum Deo coniunctum per continuatum amorem, & familiaritatem, cum eius maiestate, prodit, quantam vim & affectum adhiberet in mortificatione suiipsius: quia e *fortis est*, *vt mors dilectio, ac dura sicut infernus* siue sepulchrum ipsa *æmulatio*, ad extinguendum planeque destruendum quidquid hanc cum suo dilecto vnionem impedit: adeoq; est profusa ad dandum quidquid e Cant. 8.6.

petitur, quò possit assequi, quod diligit, vt nihil omninò neget, quamuis pretiosum, aut pœnale, aut insipidum, & ingratum sit. Hoc ipsum explicabat ipse Pater, exemplo Sichem cupientis Dinam ducere vxorem, nam ex vehementi amore erga illam, f *dixit ad Patrem, & fratres eius, quæcunque statueritis, dabo: augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem:* & quidem opere ipso præstitit, quod obtulerat. nam petentibus, vt ipse, & totus eius populus circumcideretur amor tantam ei dedit eloquentiam, vt persuaderet toti populo, vt omnes annuerent, & circúciderentur: ita qui seriò vnitionem cum diuina Maiestate desiderat, ingenuè & liberaliter offert, quæcunque hoc nomine ab ipso petantur: modicum reputans, quidquid peti possit. Et quoniam Deus pro pretio doteque principali petit spiritualem cordis circumcisionem, & perfectam amoris proprij totiusq; populi, appetitionum scilicet, & passionum mortificationem, ad omnia hæc præstanda meritò se offerre debet: tantamq; adhibere in persuadendo efficaciam, vt omnes animæ facultates, ac sensus libenter circumcidant, ac remoueant quæcunque superflua, & hoc sibi ducere debet honori & authoritati; gloriariqúe, quod in se valde exprimat ac referat Christum Dominum nostrum, eiusq; Sanctos Apostolos ac discipulos. Et cùm aliquando meditaretur verba illa S. Ioannis: g *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius* &c. hunc sensit internum motum: existente Christo Domino nostro in cruce, duxerunt sibi honori qui ipsius erant, vt starent

f Gen 34.11.

g Ioan.19.25

prope

prope crucem: eoq; maiori honori & commodo proprio tribuebāt, quò magis propè illam essent, id quod illis prouenit ab Spiritu Christi operante in ipsis, quod in eodem ipso Christo. Ipse pendet in cruce, eiusque mater ac iusti sunt prope: at mater ipsa propior: peccatores autem remoti manent ab ea: ac propterea dixit Dauid: h *longè à peccatoribus salus.* h *Psal.* 118. 155.

CAPVT V.

EMISIT TRIA VOTA, CASTITATIS, Paupertatis, & Obedientiæ: quæ perfectè semper custodiuit.

QVONIAM Societatis Institutum obligat suos ad agendum cum omni genere proximorū, etiam perditorum, hæreticorum, aut infidelium, vt eos ad Deum suum reducāt, eorumq; animas saluent, constituit, sedesq; Apostolica & S. Concilium Tridentinum approbauit, vt Nouitij exactè probentur, non solum per vnū annū, vt in reliquis Religionibus fit, sed per duos etiam integros: quibus finitis edant tria vota, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: quæ, licet sollennia non sint, sufficiunt tamen ad hoc, vt tales verè sint Religiosi, quemadmodum expressè definiuit ac declarauit Gregorius XIII. ac proinde obstricti manent, quod in ipsis est, ad vitam in ipsa Societate perpetuò ANNO 1557.

ducendam, & obseruanda prædicta vota eo modo, quo in eius Constitutionibus & Regulis declaratur. Iuxta quam constitutionem Pater Balthassar duobus Tyrocinij sui annis expletis, hoc est, Anno 1557. cùm Abulæ studijs vacaret, tria prædicta vota magna animi sui consolatione & spiritus feruore sponte, ac liberè emisit: seipsum offerens ad perpetuum Dei Domini nostri obsequium in eo statu, ad quem vocatus erat: in quo adeò erat contentus, ipsique ita plenè satisfiebat, vt quemadmodum chirotheca manui, & vagina gladio accommodatur, ita Religio Societatis illi aptaretur, & eius spiritum animumq; expleret. Sed quoniam perfectionis excellentia non consistit in permittendo Deo res grandes, sed in expledis cum magna excellētia: videamus, cum quanta vir hic sanctus per totam vitam tria prædicta vota custodierit. Quam excellentiam conijcere licet ex ijs, quæ proximo capite de insigni eius mortificatione sunt dicta: siquidem (teste S. Thoma) horum votorum finis est remouere tria maxima impedimenta Euangelicæ perfectionis: amorem scilicet voluptatum sensuum: diuitiarum, & temporalium commoditatum cupiditatem; & superbam propriæ voluntatis libertatem ac iudicium in directione & gubernatione suiipsius. Et quoniam talia impedimenta non eo solo ex corde euelli possunt, quod rebus externis renuncietur: necessaria est insignis valde mortificatio, qua omninò ex corde eradicentur; & virtutes Castitatis, Paupertatis spiritus, & Obedientiæ (quæ sunt illorum destructio & interitus) perfectè obtineantur.

2.2. Quæst. 186. art. 6.

§. I. EIV

§. I.

EIVS CASTITAS.

PRIMVM Pater hic Balthassar tota vita sua studuit in virtute CASTITATIS excellere, in eaque perfectione eam coluit, quam Regula nostra exigit, imitando scilicet Angelicam puritatem in mentis & corporis nostri munditiam. Ad quod præstandum omnia illa media, quibus ea defenditur, conseruatur, ac perficitur, adhibebat. Quomodo enim non censeatur Angelicam Castitatem coluisse eum, qui adeò seuerè corpus suum, vt dictum est, castigabat, vt spiritui esset subiectum, & ne sensualitas contra rationem rebellaret? quomodo non haberet magnam cogitationum puritatem, qui ita suũ visum mortificabat, vt, ne fœminas aspiceret ante se existentes in publico sanctæ Inquisitionis Actu, (vt diximus) oculos suos per septem horas in sacratissimæ Virginis imaginem, quam secum ferebat, confixos habuerit? & quomodo non esset purissimus, qui adeò erat Virgini, & puritatis matri addictus? de qua vel cogitando adeò delectabatur? & quomodo non vinceret tentationes castitatem oppugnantes, qui adeò in promptu habebat potentissima contra illas arma, continuam scilicet ac feruentem orationem? ipsemet fassus est aliquando, se hoc beneficium & gratiam à Deo accepisse, vt nec motus, nec sensuales inclinationes in se sentiret, ob continuatam deuotionem & recollectionem internam, qua semper se gerebat in præsentia diuina. Qui enim semper attendit, se à DEO aspici in omni loco, etiam

secretissimo: operam certè dat, ne quid admittat eius præsentia & conspectu indignum. Quare religiosissimus hic vir tres illos virtutis huius gradus est assecutus, quos iuxta Seraphici Doctoris sancti Bonauenturæ doctrinam in hac virtute constituebat. *Primus* est, certissimum animi decretum non offendendi DEVM Dominum nostrum in hac materia, nec lethaliter, nec leuiter; sed resistendi cum omni diligentia cogitationibus ac motibus sensuum. *Secundus*, in quo caro adeò est Spiritui subiecta, vt rarò idque leuiter is tentetur: facileque victoriam obtineat, nisi culpa sua se vinci patiatur. *Tertius*, in quo adeò sunt sensuum passiones domitæ, ac debilitatæ, vt vix percipiãtur; tantusque est rerum huiusmodi contemptus, vt cùm eas audire, aut sermonem de eisdem miscere sit necesse: non magis moueri se sentiat, quàm si de lapidibus aut luto sermo esset: qui gradus nonnisi ex DEI speciali gratia obtinetur, quem tamen ipse aliquibus suis Electis largitur, & huic seruo suo communicauit: quamuis priusquam illam obtineret, strenuè contra tentationes pugnauerit. Cùm semel Iuuenis quædam nec inelegans fœmina, aliquò proficisceretur, aggressa est castissimum hunc virum, tanquam alterum Ioseph: ipse verò ad consuetum Orationis refugium recurrens, non solùm ab eo periculo se liberauit; sed ipsam quoque fœminam DEO lucratus est: effecitque, vt sui peccati pœniteret, & confiteretur. Nec tamen hæc victoria securum ipsum reddidit: nam potiùs cum humili suæ debilitatis timore, conseruabat Castita

De Praeſ. n. 6. Religionis §. 40.

ſtitatis theſaurum, fugiens omnes occaſiones etiam minimas, labendi in rem aliquam contra illam. Hunc ſuum timorem explicans dicebat: non eſſe in tanto periculo eum, qui ex ſubtili ſtamine in turri aliqua alta penderet; atque is, qui poſitus eſt in occaſione puritatem ſuã amittendi. Idem autem Dominus, qui Caſtitatis donum ei fuerat largitus, eundem docuit cautelam, quanti deberet ad eandem conſeruandam: ſuggerens ei hanc de humanæ miſeriæ cogitationem, & ſenſum: Cùm DEVS Dominus noſter ante paucos dies fontes tui Nihili tibi oſtenderit, teq; talem ſis expertus: quomodo ſcandalizari potes ex alienis lapſibus; aut non eſſe valdè cautus de proprijs? hinc didicit ſummam adhibere cautelam, ne vnquam ſolus eſſet cum fœmina: & cùm aliquam viſitabat, nunquam prius ſedebat, quàm etiam ſocio ſedes adferretur. Et quoniam ipſe cum multis ſpiritualibus fœminis agebat; cum ijs dicebat maiorem eſſe cautelam adhibendam, eò quòd ſpiritualis amor ſoleat transgredi limites ſuos, & fieri carnalis; & optimum vinum conuerti in fortiſſimum acetum: quod tamen non ita aduertitur, donec mutuæ volũtates ita coniunctæ & agglutinatæ, vt quamuis illibenter & cum aliquo doloris ſenſu, potiùs à Deo, quàm à ſe inuicem diſcedant, & ſeparentur, ne ſe contriſtent; iudicantes, non decere, ſibi in illo amore teneroque affectu deeſſe, & tunc Dæmon accedit, & ignem accendens, illos excæcat, & illaqueat. Imò etiam cùm ſolus eſſet, valde erat cautus, dum ſe exueret, & ſurgeret: vtrumque enim faciebat magna cum

11. Auguſti 1575.

honestate, vt nullam corporis sui partem videret. addebatque: valde esse attendendum circa modum iacendi in lecto, vt semper compositio religiosa sit, & honesta: nam, si Religiosi non habent omninò extinctum patiendi desiderium, quid leuius eis euenire potest, quàm non se discooperire in æstate, cùm sani sunt, & tegumenta moderata habeant? & quomodo hanc decentiam seruabunt, cùm febre aliqua grauiter incalescunt, & nemo illos videt: nisi ad eam seruandam sensim assuescant?

§. II.

PAVPERTAS.

SANCTAE PAVPERTATI fuit valde addictus, vt Saluatorem nostrum imitaretur, de quo excelsas habuit cogitationes, vt postea dicemus; & valde persuasus: in ea consistere substantiam Religionis solebat dicere: nemo sibi puluerem in oculos inijciat; nec sibi de sensis, illustrationibus & spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu bolum hunc Paupertatis Euangelicæ adeò amarum deglutiat. Tunc autem deprehendet, an illam amet, si eius etiam comites diligat, famem, sitim, frigus & contemptum. Qui enim in vestibus quærit honorem, ne vilis habeatur, non diligit paupertatem; qui, dum sitit, non potest sitim aliquamdiu tolerare, sed animalis alicuius instar proijcit se ad aquam: is non studet paupertati: qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi, decipitur. Iuxta hunc sensum practica-

cticabat ipse paupertatem, eligens sibi, quod deterius erat, tam in cibo, quàm vestitus, & habitationis commoditate. Imò etiam in ipsa sacristia notabatur, quòd studiosè acciperet pauperiora ornamenta ad Sacrum faciendum, dicens, quod etiam in ea re sese insinuaret vanitas & curiositas.

OPTABAT deesse sibi aliquid etiam in rebus necessarijs: ideoque non solùm nunquam aliquid petijt, sed neque accipere voluit quidquam sibi à multis dominabus, quibuscum agebat, oblatum; tum vt paupertatem custodiret; tum ne suam amitteret libertatem, mancipium se constituens eorum, qui aliquid ipsi darent. Et quamuis (vt ait S. Hieronymus) sæculares homines ostendant se indignari, cùm non accipitur, quod ipsi donant: ijdem nihilominus pluris faciunt non acceptantem: magna enim est vis ac veritas sanctæ paupertatis. Nunquam induit vestem nouam, sed prius curabat, vt iam facta alius aliquamdiu vteretur; & tunc demum ipse illam induebat. Imò nec nouos calceos, donec aliquis alius per dies aliquot eis vsus, iam splendorem recentium amisissent. Exhortationes, quas faciebat, etiamsi magni essent momenti: eas tamen non in munda charta, sed in operculis litterarum scribebat, vt & in hoc paupertatem exerceret. In cubiculo suo aliqua etiam necessaria deerant. Nam cùm Concordantijs indigeret, dicebat, se malle aliquot passus impendere eundo ad Bibliothecam communem, quàm apud se illas habere; vt sic magis coleret paupertatem. Nec aliam sedem apud se habebat, quàm scabellum, aut sedem sine Reclinatorio: &

cum aliquis insignis tituli, aut dignitatis vir ipsum visitabat, valde lepidè illi dicebat: Dominatio vestra sedeat nunc in hoc scamno, tanquam in domo Pauperum; etiamsi in vestra domo plures sint ac superfluæ sedes, in quibus licebit postea commodiùs sedere: & ipsi Domini plus hac ratione ædificabantur, quàm si cubiculum vidissent etiam Imperialibus sedibus plenum. Metinæ donarunt ei semel eleemosynę nomine sedem quandam holoserico opertam: & tunc dixit, velle se eam in loco totius domus nobilissimo collocare: Ironicè. Quare illam misit ad culinam; vbi tam diu mansit, donec consumeretur, ac dissolueretur: vt nouitij ad iuuandum cocum ingredientes cogitarent, debere se vitam suam contrario modo instituere, quàm suadeat mũdus; & nihili facere, quod ille facit magni. Horrebat res curiosas, etiã pias, secum gestare, quales sunt Imagines, Reliquiaria, Agnus, Grana & similia, eò quod huiusmodi rebus nimium cor Religiosi adhærescat: quod prodit impatientia, qua mouentur, cùm tale quid eis aufertur. Et quamuis id fieret prætextu alijs ea donandi, expedire dicebat, laborem hunc & onus deponere, vt cor in solo Deo suam cõsolationem poneret. quare aiebat, Paupertatis cultores, qui se suis commoditatibus priuarent, experiri illud Dauidis: a *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*: qui autem suas commoditates quærunt non habere hoc excitatorium, vt meminerint Dei, eiusque solatium accipiant. Et hinc inferebat ipse amorẽ Dei, & fiduciã de eius diuina Prouidentia esse compendiosa, at Sufficientia remedia Paupertatis: verè enim diligenti

a Psal. 76. 4.

Deum

Deum nihil deesse; non quod bonorum abundantiam domi suæ habeat; sed quod in eius anima desit illorum cupiditas: nam nihil desideranti eorum, quæ in foro veneunt, quidquid in eo est, superfluum illi esse. Qui Deum in veritate amat, amorem suum à rebus alijs retrahit; & in hoc vno illum collocat, vt hanc solam obtineat, cuius causa reliqua omnia vili æstimat. Et nunquid negabit Deus frustum panis, non esurienti aliud, quàm ipsummet Deum, cùm ipse dixerit: b *quærite primùm Regnum Dei, & reliqua omnia adijcientur vobis*? aut aliud poterit sibi persuadere, qui nouerit ipsius Dei viscera, & consilia, ac media, quæ ipse adhibet, vt quos ad gratum sibi obsequium elegit, à terrenis curis expediat? timeamus igitur & amemus Deum, quia, vt Dauid dixit: c *Non est inopia timentibus eum.*

S. Augustin. ep. 109. melius est minus egere, quàm plus habere.

b *Matth. 7. 33.*

c *Psal. 33. 10.*

§. III.

OBEDIENTIA.

OBEDIENTIAM magni semper faciebat, dicens: eam esse rectam Dei viam, qua anima deponit omnia dubia, & perplexitatem; siquidem eam Deus tanquam certam regulam constituit in rebus omnibus, in quibus peccatũ nõ cernitur: amplectendo & sequendo quod sentit & ordinat vnus homo, qui nobiscum versatur, cui se anima integrè tradit, confidens Deo, quòd per tale medium sit ipsam gubernaturus. Et quamuis sæpe eueniat, talem hominẽ inferiorem esse in literis, virtute, & experientia: non propterea vacillat securitas, si ei obediatur: nã quòd Obedientia sit recta no consistit in sapientia, bonitate, & prudentia Superioris; sed in ordinatione ac

ne ac directione Christi Domini nostri: quemadmodum, quod idem Christus in sacra hostia contineatur, non dependet à bonitate, ac pietate Sacerdotis consecrantis, sed ipsiusmet Christi id volentis, & constituendis. Et quando ipse cor tuum permouit, vt ipsius amore subijceres te Superioribus Religionis, præuidit ipse benè, te nonnunquam habiturum superiorem aliquem, rerum ignarum, & exiguæ virtutis: & nihilominus voluit te illi subijci: quia nouit eius ignorantiam, & exiguā virtutē ita dirigere, vt tibi nō noceant, sed prosint potiùs: eiusque ordinatio sit profectus, & exaltationis tuæ causa. Quare superiorum acceptator, vt huic se subijciat, alteri non: suspectus est de inobedientia: quemadmodum in fide censeretur suspectus, qui prostratus adoraret aureum vel argenteum crucifixum, nollet verò ligneum: cùm ratio adorationis in omnibus sit eadem, scilicet Christus. Ex quo ille deducebat, vnum ex maximis beneficijs, quę in Religione habemus, esse Obedientiam, & hanc Dei in rebus omnibus etiam minutis directionem, neque est a *via à Samaria, vsque Iordanem* adeò *plena vestibus & vasis* preciosis, atq; est Obedientia Religiosa excellentibus virtutibus referta. Quare cùm anima incipit sentire, quid sit gubernatio Dei, statim etiam incipit Obediētiam magni facere, ex qua tantum videt boni sibi accedere, sentiens quantum in ea honoris, diuitiarum & profectus accipiat ab ipso Domino, qui ipsam ad se vocauit, & conuertit, iuxta illud Dauidis: b *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit,*

a 4. Reg. 7. 15.

b Psal. 22. 1.

uertit, ac deduxit super semitas iustitiæ.

HAE VERITATES fulciebant eius obedientiam, consolationem, & vtilitatem. Nam ab ipso Tyrocinio excelluit in Obedientia ad nutum, æmulans sanctos Patres, qui etiam literam inchoatam relinquebant, vt ad id, quò vocarentur, se conferrent: & totius vitæ decursu honori sibi tribuit, ita exactè obedire: magnam ducens inurbanitatem, quòd vel ad momentum hereret in Obedientia præstanda, & respondendo vocanti Domino. Et cùm esset Superior erat omnium primus ad communes Obedientiæ actiones: & cùm ad aliud Collegium diuerteret, erat valde subiectus illius loci Superiori. Et cùm semel in quodã Collegio vellet extra illud celebrare, diceretur autem illi ex parte Superioris, ne id faceret: in momento, & nullo verbo prolato, voluntatem illam deposuit; cùm tamen nihil nocere aliàs iudicaretur, nisi quòd ita visum esset Superiori. Et prouinciæ suæ Visitatori ad nutum etiam obediuit in duabus rebus grauissimis, in quibus honor eius & solatium periculo exponebantur: vt suo loco videbimus. Eos, qui sub Obedientia viuerent, aiebat ipse, posse, si vellent, magno quodam priuilegio gaudere: hoc est nec aliquid aggredi, neque à cepto desistere suâ, sed Dei ipsius voluntate: qui ingens est thesaurus. Qui autem sibi ipsi grauis est, & occupat se cogitatione rerum agendarum ac temporis & horæ, qua illæ sunt agendæ: is hoc remedio vtatur, vt animæ suæ dicat: iam non est tibi solatio, quòd scias, qua hora velit Deus, te surgere? quomodo indui? quomodo ali? magna certè iucunditas, & suauitas conuersa

c *Thren.* 4.1 uersa est in magnum cruciatum. c *Quomodo obscuratum est aurũ, mutatus est color eius optimus?* Quis te coëgit, vt cùm esses liber, te ipsum ligares? idẽ spiritus, qui fraudes, dolosque latentes tibi retexit, idem ad hoc mediũ, tanquam ad ingentẽ thesaurũ reduxit, & iam parui eum facis? Ad S. Paulum misit Deus Ananiam, & hoc tu non aduertis?

d *Isaiæ* 14. 12. d *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?*

AD Hoc ipsum propositũ perpendebat valde verba Angeli Raphaëlis ad Tobiam: cũ obstupescerẽt, quòd Angelus Domini talia erga ipsos officia & obsequia præstitisset: e *cùm essem vobiscũ, per voluntatem Dei eram.* Et iuxta hanc sententiam dicebat: in Dei domo nullum esse officium vile. & de se ipso in libello, in quo notabat interna sua sensa, sic ait: In hoc ego meam fœlicitatem pono, quòd Deus velit opera mea vti in vilissimis totius meæ Religionis officijs. Nam quando hoc ego sum promeritus, vt ipse velit obsequio meo vti, & me in rebus obsequij sui occupare, etiam in conficiendis lateribus? tanti ego hoc facio, vt nullum sit adeò abiectum officium, cui si me ille velit addicere, non priuer ego quocunque meo solatio, vt illud præstem. qui alicuius obsequium habere vult, etiam vult se ipsi obligari. Quæ igitur tanta celsitudo animabus nostris offerri potest, quæ ita nos impleat, ac satiet, atque quòd audiamus, Deum velle, & requirere nostrum obsequium, vt se ipsum nobis obstringat, & obliget? Et in alio loco dicit: Quam excellentiam habet concionandi munus, si Deus illud non vult; aut quam vilitatem habet ollas, aut scutellas lauare, si idem Dominus id à nobis vult? quam præstan-

e *Tbob.* 12. 18.

ſtantiam habet, quod quis in aliquo angulo ſe contineat, ſi Deo id non placet? aut, quæ vilitas eſt inde exire, ſi hoc ipſum illi placet?

EVM, qui ſub Obedientia eſſet, non volebat cogitare, quid eſſet cras de ſe futurum; aut quid ipſe acturus? reſponſio enim eſt in promptu: faciam, quod iubebor; erit quod volet Deus. Et ita, ait: hoc totum meum lucrum eſt, vt te Deum meum contentũ habeam; tibiq́ue ſatisfaciam: eſto tu cõtentus, & pone me etiã in tortura: iube, verte, & inuerte me: quia nihil ego aliud expecto, quàm vt iubeas. Si opus eſt tota vita curſitare, id meum eſt ſolatium. quod dicebat, quia tunc ſentiebat difficultatẽ & repugnantiã ad profectiones, tũ ob valetudinis defectũ: tũ quòd vereretur aliquam ſuæ recollectionis iacturã. In omnibus tamen ſeſe reſignauit, & Obedientiæ ſubiecit, cõtemnens ſuas repugnantias, magnamq́ue gloriam iudicãs, quòd eas vinceret. Hinc etiã quies illa oriebatur, qua in loco & Officio manebat à Superiorib⁹ ſibi iniuncto. Ex Rector Salmantinus miſſus Villagartiam Oppidũ paruũ, libentiſſimè eſt profectus, vt ſe ibi includeret, optans in illo loco vitã ſuã, ſi Deo ita placeret, finire. Dicebat enim: Religioſos horrere debere mutatiões Officiorũ, occupationũ, aut locorũ, in quibus à ſancta Obedientia collocantur, memores verborũ Angeli ad S. Ioſeph, cùm mitteretur in AEgyptũ: f *eſto*, inquit, *ibi, vſq; dum dicã tibi*, cuius rationem reddebat: quia nemo poſſet ad altiorẽ locũ aſcendere, quã vt ab ipſo Deo in re aliqua conſtituatur, & nõ à ſe ipſo. Rectificet igitur is voluntatẽ ſuam, & ita erunt omnia fœliciter expedita; ac dicetur de eo: fœlices aures, quibus obedientiæ vox dulceſcit.

f Matt. 2. 13.

NVN-

NVNQVAM animum abijciebat in rebus arduis, ac difficilibus, in quibus obedientia illum collocabat, etiamsi aduerteret, se talentis destitu-
„ tum ad eas sustinendas: dicebat enim: ex quo
„ Deus religiosum posuerit, ipse eundem deducet,
„ etiam cum profectu: quod si plus illum oneret,
„ quàm ferre possit, se ipsum onerat, quia in se re-
„ cepit supplere, quod illi deest: & si iusserit ali-
„ quem loqui, nescientem loqui: seipsum obligat
„ ad eum docendum. Id igitur ego vellem, vt ipse
„ manu sua aliquid mihi iniungeret, quod meas fa-
„ cultates excederet: nam hoc ipso teneretur id
„ mihi dare. Et siquidem tu Domine iubes per san-
„ ctam Obedientiam me tali hora loqui: ex nunc
„ expecto tuum subsidium per hoc vel illud medi-
„ um, iuxta tuum beneplacitum. Quare qui ab Obedientia in aliquo officio, aut ministerio constituetur, ad quod præstandum existimat sibi Eruditionem, Prudentiam, Authoritatem, & animi Fortitudinem deesse: postquam hanc suam ineptitudinem Superioribus proposuerit, ne animo deficiat; sed d *reuelet Domino viam suam, & spe-* g *Psal.* 63. 5.
ret in eo: quia *ipse faciet*: ad vnius veritatis ac certitudinis firmitatem, attendat h *prudentiam*, quà h *Psal.* 118. 97.
dedit Dauidi *super suos inimicos*; *scientiam super omnes docentes eum*, & *intelligentiam*, ac experientiam *super senes*, & expertos; authoritatem, quam dedit Iosue, cùm eum constituit populo Israel loco insignis adeò illius Ducis Moysis; cor in Saule ita mutatum, vt & sentire & loqui cum Regia Maiestate posset; opinionem, quam dedit Pharaoni de Iosepho, & æstimationem doctrinæ eius, vt eum sibi, totiusque Regni Magnatibus

Magi-

Magiſtrum, ac Doctorem præficeret; cæleſtem lucem, ac ſapientiam, quam Danieli dedit ſuper omnes, quos Nabuchodonoſor ex filijs Iſrael eligere voluit, vt in ſuo conſpectu ſtare poſſent; & media quæ adhibuit, vt ille eiusque ſocij adeò ſapientes euaderent, atque eorum aſſiſtentia requirebat.

Et conſequenter aiebat, ſecuritatem in agendo cum proximis, cùm ex Obedientia id fiebat, eſſe valde magnam. Adeò, vt ſi quis obediendi cauſa infames fœminas accederet, vt illas Chriſto lucraretur, cum eis agens, mundiſſimas haberet cogitationes, quaſi eſſet aliquis Angelus: & ſi ex propria voluntate in cubiculo ſuo maneret, fœdis ibi cogitationibus vreretur. Neſcio, inquit, quomodo poſſit quis tutum reputare, quod à Domini voluntate recedat. Quænam, quæſo, ſecuritas eſſe poteſt, vbi Deus non eſt? hoc enim eſt, quod Sanctus Bernardus dicebat: *quando benè erit ſine illo? aut quando malè cum illo?* Expertus erat, quòd, quamuis interdum illi occurreret, contrarium eius, quod Obedientia iniungebat, eſſe meliùs; parendo tamen deprehendebat, rectius fuiſſe, quod Obedientia præſcripſerat: ac propterea illã appellabat CONSILIVM, ac diſpoſitionem DEI. & ideò ei ſubdito, cui aliquid eius videretur non eſſe ad rem, dici poſſet illud Scripturæ diuinæ: i *Iuſtus ex fide viuit:* & ſecretum quod ipſe non aſſequitur, eſſe k *myſterium fidei:* Ex quo optimi proueniunt exitus ei, qui cum fide, & humilitate opere illam exequetur, etiamſi media ipſi diſparata & contraria eſſe videantur. Ac propterea valde delectabatur narra-

i *Rom.* 1. 17.
k 1. *Tim.* 3. 9.

tione cuiusdã P. Prouincialis huius Prouinciæ, dicẽtis: quod quando ex Vrbe ad aliquam obedientiæ ordinationẽ mittebatur, vt hoc, aut illud determinatè faceret, videbatur sibi cęlum aperiri, & cor suum exultare: quando autem sibi dicebatur, vt, quid agendum esset, cogitaret, eligeretq; quod videretur: tunc se in magnis angustijs fuisse.

DENIQVE occultam quandam Dei manum aduertebat mouentem, ac dirigentem eius negotia & actiones per ipsam obedientiam: & hoc illum quietum valde, ac pacatum reddebat, quidquid sibi tandem ex ea eueniret. Ad quam rem habebat aliqua sensa, ac sententias admirandas. Deo Domino nostro dicebat: nulla, Domine, alia via, adeò possum esse tuus, atque cùm desino esse meus, Iuramento obstrinxit se ipse Dominus, quod faciet crescere eum, qui ipsi erit in obediendo fidelis, nam de obediente Abraham dicitur: l *non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi: ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam*. Quid nobis nocebit, si obedientiæ intuitu ea relinquamus, quæ nos delectant; & agrediamur quæ nos cruciant, & vexant: nisi quòd meritum nostrum augebit? obedientia est crux perpetua, gladius propriarum oblectationum, vena vitæ, fons aureus: non est autem exiguum bonum, aut malum censendum, quòd rectè attingamus id, quod præscribit Obedientia, aut ab eo declinemus: Est enim materia, quæ semper in manibus versatur. Quemadmodum enim Moyses erat Pharaonis Deus: ita Superior est Deus obedientis, dicentis: Sonet vox tua in auribus meis: vox enim obedientiæ dulcissima mihi est, & iucundissima,

l Eccl. 44. 20.

ſima. Hæc & alia valde excelſa ſentiebat ipſe, ac loquebatur de hac virtute, vt apparebit, quando de magna conformitate agetur, quam ipſe cum voluntate diuina in rebus omnibus habebat.

CAPVT VI.

SACERDOS FACTVS, PIE diuinum Officium orat, & quotidie Sacrum Miſſæ celebrat.

CVM Pater Balthaſſar, adeò accelerāret in feruore virtutum, magnasque oſtenderet dotes ad iuuandos proximos: ſtatim atque ſtudijs ſuis finem impoſuit, tertio ſcilicet anno à ſuo in Societatē ingreſſu, curarūt ſuperiores, vt fieret Sacerdos: quo nouo titulo cœpit ipſe magis adhuc in deuotione creſcere, & in familiari cū ipſo Deo cōgreſſu: ad cuius menſam quotidie admittebatur. Cumque ſacri Ordines obligationem adferant diuinum Officium legendi: dedit ipſe diligētem operam, vt ei obligationi magna cum perfectione ſatisfaceret, nec à magnis occupationibus impediretur, quę interdum ſimul, & quaſi agmine facto illi occurrebāt, quib⁹ ipſe hāc magno ſtudio præponebat. Et quāuis Societas non profiteatur vsū cātus, & chori: ipſe tñ ſeptē ſuas horas Canonicas diu cū magna quiete, ſuis tēporib⁹, & in ſeparato, ac recollecto loco orabat, vt cordis effundēdi occaſiones effugeret: nūquā eſt viſus in aliquo trāſitu orare, nec deābulās: ſed per multos annos orauit in medio ſui cubiculi flexis genib⁹: q̄ ſi aliquo morbo à flectēdo impediretur, ſedebat quidē; ſed aperto capite, nec alicui parti innixus

ANNO 1558.

» orabat: exterior enim reuerentia multum iuuat
» deuotionem internam. Ad quam vt se prouoca-
» ret, sibi ipsi dicebat: cogitabo sæpius quomodo
» Angeli in Dei conspectu versentur, cum consci-
» entia scilicet valde pura, & intima reuerentia: &
» me aspiciens pudore suffundar, quod cùm illa pu-
» ritas mihi desit, deficiam quoque in exhibenda
» reuerentia. Memor quoque ero eius, quod dixit
a *Iob.* 41.3. Deus apud Iob: a *Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis*: nam quod benè ores, (vt exponit Sanctus Gregorius) non in eo consistit, vt composita verba proferas: sed vt in amaros gemitus orando prorumpas. Ordinariè orabat solus absque socio adiuuante, vt diutius oraret, possetque in sensis, quæ Deus communicaret, hærere, ac frui: quorum etiam testes non habere cupiebat. Ex frequenti etiam vsu Psalmorum in suis exhortationibus; & Spiritu, quem ex eis hauriebat, aduertebatur horum internorum eius sensuum magnitudo. perpendebat enim valdè quodlibet eorum verbulum. Imò etiam, cùm se cruce sancta signaret, valde erat exactus, singulari quadam deuotione sanctam hanc crucis ceremoniam formans: dedit enim illi Deus, vt sentiret, cùm se cruce signaret, ac diceret: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tres diuinas personas benedictionem suam illi impartiri, cùm ipse earum nomine id faceret.

§. I.

MVLTO tamen magis eius deuotio apparebat in sacro Missæ, ad quod magna se diligentia præparabat: studendo, maximam conscientiæ suæ puritatem habere: sæpiùs

cap

eam in die examinans, suosque defectus frequenter confitens; & aliquid temporis recollectioni tribuens, antequam ad celebrandum accederet. Et quidem, etiamsi multæ euenirent occupationes, & impedimenta, quotidie celebrabat, etiam cùm iter faceret: quamuis aliquas alias commoditates hanc ob causam esset relicturus: & incommoda ac pericula etiam magna subiturus: quemadmodum illi accidit in itinere Romano eundo & redeundo per Galliam, dum per multa loca hæretica transiret: nihilominus enim nunquam sacrum facere prętermittebat Faciebat autem Sacrum diu; & cum tanta quiete ac deuotione, vt etiam eam in Auditoribus excitaret. Et quidam de nostra Societate fassus est, se, cùm sæcularis esset, ad eam ingrediendam fuisse permotum cùm videret deuotionem, modestiam, grauitatem, & tantam totius hominis compositionem, in ipso Sacro, ac Officio diuino quod peregit in hebdomada sancta. Et quædam alia persona, quæ etiam lucidiores habebat oculos, (fuit autem B. Mater Theressa Dei Iesu) audiens quadam die eius Sacrum, vidit eum toto tempore, quo Sacrum durauit, habuisse in capite diadema quoddam magni splendoris, indubitatum indicium magnæ charitatis ac deuotionis internæ, qua Sacrum faciebat. Aliquando ad illud faciendũ recipiebat se ad separatum aliquod sacellum, solum cum ministro: & tunc solitò diutius hærebat, iuxta gratiam, & visitationem diuinam, quam à Deo accipiebat, & quidem frequenter: quamobrem in suis necessitatibus, tentationibus, angustijs, & arduis negotijs refugium habebat ad sacrum Missæ. vbi magnam

Deus veritatum lucem, magnaque Spiritûs sensa magnę consolationis, instructionis, ac respirationis ei cõmunicabat circa ea, quæ acturus aut passurus erat; quorũ inferius fiet mentio. Huius quoque erat magnum indicium, & commune in ore multorũ huius Prouinciæ, quod scilicet aliquando inter celebrandũ ei loquerentur Angeli custodes eorum, quorum ipse Cõfessiones audiebat, & cum quibus versabatur: ei reuelantes, qua re indigeret anima illa, quæ ipsi esset cõmendata. Et cùm quidam Pater Societatis, valde ipsi familiaris, cõmunem hanc vocem ei significaret, & cõfidenter, an ita esset, interrogaret: vir Sanctus valde erubuit; nec tamen verbũ vllum respondit: quod non est leue veritatis indicium. nam alioquin, vt erat ille humillimus, statim rem eleuasset, ac respondisset, decipi, qui talia cogitarent: quare verecundo illo silentio, annuere visus est. Quam ob rem sancta illa mater Theressa de Iesu in libro suo dixit: (quod paulò post videbimus) sanctissimum Sacramentum huic seruo Dei (qui eius erat Confessarius) magnum lumen dare, ad res eius, quę extraordinariæ, valdeq; excelsæ erant, intelligendas, ac penetrandas: hoc insinuans, quòd ipsemet Deus per se, aut per Angelũ suum sanctum eas illi in Sacro Missę manifestaret. Nec mirum quòd SS. Angeli, qui iuxta cõmunem sacrorum Doctorum sensum altissimo huic Missæ Sacrificio assistunt, obseruantes insignem deuotionẽ, qua magnus hic Sacerdos illud offerebat, ibi cũ eo colloquerẽtur: eumq; docerent, q̃ ipse ad gloriã Dei nosse cupiebat; & exstimularẽt ad suum ministerium cum ea dignitate & sanctitate, quã eius celsitudo exigit, præ-

Martinus Alarconius qui Burgis obijt.

Cap. 8.

præstandum. Et hic fortè specialis illa eius deuotionon solũ ad custodes Angelos; sed nominatim (vt ipse scriptũ reliquit) ad eum, qui Sacrificium Altaris Deo offert: de quo in ipso Canone Missæ dicitur: *Iube hæc perferri per manus S. Angeli tui,* Siue is Angelus Sanctus, aliquis sit eorũ, qui ad assistendum ibi sunt constituti, tam ob reuerentiam tantæ maiestati, ibi existenti debitam, q̃ ad ipsum Sacerdotem iuuandum: vt illud cum debita reuerentia ac deuotione offerat, cuius munus etiam est (vt in Apocalypsi habetur) a *offerre Deo* oblationes & *orationes Iustorũ*; siue sit Angelus ipsius Sacerdotis celebrantis custos, cui efficacius tunc assistit, ad prædicta hæc Officia erga eum præstanda. Sacro ipso finito, manebat per mediã minimũ horam in magna sui recollectione, ac deuotione, gratias Deo agẽs ꝓ accepto tanto beneficio: & ibi interna sensa & Illustrationes spirituales erant frequẽtiores, vt colligitur ex ijs quæ in suo libello scripsit: sæpè dicens: sibi eas cõmunicatas post Sacrum finitum, quorum hic aliquas, quæ ad hoc propositum magis spectant, ponemus.

S. Thom. 3. p. q. 83. a. 4. ad. 9.

a Apoc. cap. 8. 3.

VNA fuit ipso die Epiphaniæ: finito, inquit, Sacro, recordabar felicitatis istorũ Regũ; & optans mihi eandẽ, audiui respõsum internũ dicẽtis: illi eum adorarũt; sed tu inte receptum tecũ portas, quasi ei dictum esset: maior est tua felicitas, & Iustorũ, ac Sacerdotũ huius temporis: qui nõ solum Christũ adorant, sed etiam verè & realiter eundẽ accipiũt in sanctissimo sacramẽto, q̃ secũ portãt. Sed quoniã non oẽs ita hoc præstant, vt deberent, alium internum sensum dedit ei Dominus in illis verbis Euangelij illius diei: b *Ecce Magi.* Mirũ est

b Matt. 2. 1.

» quod Reges diuites, ac ſapientes quærant Deum,
» mirum, ſtupendum! ſed cur adeò ſtupendum? quia
» neceſſe eſt cadere idola, ſi velint, ita arcā recipe-
» re, vt cōmodum inde ſentiant. In nobilibus debet
» ruere honor; in diuitibus deliciæ; in ſapientibus
» tumēs ſuperbia: quę illi plurimū amant; &, ne de-
» ſerant, ſtatuunt potiùs Dei arcam à ſe reijcere, ac
c 1. Reg. 57. dimittere, dicentes id quod Philiſtæi olim: c *Non maneat arca Dei Iſrael apud nos, quoniam dura eſt manus eius ſuper nos.* in quib⁹ verbis effecit Dominus, vt ille cauſas intelligeret, cur multi, pręcipuè nobiles, diuites, ac delicioſi recuſent accipere arcam viuam noui teſtamenti in ſanctiſſimo Sacramento latentē; aut eam recipiant cùm exiguo fructu: quia ſcilicet volunt in altari cordis ſui idolū Dagon, rem ſcilicet illā creatā, quam inordinatè diligūt retinere, quæ niſi in terram cadat, & mortificationis gladio, ita eius caput, ac manus amputent; vt ampliùs non audeat cogitare, loqui, aut facere quod ſolebat: non efficiet in tali corde diuina hæc arca, ſtupenda miſericordiæ ſuæ opera; ſed Iuſtitię, puniendo illos magna ariditate, tenebris, cordis duritia, alijsque internis deſertionibus: donec verè ſe emēdent, aut indurati, arcā à ſe reijciant, iudicātes eſſe graue, & planè inſulſum, frequenter cōmunicare. Ex quo prouenit, vt quēadmodū vnus idemq; Sol, atq; ignis lutū indurat, cerā verò liquefacit: ita, qui hunc Dominū ſuſcipiunt, ſi ſunt tanquam lutū, verè indurentur; ſi aūt tanquā cera, liquefiant eius amore. Alia vice hunc
» ei ſenſum internū Dominus dedit: ſi animę noſtrę
» vita ſufficiens ſibi eſt, & corpori, cui vnitur, eiuſ-
» que partib⁹ omnib⁹ etiā minimi digiti vngulæ, &

mini-

minimo pilo: quantò magis vita Christi, quæ est vita Dei, sufficiet sibi, & animæ, ad quam in hoc Sacramento venit. Hoc enim est, quod ipse Dominus dixit: d *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me.* Dicat igitur anima statim post Communionem: vita tua Domine vtrique sufficiet, tua Sanctitas, tua Potentia, tuæ Diuitiæ: modicum fermenti totam massam sapidam reddit: & tu in medio cordis existens non reddes illud sapidum? & intelligat anima, causam, cur duram se in Cõmunione sacra sentiat, solere esse propterea, quod cùm dono acceperit ipsum Dominum, non satiatur tanto dono: & diuertens ab eo oculos, eos conijcit in teneros sensus & lacrymas, quas desiderat: quare iustè punitur in eo, vt minus donum non accipiat, quæ maiori non satiatur. Quod si dicas, te id facere, vt ipsi magis placeas: respondet ipse animæ tuæ: insignis ignorantiq esse, cogitare Domino ipsi alia via, & ratione placere, quàm ipse velit; & præstare, eius diuinæ prouidentiæ id committere; teque patientiæ virtute armare. Additque, quando Deus in animam venit, non relinquere bona sua domi, nõ oculos misericordes, non dulcedines & suauitates, nec suas potentias, & excellentias, nec vacuum, sed plenũ venire. quare qui Deum habet, omnia bona habere: & optimam viam valdeq; compendiosam ad omnia possidenda esse, oculos ab eis auertere, ipsumq; solum desiderare; nec desistere, donec illum vade sibi vnitum habeat; & tunc Dauidis illud implebitur: e *Satiauit animam inanem: & animam esurientem satiauit bonis.*

d Ioan. 6. 58.

e Psal. 106.

§. II.

HVNC in modum habuit Pater hic Balthassar post ipsum Sacrum sensa multa veritatum variarum, valdeque vtilium, quæ inferius reddemus. Et quoniã de cœlestibus hisce nundinis ita loquebatur, sicut in eis illi eueniebat ob insignes fauores spiritalesq; delicias, quas hisce occasionibus experiebatur: exhortabatur Sacerdotes, ac reliquos communicantes, ne illarum iacturam facerent; sed cogitarent, Deum Dominum nostrum ipsis dicere, quod aliquando
a Ioan. 12. 8. suis discipulis: a *me autem non semper habebitis*, quasi diceret: properate in hac negotiatione, non enim semper sum vobiscum hic mansurus. In quẽ finem admirandas hasce proponebat illis sententias. Magni semper faciat, qui communicat, tempus, quo diuina Maiestas cum ipso manserit: in quo potiùs attendat, vt diuinam præsentiam veneretur; supplexque oret, impertiri sibi diuinam eius benedictionem; sibiq; persuadeat, se dignum non esse, cui Deus faciem suam ostendat: quàm vt prolixas ratiocinationes ac meditationes instituat: & attendat, ne vel momentum amittat tam fœlicis temporis, quo frui ac negotiari possit cũ diuina eius Maiestate, iuxta verbum illud Ecclesiastici: b *Non defrauderis à die bono, & particula*
b Eccl. 14. 14. *boni doni te non prætereat*: hoc dico propterea quod multis communicantibus pruriant pedes, vt inde discedant sub prætextu lectionis, collocutionis, aut etiam deambulationis: quæ est Phrenesis intolerabilis. Nam prolixiores orationes, piæque lectiones quid aliud sunt, quàm quidam clamores, quibus Dominum vocamus, vt ad nostram

ſtram domum venire dignetur? quæ igitur ſtultitia eſt, vt poſt tot horas, imò & annos, quibus egimus pro tanto hoc fauore; quando nobis illum exhibet, non poſſimus nos continere, quin ſtatim ex eadem noſtra domo exeamus? quid nos poſſunt libri docere, quod non diuina Maieſtas præſens melius doceat? quem ſaporem & oblectationem creaturæ nobis adferre poſſunt, quã ipſe non poſſit nobis plenius conferre, noſq; ſaturare? & quam ſanctitatẽ ex earum conuerſatione haurire poſſumus, quam maiorem non afferat nobis familiaritas cum ipſo? quid boni lectio habet, niſi quòd affectũ noſtrum erga ipſum Dominum excitet? & quid ſpiritualia exercitia, niſi quòd illum ad nos inclinẽt? Ad hoc aũt perpendi poſſunt ſequentes veritates, in quibus anima cum Deo ſuo loquitur. Infirmus, Domine, qui tecũ non exhilaratur: valdè prope eſt, vt cadat: anima, quæ tecum non exultat: vnde poterit exultare? qui tecum, Domine, nõ eſt contentus: quomodo nõ crepat? qui in domo ſua non tibi oſtendit promptã voluntatem; quomodo iterum tuũ ad eandem aduentũ expectabit? qui, dũ te hoſpitem habet, properat, vt exeat ex domo: facilè oſtẽdit, ſe cor habere alibi obſtrictum, cui tecum manere tædium eſt, cùm tu ipſius honoris ergo ad ipſum acceſſeris, Deus eius, & totum bonum eius: cũ quo is omnia ſua negotia fœliciter expediat, nõ habet amplius quod agat, aut quærat: cũq; ſolius huius rei cauſa natus ſit in mundo; facilè oſtendit ſe Phreneſi laborare, ſi tecum non maneat libenter. Has & ſimiles ſententias vir hic Sanctus proponebat cum ingenti ſenſu, ob tepiditatẽ eorum, qui Sacrum faciunt, aut communicant, nec

tem-

tempus sibi sumunt, in quo fruantur Domino, quem in domum receperunt.

INTERNAM quoque deuotionem suam erga sanctissimum hoc Sacramentum, in eo ostendebat: quod vbicunque illud videret, ita oculis suis in illud intenderet, vt nullæ Personæ, aut res externæ, etiam iucundissimæ à tali aspectu eum retardarent. Nam oculis fidei aspiciebat sub illo accidentium panis velo latentem inuisibilem, maiori certitudine, quàm si corporis oculis illi cerneret, & quemadmodum Apostoli, c *cùm intuerentur in cœlum euntem* Magistrum suum, etiam postquam *nubes eum suscepit ab oculis eorum* in cœlum aspiciebant, vbi sciebant, illum esse, licèt sibi occultum: ita Sanctus hic vir adeò assuetus aspicere hunc Dominum in contemplatione, non poterat oculos suos ab hoc Sacramento auertere, in quo fide videbat illum, licèt velo cooperetum. Frequenter eundem Dominum in templo visitabat, vbi longos temporis tractus in oratione manebat: imò aliquando integras noctes, vt illum comitaretur ibi manentem; eiusque præsentia frueretur. Valde autem dolebat, quòd videret tẽpla adeò vacua hominibus; & plateas adeò refertas: Et tam paucos esse qui accederent ad negotia sua apud hunc Dominum peragenda, in hoc Tribunali & throno, quem habet in terra manentem: cùm huius rei causa nobiscum manere voluerit.

c Act. 1. 10.

MAGNVM reputabat fauorem & solatium Religiosorum, quòd illud in suis domibus haberent: quò possent illud sæpiùs die ac nocte visitare, cum maiori facilitate, quã homines sæculares

Refert

Refert ipse in suo illo libello, quòd, cùm quodam die mane tempore orationis visitasset omnia cubicula Collegij, cuius ipse erat Rector, (vt moris est in Societate) vt obseruaret orantes: redierit valde consolatus ad suum cubiculum, perpendens, quòd in medio eorum esset sanctissimum Sacramentum. Occurrit autem illi cum magna interna lætitia, quod Collegium esset, quasi quædam imago Cœnaculi Apostolorum, in quo Christus Dominus post Resurrectionem suam eis apparuit, & d *ianuis clausis stetit in medio eorum, dicens: Pax vobis*: Siquidem & hic portæ sunt clausæ, ac discipuli intus, & Iesus in medio eorum dans eis pacem, & animorum vnionem. d *Ioan.* 20. 19.

EADEM eius deuotio valde fuit aucta ex familiaritate cum quibusdam personis magnæ sanctitatis, eidemque sanctissimo Sacramento addictissimis, de quo paulò post fiet mentio. Est enim amicorum proprium, cùm alter inuenit aliquem cibum valde sapidum & bonum; alterum ad eundem inuitare, vt eadem ille afficiatur voluptate, qua ipse. In quem sensum sanctus Ioannes in Apocalypsi ait; quando Spiritus sanctus eiusque Sponsa Ecclesia aliquid inspirant & consulunt, quod magni sit momenti: e *qui audit dicat*, amico suo, *Veni*, vt eo fruaris. e *Apoc.* 22. 17.

§ (*) §

CAPVT

CAPVT VII.

INCIPIT EXERCERE MINISTERIA erga proximos: habet q̃, auxilia, & monita à Deo Domino nostro, vt simul in propria perfectione crescat.

CVM Societas in suis principijs paucos haberet Operarios, & magna esset messis proximorum, erga quos ministeria nostra, quæ multa sunt magnique momenti, erant exercenda: rogabant Dominum messis, vt mitteret Operarios strenuos ad illam colligendam: cumque misisset P. Balthassarem, statim atq; Sacerdos factus est, cœpit Confessiones excipere, & cum proximis agere, magno feruore procurare eos ad salutem animarum suarum quærendam adiuuare, & sic conabatur perfectè explere vocationem, ad quam à Deo videbat se esse vocatum. Et quamuis ministeria hæc soleant esse iunioribus, & in virtute Tyronibus periculosa, quia sæpè solet illis euenire, quod sponsæ in suis initijs, cùm dixit: à *posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui*: Nam cùm pro alijs volunt esse valde solliciti, seipsos negligunt: quia effundunt spiritum, & perdunt deuotionem, cùm nimium volunt adhærere creaturis, & locum dare superbiæ & vanitatis ventis, cùm prosperè succedit; & pusillanimitatis, ac impatientiæ cùm minus fœliciter. Quamobrem huiusmodi cum proxi-

a Cant. 1. 6.

proximis conuersatio est magis propria eorum, qui benè profecerunt, valdeq; sunt exercitati in Operibus propriæ perfectionis. Ideò enim (teste S. Gregorio) Christus Dominus noster non exiuit ad prædicandum & agendum de Conuersione animarum, donec peruenit ad annum trigesimum, ætatem scilicet perfectorum virorum. Quamuis, inquam, hoc ita sit, gratia tamen nostrę vocationis propria, & feruor eius in Societatis initijs breuius tempus requirebat: Deus enim Dominus noster, quemadmodum in primæua Ecclesia, & principijs aliarum Religionum Tyrones ipsos, & viam virtutis aggredientes, tanquam instrumenta accipiebat, aptosq; reddebat ad expugnandas animas: & hoc modo P. nostro Balthassare vsus est statim atque studijs suis finem imposuit: magnus enim feruor aptum eum fecerat instrumentum ad quę-uis egregia cępta: cui voluit Deus singularia talẽta, Zelum, prudentiam, ac dexteritatem largiri, ad lucrandas animas, nihil ipso remittente, aut amittente de proprio suo profectu: potiùs hinc accipit occasionem eum ad altiores perfectionis gradus exaltandi; mysticamque Spiritus scientiam excellentius ei cõmunicandi, idq; tribus admirandis & occultis vijs, quas in huiusmodi casibus Prouidentia diuina seruare solet.

Hom. 2. in Ezech.

§. I.

PRIMVM. n. ita disposuit ac direxit Deus, vt in quib⁹ locis esset hic Pater, maximè in initijs, curã haberet vel tanquã Confessarius & Dux, vel tanquã Superior, aliquarũ Personarũ magnæ sanctitatis & excelsæ orationis. in quibus casibus nõ minus feruẽs pęnitẽs iuuat feruẽtẽ cõfessariũ;

quàm

quàm è contrà: nam vt is qui ducit regitq; alium eum iuuat doctrina, ac directione sua: ita qui ducitur, & dirigitur feruenti suo exemplo Ductorem suum etiam adiuuat; & vterque sunt tanquì duo illi Seraphini; quos vidit Isaias, magnis vocibus mutuò sese excitantes, & inuitantes ad laudes Dei, & canticum diuinæ eius gloriæ: aut etiam tanquam illa quatuor Sancta animalia, seipsa mutuò alis suis percutientia, & ad cursum impellentia: verba enim sancti & feruentis Magistri sunt flammarum instar illustrantium, & inflammantium cor feruentis discipuli; huius autem exempla sunt tanquam ignis feruentem Magistrum accendens. & hac ratione mutuò sibi reddunt bonum, quod ab inuicem accipiunt. Et cùm hic Pater multũ profuerit pluribus personis sanctitate præcellentibus, vt iam cœpimus insinuare, & mox fusiùs explicabitur: ita ipse ab eisdem magnum accepit fructum, excitatus eorum exemplo ad progressum in Oratione, & mortificatione cæterisque virtutibus, quæ in eis elucebant.

Ezech. 3. 12.

ADHAEC, cùm huiusmodi personæ rationem animæ suæ reddunt suo directori, & interna sua, quæ in se geruntur, aperiunt: simul & eadem opera tale quid non cogitantem, aut quærentem docent; aperiuntque illi oculos vt videat, & obseruet admirandas vias & rationes, quibus Deus animas ducit; donaque & gratias, quas illis communicat: suntque instar viui libri, in quo arcana & scientiam mysticam legat, quam Spiritus sanctus scribit in cordibus Electorum; quamuis illi ex se valde sint simplices: & hoc ipsum directorem obligat ad Sanctorum libros euoluendos,

vt illi

vt illa secreta assequatur, ne ipse decipiatur, nec eos decipi permittat, qui ipsius curæ sunt commissi. Vtraque autem hac ratione profecit multũ ipse Pater Balthassar, agens cum animabus valdè à Deo illustratis, & nominatim cum sancta illa matre Theressa de Iesu, cuius oratio, & Spiritus adeò fuit excelsus; vt ad eum cognoscendum, (quemadmodum ipse dixit Patri Francisco Riberæ, qui eiusdem sanctæ vitam conscripsit) magna attentione & cura legerit multos spirituales libros, qui sunt editi; nec his contentus recurrebat cum tanto feruore ad Dominum Deum nostrum, vt ab eo cœleste lumen peteret, ne deciperetur, vt illud impetrauerit, valdeque illustratus fuerit ad discernendam spirituum veritatem. In quo præterea ad literam impletum videtur illud Ecclesiastici: a *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit; occulta prouerbiorũ exquiret, & in absconditis parabolarum versabitur, cor suũ tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ implebit illum: & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ.* a Eccl. 39. 1.

HINC tertia via oritur, qua Deus Dominus noster, animarum Duces ac Magistros, efficit perfectos. Nam quemadmodum Reges nutricibus filiorum suorum dari iubent preciosos, ac delicatos cibos, vt bonum aptumq; lac habeant, ad eosdem filios lactandos: ita Rex cœlestis solet preciosos etiam selectosq; spirituales libros ijs præbere;

bere, quos Magistros ac Duces constituit animarum, vt selectum copiosumq; lac habeāt doctrinę, vitæq; exēplaris, qua possint eas alere iuxta illud Apostoli: b *siue consolamur siue exhortamur à Domino*, id fit *pro vestra exhortatione & salute*. Cùm igitur Deus Patrem hunc fecerit nutricem tot animarū sibi dilectarum, præuenit eū in benedictionibus dulcedinis, efficiens vt experientia ipse virtutes illas agnosceret, & exerceret, quas in eis plātare posset; dotauit eum scientia spiritus, dono cōtemplationis, alijsq; admirandis donis, de quibus inferius fusiùs: nam licet in initiō repugnantiam aliquam sentiret ad agendum cum proximis, vt ab hac occupatione se subtrahens, plus tēporis sacræ lectioni, orationi, & familiaritati cum ipso Dño daret: mox tamen aduertit errorem, expertus plus spiritus ac deuotionis dari sibi per viam occupationum circa iuuandas ex Obedientia animas; quā in sola sua recollectione, quàm studiosiùs quærebat. Quare in suo libello notat: eos, qui ex Obedientia Domini exeunt ad agendum cum proximis, nec fidem domi relinquunt, experiri gratias, iucūdiusq; lucis, ac deuotionis alimentum quàm si se domi continerent: id enim significasse Psalmistā, cùm dixit: c *qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis: Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.*

b 2. Cor. 1. 4.

c Psal. 106. 23.

§. II.

ADHAEC omnia multum eum iuuit ipsa Oratio, in qua magnas consolationes sensaq; spiritualia Deus illi communicauit, quib' ad agendum cum proximis, nec propterea negligen-

gendam propriã perfectionem eum exſtimulabat: multa ſuggerens documenta & rationes, quibus vtrumque coniungeret. Ex hoc nomine dedit illi magnam opinionem, & æſtimationẽ excelſæ Vocationis Societatis propriæ; & vt agnoſceret magnum beneficium Dei fuiſſe, quod ad tale tamq; egregium opus vocatus eſſet, quo ipſe Dñs magnopere delectatur. Cùm ſemel opus quoddam egregium præſtitiſſet, ſequenti die mane ſub oratione vidit Chriſtum Dñm noſtrum præclaris donis valdè onuſtum, & onere illo quodammodo afflictum, ac deſiderantẽ exonerari, & propẽſum ſe oſtendentem ad gratificandum exonerãti: & quãuis magno deſiderio id cuperet, non tamen onus deponebat, eò quòd vaſa deeſſent, in quibus eius dona reponerentur. Ex quo intellexit hic Pater, opus ſuum fuiſſe diuinæ maieſtati acceptum; & per charitatis opera obtineri ab ipſo ingentia bona; ſibiq; talem ſe oſtendiſſe Chriſtum, vt ipſe ad huiuſmodi opera magis excitaretur; & alios ad eadem exercenda exſtimularet.

ALIA vice fecit Deus, eum ſentire: amorẽ erga proximos eſſe rem valdè ſacram, magnumque amoris Dei, & obedientiæ, qua anima mandatis eius paret, teſtimonium; & quod ipſe Deus multum ſibi in eo complaceat, indicium. Et qui DEI vocibus non obſurdeſcũt, omnia officia, quæ proximorum charitas exigit, libẽter ex Obdiẽtia amplectuntur: nam quod illis de ſe ac rebus ſuis largiuntur: exiſtimant ſe Deo dare, pro cuius amore illud donant. Et hac conſideratione dulceſcit illis, quòd ſeruiant proximis; eoſq; tolerent, & tanquam mollem ac ſuauem ceram illis ſe præbeant;

,, ſuamque amicitiam offerant. à quibus ſi quando
,, offendantur, libenter eis ignoſcunt, lætumq; vul-
,, tum oſtendunt, dulciáque verba dant : certò ſibi
,, perſuadentes, quales ipſi erga proximos ſe geſſe-
,, rint, talem Deum erga ſe experturos: ſi dulces,
,, dulcem; ſi miſericordes, miſericordem; ſi inſulſos,
,, etiam inſulſum: credentes eius verbo, (quod vel
,, ipſa experientia veriſſimum eſſe conſtat) quòd
a Luc. 6. 38. ,, a *qua menſura menſi fuerint, eadem eis remetietur.*
,, Quamobrem ipſas proximorum neceſſitates re-
,, putant ſibi tanquam ditiſſimas aurifodinas, ex
,, quibus animæ propriæ plurimũ diteſcunt, & quo-
,, tidiè illuſtrantur. Quod Sacramẽtũ abſcõditũ ei
,, cognouiſsẽ, valde illud admiratus, & venerat⁹ ſi.

Ne aũt animo deficeret ob pericula & difficul-
tates in tali miniſterio occurrentes, fecit Deus ei
agnoſcere ac verè ſentire bonum ex eo prouenie-
Quare, cùm illi theſauros aperuiſſet in illo Dam-
b Pſal. 106. 23. dis verſu latentes: b *qui deſcendunt mare in na-
bus, facientes operationem in aquis multũ: ipſi vide-
bunt opera Domini*: ſtatim intellexit, eos hoc debe-
re attendere, ſibiq; perſuadere: quod ſi verè in ma-
re deſcenderint, illud ſit perturbandũ. Ideò enim
addidit Pſalmiſta : *exaltati ſunt fluctus eius, aſce-
dunt vſq; ad cœlos, & deſcendunt vſq; ad abyſſos*, i
autem permittit Deus, vt *clament ad Dominũ, cum
tribulantur*, & ita creſcant; non aũt vt pereant. A
Serm. 12 in Cant. propterea S. Bernardus dicebat: agere cum pro-
mis, etiamſi aliqui defectus admiſceantur, melius
quid eſſe, quàm ſeorſim & ſolum etiam ſine il
orare: ex altera enim parte magnę ſunt occaſio
in virtutibus plurimum proficiendi : quare dic
,, re ſolebat: virtutem manere exiguam, donec in
gen

gendo cum proximis probetur: tunc enim chari- "
tatem, humilitatem, patientiam, & puritatem ma- "
gnos sustinere ictus: prodesse autem nobis pluri- "
mùm illorum studia, & propensiones valde à no- "
stris diuersas; cùm eas propter Deum toleramus. "

SED quoniã huiusmodi cõuersationis pericula oriuntur quoq; interdum ex nostra propria debilitate dedit illi Dominus magnã de beneuola sua prouidentia fiduciam; ac de auxilio, quod solet ad huiusmodi actiones conferre. Circa quod habuit sæpè in suis orationibus admiranda & singularia sensa in varijs occasionibus, quorũ in singulis ferè capitibus fiet aliqua mentio. Hoc nunc tantũ ponemus, quo ille magnum accepit animũ, ad se Dei consilijs subijciendũ. quæ stultitia, inquit, est, exi- "
stimare, te rectè aliquid facturũ, ad quod non te "
permoueat Deus? aut ipsum non fore voti sui cõ- "
potem, cùm aliquid in se recipit: etiamsi media, & "
rationes, quibus illud ipse intendit, alienæ tibi, & "
quasi disparatæ videantur? si d *puer à Ionatha mis-* "
sus, vt sagittas, quas ipse iaciebat colligeret, & ad se d 1. *Reg.* 20.
referret, hæsisset in externa eius actione: dixisset: 20.36.
Dominum suum, sensum & iudicium amisisse: eò quòd non ad cõstitutũ signũ & metã; sed valde remotè illas iaceret: rei tamen veritate cognita, rectissimè sagittas Ionathas iaciebat. Hunc ergo in modum Dei consilia, quæ sæpè ab ignaris scopi & finis, quem ille intendit, extra rem iudicãtur: sunt tamen in se rectissima, valdeque efficacia ad finem consequendum, quem ille intendit, quibuscunque tandem medijs ad id vtatur.

DENIQVE oratio Sancto huic viro erat turris quædã Dauidis, omni armorum genere ad defen-

dendum & offendendum referta, vt posset peccatores expugnare, nõ læsus ab illis. Erat idẽ specula, ex qua prospiciebat propria & aliorũ pericula, vt auerteret. Erat quoq; ei occultũ penetrale, in quo cũ Dño nostro agebat de ijs, quæ esset cũ hominibus acturus: studendo priùs apud eundẽ Dñm obtinere, quod in eis perficere intenderet, & vt omnia verba, moduſq; ea illis proponẽdi inspirarentur: ac docerentur ab ipso Deo, cuius negotiũ, aiebat, esse hoc, iuuandi animas: ac proinde ipsius virtute bonum esse exitum habiturum. Erat quoq; illi Oratio, cellarium preciosorum ipsius Domini vinorum: in quo Spiritus S. eo musto eum inebriabat, quod Apostolis propinauit, cùm illi linguis igneis loquerentur. Ex quo magna illa vis proueniebat, quam ipsius exhortationes habebãt; imò & literæ, quas scribebat: nã eius verba adeò viua erant, & efficacia: vt non reuerterentur vacua, sed cordi audientium infigerentur, in quo ita operabantur, vt impellerent ad malam vitam deserendam; aut torpentem magis excitandam. Hoc modo ministeria, quæ cum proximis ex obedientia peragebat, faciebant ipsum in spiritu proficere: quemadmodũ corporalis cibus corpus ipsum impinguat, iuxta illud Christi Dñi verbũ ad suos
e Ioan. 4.34 Apostolos: e *meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius*: salutẽ scilicet hominum: & in hunc finem valde perpendebat sententiam illam S. Gregorij: esca iustorum est conuersio peccatorum. Et quemadmodum f *Aquila*, vt in libro Iob dicitur, vbicunq; videt cadauer, *volat* velocissimè *ad escam*, vt famem suam satiet: ita Iustus Zelosus vbicunq; videt peccatores
f Iob 9. 26.

conuer-

conuertendi occasionem, accurrit, vt hoc cibo, quo tantopere Deus delectatur, sibiq; adeò est vtilis, vescatur, & saginetur.

NE TAMEN in aliud extremũ incideret, nimis liberè & incautè cũ proximis agendi, effecit Deus, vt sentiret ipse, sibiq; omninò persuaderet: magnã virtutem esse necessariã ad hoc ministerium securè præstandum. Magnam, inquit, ne cum improbis ac perditis hominibus agens, ipse etiã pereat; & innumera audiens inepta, ipse etiam ineptus fiat; & audiens mille sordes, & ipse inficiatur, & maculetur; nec genua sua, honoris idolo, quod mundus adorat, flectat. Quod si ad euitandam aliquam iacturam opus est magna virtute: quanta erit necessaria ad se ipsum, & proximos custodiendos? talis certè esse debet, vt ipsum virus, quod sensuales homines occidit, ipsummet nutriat. id enim sibi vult illud Oseæ: g *peccata populi mei comedent Sacerdotes*. quare iure optimo sanctus Dionysius aiebat: neminem tutò posse Magistrum agere in rebus diuinis, quia has non habeat conditiones. Primam, vt sit Deo similis; Secundam, vt is illum exponat ad volandum, Tertiam, ne is incurius tale muuus aggrediatur. Hæc autem consequetur, si per orationem pendeat à DEO, magna fide, ac fiducia, quòd auxilium ab eo accipiet, à quo mittitur; nec patietur, ipsum in eo negotio perire, quod ipsius iussu aggreditur. Ex parte tamen sua conari debet, vt plurimos habeat oculos quemadmodum cœlestia illa animalia; seque valde continere, ne liberam det oculis, linguæ, aut manibus libertatem; nec in-

g Oseæ. 4. 8.

Lib de Eccles. Hierar. 3. ad finem.

gerat se occasionibus, quas posset vitare: ex eis enim lapsus eueniunt; non verò ex illis, quibus Deusillum immittit. Ad finem etiam ministerij sui examinet, quid egerit; & in quo limites suos excesserit: ac denique pœnam aliquam adhibeat, & remedium in futurum.

CAPVT VIII.

PRVDENTIA, AC DEXTERITAS eius in iuuandis animabus; & quibus medijs vniuersim ad id vtebatur.

PVRE merito Christus Dominus noster Euangelicis suis operarijs commendauit, vt in commissis sibi ministerijs a *prudentes essent sicut serpentes & simplices sicut columbæ*: eò quòd vtrumque necessarium esset ad proximos iuuandos absque iactura proprij profectus. à serpentibus accipere debent prudentiam, dexteritatem, & sagacitatem ad animas Deo lucrandas, adhibẽtes omnia media ad id conducentia, ita vt, si id opus esset, etiam (sicut Apostolus fecit) b *astuti* sint ad eas *dolo* aliquo sancto capiendas. à columbis accipere debent simplicitatem & puritatem intentionis, mansuetudinem & humilitatem, ac debitam innocentiam: vt humanitate sua bonoque exemplo animas alliciant. Hoc documentum exactissimè Pater hic Balthasar seruauit, lux enim cœlestis in oratione sibi à

a *Matth.* 10. 16.

b 2. *Cor.* 12. 16.

Deo

Deo cõmunicata, præclara aliqua documẽta mediaq; practica illi inspirauit, quibus vtrunq; hoc fœliciter coniungeret. Quorum primum, & veluti reliquorum fundamentum illud erat: vt in agendo cum hominibus purissima intentione quæreret solum ipsum Deum, diuinamque eius gloriam; illiq; placere, nulla ratione habita proprij commodi, aut incommodi temporalis; nec, an illi magni essent, aut parui; nobiles, aut ignobiles; sed hoc solum attenderet, quod Deus D.N. qui omnium curam gerit, & precioso suo sanguine omnes redemit, eas ad ipsum Sanctâ suâ inspiratione dirigeret, vt se in hoc ipsimet Christo cõformaret dicenti: c *quem dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*; ac propterea dicebat, se, nec cum pluribus, nec cum alijs agere velle, quàm, quos Deus ad ipsum mitteret, vt cum eis ageret; eoque solo fine, vt illi placeret, absque alio suo lucro: ad quod valde ipsum exstimulabat Dei D.N. querela apud Malachãi, d *quis est in vobis, qui claudat ostia, & incẽdat altare meum gratuitò?* quasi nullus aliquod obsequium in templo illo præstaret gratuitò, hoc est purè, vt illi placeret, & ob animarum bonum; sed ob aliquod lucrum & commodum proprium. Quare operam ipse dabat vt tanta cum puritate cum suis pœnitentibus ageret, vt ipsimet facilè aduerterent, solum Deum absq; alio humano respectu eum moueret ad agendum cum ipsis.

c Ioan. 6. 37.

d Malac. 1. 10.

Ex quo proueniebat, vt se omnibus accommodaret, cum quibus agebat, cuiuscunque tandem

illi essent conditionis magni, aut parui: nec dedignatus paruos, nec permittens cor suum maiorib. adhærere: detestabatur autem illos Confessarios, qui authoritatē venantur ex pœnitētibus, alligātes se honoratiorib. & non vulgaribus. Quā agēdi rationē vilem ipse, & nullius momenti apud Deū appellabat: qui (vt ait Sapiens) e *pusillum & magnū fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*: nec vult pusillos contemni; nec tamen magnos negligi: sed id non ob temporalem magnitudinem, sed propter bonum animarum. Hinc etiam oriebatur, vt cùm magnam seruaret Spiritus grauitatem: magna quoque exhiberet humanitatis & amoris indicia: quā ob rem tam magni, quàm parui intimè eum diligebāt, ac venerabātur. Non enim in hoc agendi modo aliud respiciēs, quàm vt Deo placeret: eiusdem quodāmodo superioritatē secū gerebat, cum qua subijciebat sibi omnē terræ grāditatē, quæ exigua aliàs est, si cum diuina cōparetur, quam ipse tanquam fidelis sui Domini minister induebat. Et ipsi Magnates, cum quibus agebat (qui vt postea videbimus plurimi fuerunt) agnoscebant in eo adeò magnam Spiritus superioritatem, vt ipsorū granditatē excederet: & re ipsa in eo haberet locū, quod alios docebat, dicens: tales nos esse debere, vt cū quibus loquimur, ita verè mutētur, vt à nobis discedentes, percutiāt pectora sua dicētes: *verè filij Dei sunt isti*, habētq; Spiritum cælestē: & ita fatebātur omnes, qui cū illo agebāt, non audētes corā ipso sermones vllos huiꝰ mūdi miscere, nec rerū aliarū, quæ nō essent Dei. Et exspectabant donec ipse tales sermones inchoaret: adeò libenter eum audiebant, & venerabantur.

e Sap. 6. 8.

EAN-

EANDEM superioritatē comitabatur magna spiritus libertas in agendo; non enim pœnitentes suos diligebat amore aliquo imperfecto, cui carnale aliquid admisceretur; sed amore solius charitatis, & purissimi spiritus; non sibi, sed Deo diligebat; non quærebat tēporale aliquod lucrū ab eis; nec oblata etiam instanter & importunè suscipiebat: ne sanctam suam libertatem læderet: nullas priuatas & viscosas amicitias contrahebat, quæ ipsi⁹ cor agglutinarēt; quod liberū potiùs cōseruare volebat, vt illis relictis, liberè posset aliò se conferre, quādo id iuberet Obediētia: nec permittebat, alios ipsum imperfecto illo amore prosequi. quare cùm ab eis discederet, etiamsi graui-ter absentiam illam ferrent: non tamen audebant, coram ipso, quantum eam sentirent, aperire: ac proinde neque illis ipse libertatem auferebat, agendi cum alio Confessario, aut Spirituali Patre, ex cuius conuersatione possent in spiritu proficere: modò ne id facerent ex aliqua leuitate, aut inutili conuersatione: & de ipsis Confessarijs non benè sentiebat ipse, quos intelligebat, ægrè ferre si eorum pœnitentes alijs confiterentur; auferentes illis libertatem cum ijs agendi, cum quibus possēt proficere: quæ ratio videtur esse mod⁹ quidā captiuitatis, & nimiq subiectionis. Imò ipse hāc ob causam spōte sua non exibat ad Cōfessionale: vt ipsi pœnitētes liberè possēt ad aliū Cōfessariū accedere, & liberiùs cōfiteri, quæ fortè ob aliquē pudorē nō auderent ordinario Cōfessario aperire.

QVAMVIS autē Zelus eius magnus esset, omniumq proximorū salutem desideraret: nouerat tamē quod quādo Deus introducit seruos suos in

cellam

cellam vinorum precioſorum, ordinat in eis charitatem: Vt, ſi amoris & Zeli vinum eos inebriat: diſcretio & prudentia contineat, & moderetur. Quare valdè prudenter non cum pluribus agebat, quàm, ſine ſui ſpiritus detrimento poſſet: Nec eò intendebat, vt multi illi eſſent; ſed vt multum proficerent; & appareret in eis familiaritas & cõmunicatio cum ipſo. dicebatque, non eſſe Instituti noſtri tradere nos omnino proximis à dextris, & à ſiniſtris: ſic enim facilè cor noſtrum ſæcularizare, & amittere ſpiritum ſuum; ſed in pondere & menſura: cùm ea ſcilicet moderatione, quæ ſe ſe ita cum viro Spirituali compatitur, vt media non negligat orationis & profectus proprij: quẽadmodum in Inſtrumentis artificis ille vſus eorum cenſetur bonus, qui aciei eorum ſit conformis: nam ſi ſecuris acies obundatur, etiamſi tota die percutiat, nihil boni faciet, quæ tamen acuta, vel vna hora plus præſtitiſſet. Nec melior Euangelicus operarius cenſetur, qui magnam hominũ copiam poſt ſe trahit; ſed is, qui nihil Spiritualiũ in ſe negligens, pœnitentes facit magis proficere; etiamſi illi ſint pauciores: hanc igitur ipſe operam dabat, vt ſui pœnitentes in Dei ſeruitio proficerent, quiſq; iuxta proprium talentum: neminẽ autem incapacem iudicabat progreſſus, quin Sacramentorum vſu poſicere poſſet in relinquendis vitijs, prauisq; moribus; & in veris ſolidisq; virtutibus acquirendis: quamuis non omnes apti eſſent ad orationem mentalem, & internam recollectionem: ideoque non delectabatur incondita turba, nec libenter cũ ijs pœnitentib. agebat, qui ita in ſuo profectu ſiſtere ſtatuebant, vt ſatis ſibi

eſſe

esse existimarēt, Sacramēta frequētare ad euitāda peccata mortalia, nihil solliciti de vlteriori in virtutib. progressu: quem eius Zelum & Spiritū, qui nouerāt, nec vires in se ad eum sequendū sentiebant, fugiebant illum. Multò igitur magis ipse propēdebat ad agendū cū ijs, qui seriò ad altiores perfectionis gradus quotidie anhelarent: ad quos iuuandos singularia Dei dona habebat, multumque laboris in eorum profectum ponebat: dicens, se non solùm timere exactam rationem à se exigendam de defectibus eorum, qui suæ curæ essent commissi; sed eam etiam, quæ exigetur de virtutibus, quas illi non fuerunt assecuti, eò quòd ipse non benè illos instituisset.

DENIQVE ob eam causam valdè conabatur omnibus, quibuscum agebat, persuadere exercitium propriæ abnegationis; & passionum, prauarumque propensionum mortificationem. Et ipsemet ad id præstandum eos iuuabat, exercens eos, nunc verbis ex instituto ad eos mortificandos tendentibus; nunc operibus, iubens eos facere aliquid contra propriam voluntatem: aut rei alicui renunciare, eamq; abijcere, quâ ipsi aliàs oblectabantur. Habebat autem singularem ad id gratiam, quia vnumquemque ad viuum tangebat; & in eo, in quo se ipsum vincere plurimùm referebat: ita tamen iucundè, ac suauiter id faciebat, vt nemo ei propterea esset offensus: sed potiùs magis affectus, & cum maiori opinione, & æstimatione boni Spiritualis, quod ab illo accipiebant; ac proinde cum maiori desiderio iterum ad eius pedes redibant. Quibusdam cum specie cuiusdam reprehensionis dicebat: si ego id cum alio

fecis-

fecissem, quod feci tecum, iam ille magnos pro-
gressus fecisset. aliàs verò simpliciter dicebat: ne
consumamus tempus, quod est valde pretiosum
ijs, qui benè eo vtuntur. quod tali modo dicebat,
vt audiens sentiret cor conpunctum, & ad torpo-
rem excutiendum propensum. Sed hoc ipso me-
dio adhuc clariùs vtebatur cum ijs, quos expan-
sis velis ad perfectionem contendere videbat:
cooperabatur enim D. N. in illis exstimulan-
dis, vt simul etiam eos probaret: nam exercitia &
actus orationis absq; mortificatione, aut sunt il-
lusiones, aut non diu durant. Omnibus autem sua-
debat, vt conarentur, se ipsos in ea re vincere, in
qua maiorem sentirent repugnantiam; & con-
uersationes, visitationes, & mores aulicos, vestes-
que superfluas moderarentur, accõmodantes sese
ad id omne, quod humilitati, honestati, ac decen-
tiæ sui status magis esset conforme: nominatim
verò, vt in occasionibus, humiliationis & oppro-
brij, & patientes se ostenderent, & linguam con-
tinerẽt: nã tales iactus & occasiones esse, in quibus
animæ plurimũ lucrãtur, & ex sua miseria exeũt:
quare optandas illis esse, quẽadmodũ mercatores
huiusmodi oportunas occasiones optãt, & quærũt
vt suas fortunas augeant. Et hac ratione illos ex-
stimulabat, ac præparabat, vt libẽter & cũ fructu,
ac sine excusationibus acciperẽt ipsius monita, &
aspera illa ac difficilia, quibus eos, vt benè mor-
tificati, ac probati euaderent, exercebat.

NEC tamen ipse doctrinã hanc & monita, quę
alijs dabat, negligebat: sed exẽplo suo potiùs pręi-
bat, non solũ se ipsum mortificando, sed etiã li-
benter acceptãdo mortificationes, in hac cũ pro-
ximis

ximis familiaritate occurrẽtes: & gaudebat, cùm occurrerẽt: vt hoc exẽplo eos existimularet, ad libenter similes occasiones amplectendas: vt ita in perfectione crescerẽt, sicut ipse ex eis proficiebat. Omniũ, quæ in hoc capite retulimus, præclarissima exẽpla videre licebit, cùm referentur particularia, quæ gessit in varijs locis, in quibus fuit.

CAPVT IX.

MAGNVM FRVCTVM FACIT Abulæ in multis personis insignis virtutis.

QVONIAM Deo D.N. (cuius a *sapiẽtia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*) omnes omnium prouinciarum, ciuitatum, ac locorum Ecclesiæ, & totius mundi spirituales necessitates sunt notæ; imò & ipsa talenta ac facultates Operariorum suorum Euãgelicorum perspectas habet: solet particulari sua prouidẽtia eos in diuersas partes mittere, ad messem animarũ colligendã: assignando vnicuiq; illorũ locũ, ex quo possit copiosiorem fructũ colligere: & ipsemet amplius prospicere: quãuis interdum ex occultis suis iudicijs alteri horũ, interdũ alteri plus attendat. In quem modũ, post aduentũ spiritus Sãcti, assignauit vnicuiq; Apostolorũ Regionẽ ac Prouinciã, vbi esset Euãgeliũ prædicaturus: S. Petrus missus est Romã; S. Ioannes in Asiam; S. Iacobus in nostrã Hispaniã; alij ad alia regna & insignes ciuitates, in quibus magnũ fructum collegerunt, magnosq; labores subierũt, seminantes eam semẽtem, quæ postea per alios discipulos, eò perue-

ANNO 1559.

a *Sap. 8. 1.*

peruenientes, copiosum protulit fructum. Eandem etiam Prouidentiam habuit Deus D. N. erga reliquos operarios, Apostolorum successores; & similiter erga Patrem nostrum Balthassarem: qui non absque cælesti consilio ministeria sua erga proximos exercere cœpit in Abulensi Ciuitate in qua præparatam habebat Deus segetem multam valde, maturam ad messem. Nouem annos ibi mansit, exercens magno labore Ministri Collegij Officium. Illud enim Officium & Collegij pauperis & egeni incommoditas ipsum obligabat, ad prospiciendum reliquorum necessitatibus, suarum oblitum: præcipuè quod ferè semper tulit super se totum gubernationis pondus. Toto enim illo tempore non nisi duo fuerunt Rectores; Pater Dionysius Vazquez, qui mansit sexquiannum; & Pater Gaspar Salazarius, qui tantum per nouem menses: eò quòd sancta Obedientia ad alia eos loca migrare iussit: in quorum absentia gubernauit Pater hic Balthassar Collegium reliquo tempore, licèt semper cum titulo Ministri. Et præter hoc etiam audiebat Confessiones sæcularium ad illud templum accedentium; eratque assiduus in Confessionali; & quando opus erat, etiam exibat ex Collegio ad agendum cum illis de salute animarum. Adeoque fuit in hac re strenuus, vt notabilem fructum in multis fecerit; præcipuè in aliquibus, quos Deus ad excelsos Sanctitatis gradus elegerat. Et quoniam boni discipuli (vt ait Apostolus) sunt b *corona*, gloria, *& gaudium* sui Magistri; nec exiguum testimonium prudentiæ, sapientiæ, & sanctitatis eius, qui docuit, ac direxit illos ad eam, quam ipsi habebant consequendam

b Philip. 4. 1.

non erit absre ad ostendendum magnum spiritum, & facultatem Patris Balthassaris Aluarez ponere in hoc capite, & in aliquibus sequentibus magna quędam, & memoranda discipulorum eius in schola perfectionis, in qua insigniter excelluerunt: siquidem Deus voluit hanc ei gratiam facere, vt tales haberet tã in ipsa societate, quàm extra illam; faciens vt eius verba essent (vt Ieremias ait) c *quasi ignis, & quasi malleus*: vt igne deuotionis corda emolliret, malleo verò mortificationis cum summa dexteritate eos dolaret, ac poliret; vt ex ijs, quæ referemus, apparebit.

c *Hier.* 23. 29.

PRIMVM in ea tunc ciuitate erat non paruus proborum Sacerdotum numerus; quos collegerat, sibique coniunxerat Magister Daza, vir insignis virtutis, vt in adiuuandis animabus pauperumque necessitatibus subueniendis ipsum adiuuarent, non solùm in ipsa ciuitate, sed etiam in tota illa Dioecesi. Sed statim atque sanctitatem & feruentem Patris Balthassaris spiritum animaduertit, vt erat humilis, voluit S. Ioannem Baptistam imitari, suos discipulos mittentem ad Christum. quare & ipse suos illos Sacerdotes ad hunc Patrem misit, vt cum illis ageret, eos dirigeret, & animaret. Quos hîc Pater interdum conuocans adeò excelsè tantoque feruore de Deo colloquebatur, vt per multos dies motus ille in eis perduraret. præscribebat enim illis pœnitentiam, quam exequerentur; & vitę rationem, quam seruarent: & semel in septimana ad Confessionem ad ipsum accedebant, reddẽtes suarum conscientiarum rationes: & sic euaserunt viri magni exempli, agnoscentes & publicantes insignia Dei

dona, quæ sanctus hic Pater haberet ad animas dirigendas: idemq; agnoscebāt reliqui, cum quibus ipse agebat, & nominatim Augustinus Osorius, vir nobilis & egregius, cuius ægrotātis P. Balthassar confessionem exceperat, quem conualescentē idem Pater in propria domo visitans, tanta vi & feruore spiritus cum eo egit, vt ipsum vicerit, vt extraordinariā quandam vitæ mutationē faceret, ita vt viueret tanquam aliquis Religiosus, & semper se occuparet in operibus misericordiæ: cumq; postea scamnum intueretur, in quo vterque sederat, admirans dicere solebat: si scamnum hoc lingua esset præditum, dicere posset, quàm alta & excelsa, quantoq; spiritus feruore S. Pater Balthassar mecum fuerit locutus. Plurimùm etiam iuuit Franciscum Salzedium, quem S. Mater Theresia de Iesu adeò in suo libro laudibus extulit: appellabatque Equitem Christianum, eò quòd didicisset Christianam perfectionem cum legibus Nobilitatis coniungere, præscindens in suis moribus quæcunque mundus habet Christo Domino contraria.

SED multò adhuc magis iuuit Franciscum Guzmaniū filium Mosen-Rubi Braccannōtij, primi Patroni insignis cuiusdam Sacelli illius ciuitatis: qui Franciscus, cum magnos haberet Ecclesiasticos redditus ex Pensionibus & Beneficijs Curatis, habitu tamen sæculari vtebatur, & ipsos reditus expēdebat in Equis, in ornatu vestium, & in alijs multis rebus huius mundi, non sine scandalo eorum qui illum nouerant. Huius cor Deus potenti sua manu tetegit, & in virum alterū permutauit. Nam consilio Patris Dionysij Vasquez Col-

legij

legij Nostri Rectoris, cui cóscientiæ suæ rerũque suarum rationẽ reddere voluit: statim Ecclesiasticũ induit habitũ & Curatis Beneficijs renũciauit, reseruans sibi ex diuersis Pensionib. mille tantum ducatos: quorũ exiguã partẽ in proprios vsus expendẽs, reliquũ in pauperes distribuebat. Factusq; Sacerdos cœpit cum magna deuotione, & animæ suæ profectu sacrum Missæ celebrare. Sed quoniã paulò post prædictus pater Rector ad locum aliũ migrauit: cœpit cum Patre Balthassare agere, cuius verbis cor eius inflammabatur, & ad pia, & sancta opera, quæ faciebat, vehementer exstimulabatur. Solus planè cum vno puero ambulabat; nec alium famulum, aut domesticum vllum, & multò minus fœminam, in domo sua habebat. Studuit valde abstinentiæ: etiamsi priùs de magna voracitate gloriari soleret: semper occupabatur in operibus charitatis; ipsemet pauperibus infirmis ministrabat; medicum ad eosdem accersebat, aut ad eius domum ipsemet accedebat portans sub pallio vitra vrinaria, vt præscriberet, quid cum ægrotis esset agendum: accidebatq; sæpe: vt eum in eius domo vna, & altera hora expectaret, donec rediret, aut ex lecto surgeret: id quod ipse cum magna animi tranquillitate faciebat: magna enim eius charitas patientiam illi hanc præstabat; & similiter cibum ipsum ad ægrotos portabat; nunc præparatum & coctum, nunc incoctum; & interdum ipsemet ad macellum ibat, vt carnes pro ægrotis pauperibus emeret. Et cùm post mortem fratris sui factus esset sanctæ illius Ecclesiæ Canonicus: non tamen rationem vitæ,

aut occupationes pias deseruit, sed nouam potius diligentiam adiecit, redditusque qui ex ea dignitate illi accreuerant, expendebat in subueniendo Monasterijs, Hospitalibus, alijsque priuatis pauperibus, qui humani pudoris causa non mendicabant, etiamsi necessitate & indigentia premerentur. Et aliquo anno curam gerens plus quàm trecentorum pauperum, tantas fecit expensas, vt eius redditibus perpensis videretur impossibile, nisi Deus prompto eius animo faueret. Habuit etiam ipse aliquos morbos, quibus Deus ipsum ad maiorem perfectionem promouit. Et quamuis P. Balthassar etiam inde discessisset, non tamen negligebat etiam absens eundem, quomodo poterat, literis datis consolari & iuuare, inter alias autem literas, has ægrotantis spiritui valde commodas Metinæ dedit.

12. Octob. 1567.

Et si verear, ne V. D. tantũ ex morbis suis sciat proficere, quantũ ipse Dominus desiderat qui eos mittit: vbi tamẽ cognoui: D. vestram eiusdẽ fuisse aut etiam nunc esse valde defatigatã, id tantæ mihi fuit consolationi, vt omnes meæ occupationes non potuerint impedire, quò minus eam his literis significarem: Aperi, mi Domine, oculos, & in his morbis agnosce pignus tenerrimorum altissimi, viscerum erga te, nolentis impunitos manere defectus eius, quem ipse amat; nec contentus et quod is animã suã solam cruci affixã ob continua crucifixi filij eius memoriam, & commiserationis veterisque hominis mortificationem, qua prauas suas propensiones & passiones iugulet: sed vult preterea, vt serui sui corpus etiam cruci affigatur. Vt sic fiat magis iuxta cor ipsius, euadatq; similior

Christo

Christo Domino, qui totus fuit semper in cruce. Auidè magnaq; cum animi lætitia exspecto istius Visitationis & crucis fructum. Cùm igitur Deus D.N. sit, qui plantã suam colit, & curat, si fructus erit maior, quàm V. D. credidisset, aut sperare potuisset: illũ cum egentib. illũ cõmunicet. interim curam hãc in me recipiã, vt Patres, & Fratres nostros incitẽ ad orandũ Maiestatem diuinã, ne peccata vestra tantũ fructũ impediãt; eamq; sauitatẽ tribuat, quæ ad maiorem ipsius gloriam cedat.

HANC Epistolam hìc volui ponere: tum, vt appareat sanctus Zelus & cura continua Patris Balthassaris erga spirituales suos filios, etiã postquam ab eis discedebat; tum quòd in eadem depingat ipse vitam & exercitia pij illius Domini, quibus ascendit ad perfectionẽ per hosce tres gradus: memoriam scilicet & compassionem Christi Domini crucifixi; mortificationẽ veteris hominis & prauorũ morũ ac passionum; & ipsummet corpus aliquibus pœnis affectum, laboriosis primum exercitijs ministrando pauperibus; ac dolore & defatigatione propriorũ morborũ, vt magis conformis euaderet exẽplari Sanctitatis ipsius Christi Iesu, iuxta illud Apostoli: d *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferimus, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* d 2. Corint. 4.10.

VALDE cupiebat vir ille ingredi Societatem; sed non obtinuit, eò quòd multa bona faceret in ciuitate. Sed cùm voti sui compos non fieret in vita: voluit, qua ratione licuit, id obtinere morte; venit enim ad nostrum Collegium, vbi sanctè occubuit & in templo nostro sepultus fuit. Iam moriturus dixit, se valde consolatum mori, scien-

tem se iturum ad fruendum Deo: & beata illa Mater Theressa de Iesu testata est, se vidisse eius animam ab Angelis perduci ad gloriam.

EVNDEM in modum agebat P. noster Balthassar cum aliquibus alijs pręcipuis ciuibus: præscribēs cuilibet eā vitæ instituēdæ rationē, quæ statui eorū maximè quadraret, ita illā eorū cordib. infigens, vt diu & cum feruore in eis maneret.

CVIDAM ciui nominatim suasit, vt omnibus ferijs secundis confireretur, & cōmunicaret: quod ille exactè seruauit, ne quidē mutato die per triginta quatuor annos, & ampliùs, quibus postea vixit: tantam ille fidem adhibuit verbis sancti sui Cōfessarij. Et hac via insignia dona à Deo accepit in anima; imò etiam in corporis, & temporalibus necessitatibus diuinam prouidentiam est expertus. Nā cùm Abulæ solet esse seuerū frigus & aliquādo nec ligni truncū domo haberet, & familia aliàs esset ampla, aliquoties euenit, vt ad ostium domus, currus lignorū exoneratos inueniret: idq; ipse orationibus tribuebat boni sui patris: qui bonum aliū numerū habebat piarum & exemplariū fœminarū, in quibus etiam faciebat notabilē fructum. Harum vna fuit Domina Giomar Vlloia, quæ cùm nouem decim esset annorū, vidua remāsit: cumq; esset aliàs pulchra cupiebat ab alijs etiā talis haberi, ideoq; se ipsam exornabat, vt elegantior appareret. Cœpit hæc agere cum Patre Balthassare: cuius verba tantā apud eam vim habuerunt, vt obtinuerint, quòd aliàs, quasi impossibile iudicabat: vt scilicet obliuisceretur mundi, & elegātiarum, ac insolentiarū eius: serioq; traderet sese Dei seruitio, à cuius benigno fauore magnum

sæculi

ſæculi huius pompæ contemptũ impetrauit: ita vt etiam famulos dimitteret, & cùm maioris eſſet ętatis ſola iret ad Eccleſiam. Et hac via magna obtinuit à Deo beneficia: cuius eſt proprium, honore afficere eos, qui ipſius amore ſeipſos contemnunt; & ſolatia cæleſtia illis largiri, qui renunciãt terrenis. Hunc ſpiritum cupiebat Pater Balthaſſar imprimere cordibus Dominarum, quæ ipſi confitebantur: addẽs illis animum, vt proprijs delitijs, & nimijs pompis renunciarent: & quæ ad id animum non habebant, deferebant eius Confeſſionale, nolẽtes ex eius ore audire, quod nolebant à ſe ipſis impetrare, vt facerent. Reliquæ autem libentiùs eũ audiebant, & gaudebant, ſe ita inſtrui, vt ſuos exceſſus exuerẽt, qualis fuit quædam Dei ſerua nomine Anna Reyes: quã P. Balthaſſar malleo mortificationis tanquam incudem tutudit, & aptauit: quæ ſolebat dicere, ꝙ ſolo aſpectu ipſam Pater mortificaret; grauisq; ac ſeuerus eius vultus quẽ ille interdũ ei oſtendebat, ſufficere ſibi vt intelligeret, an aliquid in ipſa eſſet, quod ipſum offenderet: & ſtatim reformabatur. Omnes enim nouerant, diſplicere ipſi, ægreq; ferre, quod habitus exterior non reſpõderet internæ recollectioni, cui ſtudebãt: dicebat enim illis interiora, & exteriora debere vnà incedere. Benè experta fuit hęc Dei ſerua fructũ mortificationis, quam ipſi indixit, & in qua multũ ipsã iuuit bonus Cõfeſſarius: per eam enim magnũ conſecuta eſt ſuarũ paſſionũ dominiũ, pacẽ, & ſerenitatẽ magnã in rebus omnib⁹, & excelsũ orationis donũ: quia ipſe Dominus per ordinarias cõparationes docebat illã diuinorũ attributorũ celſitudinẽ cum admirãdis myſte-

riorum fidei illustrationibus ac sensis; & nominatim ipsius Christi crucifixi; in cuius conspectu longo tempore hærebat in oratione, quam seuera etiam pœnitentia comitabatur.

CAPVT X.

ABVLAE IVVIT MARIAM Diatiam in heroicis eius virtutibus; & fuit mutua quædam & vtilissima inter eos conferentia circa quinq; patiendi fontes.

ID in quo maximè eluxit P. Balthassar in Abulensi ciuitate, fuit auxiliũ, q; præstitit duabus insignib. fœminis, quæ eo dẽ tempore cũ raro virtutis exẽplo ibi fuerũt. Quarũ altera fuit Maria Diatia, cuius sãctitas fuit valde nota ac celebris in eo loco; & hucusq; eius memoria durat; dignaq; est, quæ perpetuò inter fideles perduret, vt ex eius heroicis exẽplis fructum capientes erubescant, quòd pauperculà quædam rustica, quasi a *stercore* (vt Salomon dixit, & S. Gregorius expẽdit) *manibus innitẽs* eò cõscẽderit, *vt moraretur in ædibus Regis*, nõ terreni, sed cælestis, cõuersationẽ suam continuã habẽs in cœlis: ipsi verò habentes præstãtiores dotes ad ascendẽdum & volãdũ, hærẽt in infimo terrenis suis affectionib. vincti. Fuit pia hæc mulier valde fœlix; quod P. Balthassarem accesserit; à quo plurimùm fuit in hoc suo ascensu adiuta: sed & ipse Pater fœlix fuit, quod illa ad ipsum venerit: nam & ipse fuit feruen-

a Prou. 30. 28.

lib 6. Moral. cap. 5.

feruenti eius exemplo multum adiutus: & ex ijs quæ illa præstitit, innotuit ipse in illa ciuitate valde, fuitque in magna apud nos opinione. Fuit hæc Mater Maria Diatia è Vita Abulensi Pago oriunda: quæ cùm per quadraginta vitæ suæ annos in Castitate vixisset, cum magna sui recollectione, & bono totius plebis exemplo, post vtriusque parentis obitum: desiderans Deo perfectiùs seruire, venit Abulam: vbi quidquid habuit, distribuit pauperibus, vt mendicato vitam duceret: id quod præstitit accipiens præcisè, quod omninò esset ad vitam ducendam necessarium. & cùm multò ante votum castitatis edidisset; tunc adiecit etiam Paupertatis, & Obedientiæ erga suum Confessarium seruandæ: vt etiam in sæculo manens modum aliquem religiosæ vitæ teneret, seruans meliori, quo posset modo tria illa vota, in quibus Religionis substantia consistit. Inspirauit illi Deus, vt Patribus Societatis Iesu confiteretur; & quamuis illi Obedientiæ votum non admiserunt: illa tamen, quod ex se erat, ligare se voluit, suaque libertate priuare, offerens Deo integrum propriæ voluntatis sacrificium. Vt autem magis esset recollecta, & inclusa, obtinuit ab Episcopo Aluaro Mendozio licentiam, habitandi in cellula quadam Ecclesiæ sancti Millani, vbi posset semper assistere sanctissimo Sacramento, cuius erat deuotissima: nec inde exibat nisi ad confessionem, & communionem in Ecclesiam Societatis. Et hac ratione aggressa est vitam excellentissimæ perfectionis, in pœnitentia, mortificatione, & oratione, & in omni genere virtutum, idque cùm adeò excelsis rerum cœlestium illustrationibus,

præcipuè sanctissimi Sacramenti: (quod vicinum suum appellabat) vt quicunque ad eam accederet, obstupescerent; & faterentur, etiamsi aliàs valde essent periti, se nunquam adeò exactè sanctæ nostræ fidei mysteria intellexisse, atque cùm eadem illa explicaret.

§. I.

SED multis prætermissis, quæ sanctitatis eius manifesta essent testimonia, eò, quòd ea referre præter nostrum esset institutum: ea nunc solum adferemus, in quibus appareat quanta auxilia ad eam perueniendi habuerit à P. Balthassare, qui videns, eam à Dei gratia præuentam, suscepit in se eam promouere, ac perficere: cui etiam diuina Maiestas singularem ad id præstandum gratiam contulit. In id ergo mentis oculos P. Balthassar intendit, vt omnes defectus & imperfectiones, quas in illa obseruabat, ab ea remoueret, altiusq; radices mitteret in profunda humilitate, patientia & insigni obedientia, ac resignatione, mille adinueniens modos ad eã mortificandam. Respondebat enim illi siccè, & asperè, cùm aliquid illa interrogaret; faciebat, illam diu expectare, & vltimam ad Confessionẽ accedere, etiamsi ante alias venisset; sæpè illi negabat, quod petebat, ac inauditam dimittebat: & cùm facultatem illi dedisset, ter in septimana communicandi, ob ingens desiderium, quo tenebatur sacræ Communionis: in hoc ipso tamen illam probabat, & exercebat: vt magis apud Deum proficeret. Et quoniam Iusti non habentes cor suum rebus temporalibus obstrictum & ligatum, non adeò æqui-

ferunt

ferunt mortificationem circa illas; ſicut circa res ſpirituales, in quibus totum ſolatium, & conſolationem ſuam repoſitam habent: ideò in his ſunt probandi: vt in omnibus ſint voluntati Dei reſignati, & ſubiecti, illiqúe ſoli alligati. In hunc ergo finem dixit ei ſemel, ne ad communionem accederet, niſi prius ipſi confiteretur: cùm aliàs iuberet eam alijs confiteri. Venit igitur illa ſequēti die Communioni deſtinato: ipſe verò noluit ad Confeſſionale deſcendere, donec intellexit, tres, aut quatuor alias ipſum expectare: cùm ergo ipſe deſcendit; iuſſit alias priùs confiteri, & interim aliæ quoq; peruenerunt, quas ſimiliter priùs ad Confeſſionem vocauit, & antequam illæ eſſent expeditæ, audita eſt vndecima hora. Surgēs igitur ipſe ex ſede ei dixit, vt ſequenti die rediret. Qua ſequenti die veniente, Pater rem ita diſpoſuit, vt idem, quod pridie eueniret: & hac ratione illam continuit per vigiati dies abſque Confeſſione, & Communione. Iudicabat enim Sanctus vir, illam, quod hoc tempore non ſuſcipiendo Sacramenta amittebat, re ipſa compenſare quotidiana ſua preparatione, & fame qua tenebatur illa ſuſcipiendi; & heroicis patientiæ & mortificationis exercitijs, quæ illam melius diſponebant ad eadem poſtea frequentiùs & fructuoſiùs ſuſcipienda. Valde ſentiebat Mater Maria Diatia hanc dilationem: ſed ob reuerentiam erga ſuum Patrem, replicare non audebat; nec illum deſerere, ob amorem erga ipſum conceptum, quamuis adeò aſperè ab eo tractaretur: vt lepidè illi dicere ſolerer: mi Pater, & quid de meis querelis, acrixis?

ALI-

ALIQVANDO etiam ingressa est templum in crepidis & cum baculo, vt videretur cum aliqua grauitate & authoritate accedere: quam, cùm Pater Balthassar intrantem videret, ad se vocauit, ac dixit: an fortè ostendere se vellet matronam aliquam, aut Dominam, & nihil illius superbiæ iam deesse; & statim iussit, ad plateam exire, & crepidis ibi relictis, ingredi sicut oportebat, & ipsam decebat. Quod ad nutum serua illa Dei fecit, non attendens relictas crepidas facilè amitti posse, & redeunti prohibuit communionem, in pœnam eius leuitatis: quamuis adeò illa se humiliauerit, & institerit: vt communionem tandem ei permiserit. Patiebatur illa in initio Dæmonum persecutiones; & cùm semel graui-ter eam vexassent, timorem aliquem cõceperat: propterea paruum puellulum curauit in proprio suo cubiculo dormire, quo cùm semel P. Balthassar venisset, & stratulum vidisset, in quo puerulus dormiebat, causamque eius rei cognouisset, asperè eam reprehendens; dixit: quorsum hic puerulus, non te pudet, adhuc es adeò infans, vt post tantum temporis hæreas adhuc in principijs: tam exiguam habes in Deum fiduciam? quo audito, statim illa stratulum obiecit promptè obediens sui Patris insinuationi: Fuit autem id bono consilio, valdeque ad rem factum: huiusmodi enim personæ non debent Dæmonem nimium timere, scientes, eum nec minimum vestis pilum absq; Dei licentia tangere posse: nec suam fiduciam debent in creatura aliqua collocare, sed in dulcissimi sui Creatoris proiectione, sub qua erunt tutissimæ.

Ex

EX loco suæ habitationis solebat interdum exire, vt præcipuas aliquas Dominas visitaret, cui P. Balthassar dixit: ne tempus ita expenderet, sed potiùs in iuuando Deo. A quo tempore illa nunquam exijt, vt aliquam visitaret. Et cùm Dominæ illæ de eius Confessario conquererentur, quod per eum priuarentur solatio, quòd cum illa loquentes habebant: illa, non vt aliæ solent, culpam in Confessarium conijciebat; sed eum potiùs excusabat, dicens: Confessarium non prohibuisse visitationes, sed propriam recollectionem suasisse.

HIS & alijs mortificationibus industrius hic spiritus Magister suam disciplinam exercebat, non solum ob ingentem, quem illa inde fructum percipiebat, libentissimè eas admittendo; sed etiã ob aliorum exemplum; & vt ignaui agnoscerent veros suos defectus, reprehensione dignissimos esse: cùm hæc innocens, & in rebus, quæ vix defectus speciem præferebant, ita tractaretur: ac discant, seseque excitent ad suos proprios emendandos,

DENIQVE hæc Dei serua virtutem suam ostẽdit in perseuerantia subijciendi se, & obediendi ei, à quo adeò mortificabatur; eumque ex toto corde amando, ob tantum commodum sibi ab eo proueniens: quem etiam absentem nunquam passa est ex oculis suis recedere; aut rerum obliuisci, quas ab eo audiuisset: tantique eum faciebat, vt in eius comparatione infantem se in virtute iudicaret. Ac dicere solebat: se in aliquo angulo ad portam cœli cum infantibus baptizatis ante discretionis ætatem defunctis mansuram;

patrem

patrem verò suum magna cum gloria & comitatu ad altissimum locum ingressurum. Et alludens ad consuetudinẽ ipsam reprehendẽdi, lepidè addebat, quod Pater ascendens cœlum, ipsamque in loco adeò humili videns, dicturus esset: istic hæsisti vetula, pigra & ignaua! Sed quamuis ipsa de se humiliter adeò sentiret: fuit certè magna in oculis Dei, & Magistri ac Ducis sui: qui etsi eam mortificaret, & humiliaret: magnam tamẽ de ea habuit opinionem, magnique eam faciebat: cui etiam postea, vt quotidie communicaret, concessit, ob insignem & extraordinariam ad sanctissimum Sacramentum deuotionem; fidemque adeò viuam præsentiæ Domini in eo latentis, atque suis ipsis oculis eum videret. Et nonnunquam in sacra Hostia à Sacerdote eleuata videbat iuuenem extremæ pulchritudinis, & in calice ipso videbatur sibi videre rubentem sanguinem Christi, & quasi ex calido, & recenti vaporem aliquem ascendere; & cum sacra Hostia diuideretur, videbatur sibi videre Deum integrum in vtraq; parte diuisa. Quod cùm ipsa cuidam Theologiæ Magistro referret; illeque admiraretur se talia à rustica fœmina audire: illa cum magna sinceritate respondit: certè ego existimaui reliquos etiam idem videre. Et colloquens cum Christo ipso de hoc mysterio, dicere ei solebat: mi Domine, aliquidne istic superest mihi dandum? hac dulci & amorosa interrogatione insinuans, infinitum bonum, quod ibi accipiebat; & satietatem, quam ita ex sacra Communione sentiebat; vt maneret semper noua fames, quotidiè communicandi.

§. II. VAL-

§. II.

VALDE tamen vtile & magni ſolatij erit, hîc referre, quæ ego ipſe à Patre BALTHASSARE, in quadam exhortatione audiui, cùm nos ad libenter patiendum exhortaretur, ob ingentia bona, quæ inde prouenirent: inter alia autem mentionem fecit cuiuſdam Conferentiæ, quam habuit cum Matre Maria Diatia circa quinque fontes aliquid patiendi abſque culpa propria, qui ſimul etiam erant fontes magnorum meritorum pro ijs, qui benè eiſdem vti noſſent cum patientia, & conformitate cum voluntate DEI illos mittentis. Reflexione autem facta, vt eorum recordarer: hi quinque mihi eſſe videntur: *Primus*: ferre temporis iniurias; cùm ſcilicet ingentia ſunt frigora; aut æſtus, humiditates, aut ſiccitates, & horrendæ aliæ tempeſtates, tonitrua, venti, terræ motus & ſimiles: ita vt in his omnibus gaudeamus, propterea quòd DEVS ita velit. Ad quod propoſitum retulit nobis, quod cum Abulæ ingentia eſſent frigora, quibus illa valde affligebatur, propterea quod nec veſtes, nec calceamenta haberet, ad ea ferenda, & locus habitationis valde expoſitus illi incommodo; & quodam die coram ſanctiſſimo Sacramento tremeret, ac de frigoris ſeueritate quereretur: dixit illi DOMINVS: Ego id facio, & tu conquereris? inſinuans illi (vt ipſe Pater BALTHASSAR expendebat)

bat) consideration em, quòd calamitates & aduersa à voluntate Dei proueniant, sufficere debere ad hoc, vt omnes absque vlla querela & magis potiùs cum solatio acceptentur, iuxta illud Dauidis: a *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti:* *Secundus* fons est: ferre molestias & incommoditates corporis, vndecunque illæ proueniant, siue ab humorum superfluitate, quales sunt morbi, dolores, melancholiæ, tristitiæ, tædia, & similes; siue ab ijs necessitatibus, quibus omnes subiacemus, quales sunt, fames, sitis, somnus, defatigatio, & lassitudo, aut paupertas, ac defectus rerum necessariarum in cibo, vestitu, habitatione & lecto, aut ab alijs creaturis quæ mille modis vexant: siquidem etiam cimifes, pulices, & similia animalcula nos persequuntur: & in his omnibus seruanda est patientia, aspicienda ea tanquam à prouidentia diuina nobis missa, siue in pœnam peccatorum, siue ad exercitium virtutum, siue ob alios fines nobis ignotos. *Tertius* fons est; ferre aliorum mores, nostris aut contrarios, aut longè ab eis distantes: cùm cogamur agere cum alijs valde cholericis, aut phlegmaticis, vultuosis, tardis, aut prauas habentibus propensiones, & complexiones, quæ valde vexant, & affligunt habentem contrarias: in quo genere multum habent quod tolerent Domini à famulis, & è contrà famuli à Dominis; & ipsi Religiosi, & quicunque in aliqua communitate degunt, vbi variæ, valdeque repugnantes esse solent propensiones ac mores: ita Deo permittente ad exercitium Electorum: & ita Pater Balthassar nobis dicebat: non esse virtutem perfectam, nisi cum proximis in huiusmodi occa-

a *Psal.* 38. 10

occasionibus probetur. *Quartus* fons est: ferre ignominias, contemptus, ac detrimenta, quæ nobis euenient ex eo quòd alij, qui nos contingunt, & aliqua ratione ad nos pertinent, similia patiantur, cùm sit certum, infamiam alicuius sanguine nobis valdè coniuncti, aut etiam magni amici, redundare in infamiam reliquorum eiusdem consanguinitatis; & in Religionibus hoc est magis frequens: nam vnius Religiosi delictum & infamia in causa est; cur reliqui eadem notentur: quia vulgus ignarum reliquos iudicat esse illi similes, cuius infamiam culpamue nouerunt. Quod igitur innocentes huiusmodi infamias ac dedecora patienter ac demissè ferant, fons est magnorum meritorum: & P. Balthassar dicebat: hunc esse verè pulpæ bolum absque vllo osse: eò quòd, à propria culpa sit liber, & expeditus. *Quintus* fons erat: ferre afflictiones spiritus in rebus diuini obsequij, quæ magnam adferunt pœnam; nec possunt sæpè remedium à nobis habere: quales sunt spiritus ariditates, distractiones, obscuritates, animi deiectiones, scrupuli, & varia alia tentationum genera; ac Dæmonis persecutionum, cum horrendis imaginibus & figuris, quæ valde animam cruciant. Sed omnes signatæ, ac limitatæ, veniunt à Dei prouidentia, pro cuius voluntate sunt tolerandæ, quamdiu non possumus illas amouere. Et ad hunc fontem reducitur, quòd bono animo ferantur probationes, quas faciunt Confessarij, alijque DEI Ministri & Prælati ad examinandam aut perficiendam eorum virtutem, qui ab ipsis diriguntur & gubernantur.

HI sunt quinque patiendi fontes, ex quibus vterque valde profecit, qui de eisdem cōferebant. Et ipsa Mater Maria Diatia experta loquebatur: quia dederat ei Deus feruentia desideria pro eo patiendi, eamque liberali manu in quinque prædictis fontibus exercuerat. Ad instantiam sui Confessarij mansit per sex annos apud quandam nobilem Dominam Abulensem; qua tamen ignara, passa est ipsa insignes molestias à domesticis famulis, opprobria, irrisiones, verba iniuriosa, & opera aliàs valde incondita; tantaque fame premebatur, vt delicias reputaret, vel panis frustulum habere, quo se sustentaret: & in his omnibus stupendum seruabat silentium, sibi persuadens, meritò se ab illis ita tractari. Et cùm se votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ obstrinxit, statim Deus tanta ariditate illam probauit, vt die quodam humili & iucunda querela, illi diceret; & quid hoc est Domine, postquam tibi dedi quidquid habebam, & dare poteram, ita me deseris? hocne tibi bonum videtur? & præter hoc permisit Dæmoni, illam valde vexare, & multos graueſque morbos ac dolores illi immisit: & nec his omnibus saturabatur. Et cùm octuagenaria esset, hisq; calamitatibus valde onerata, longiorem optabat vitam, vt plura pro suo creatore pateretur. Et cùm sancta Mater Theressa de IESV (cuius paulò post faciemus mentionem) ei diceret, se valde anxiè aspirare ad videndum Deum: illa respondit, potius se optare, hoc exilium sibi differri, vt plura pati posset; nam in hac vita se posse aliquid DEO dare, tolerando pœnas, & calamitates pro eius amore;

at in altera non aliud esse, quàm accipere præmium præteriti laboris: & cùm satis temporis supersit ad fruendum Deo per totam æternitatem: æquum esse, hîc multum pati propter dilectum, vt magis illi placeat. Hæc erat pia harum duarum sanctarum contentio, & vtraque habebat desideriorum suorum bona fundamenta; quamuis Matris Mariæ Diatiæ esset valde securum: quia non proprijs viribus, sed Dei gratiæ innitebatur; cuius donum, & quidem valde singulare est, aliquid pro eius amore pati. quod apertè dixit Apostolus: b *quia vobis* (inquit) *donatum est pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini*: & ita hæc sancta dono hoc locupletata & meritis plena obijt Abulæ fœliciter, & obtinuit à Deo coronam, & præmium prolixorum seruitiorum, & magnarum tribulationum: à cuius exemplo hausit etiam Pater BALTHASSAR magnam illam opinionem, & æstimationem patiendi pro CHRISTO, qui multas ei obtulit occasiones, qua posset suam sitim satiare.

b Philip. 29.

§ (*) §

CAPVT XI.

MATREM THERESSAM DE Iesu idem Pater plurimum iuuit: & illa habuit reuelationem quandam de praedestinatione Patris, vt magis ipse respiraret.

ALTERA insignis fœmina, quæ tunc Abulæ erat, vbi Deus illam posuit; vt esset sanctitatis exemplar, non solum in illa ciuitate; sed etiam in toto orbe Christiano, fuit beata illa Mater Theressa de Iesu tum monialis in monasterio Incarnationis Carmelitarum Calceatarum, quæ postea fuit insignis fundatrix monialium Carmelitarum Discalceatarum, cuius sanctam vitam, vtpote toti mundo notissimam hic non referam, tum quòd libri de ea sint editi; tum quòd heroica eius facinora abundè illam manifestant: propter quæ est verè nostræ Nationis decus. nam quemadmodum Hispania ex prouidentia diuina protulit Ecclesiæ sanctæ illustres duos Patriarchas, Sanctum Dominicum, & Sanctum Ignatium, adeò insignium duarum Religionum Fundatores, quales sunt Prædicatorum & Societatis IESV: ita eadem prouidentia deinde nunc, quod antea non dederat, sanctam scilicet & strenuam fœminam Matrem & Fundatricem mulierum Religiosarum adeò perfectarum

qu

quæ eadem iuuit, vt resuscitaretur, ac renouaretur; aut certè noua quoque fieret similis Religio virorum. ad quod præstandum præuenit eam Deus extraordinarijs misericordijs, & Pater Balthassar plurimùm eam iuuit, vt ipsamet fatebatur: nam interroganti cuidam ex suis monialibus, an sibi expediret cum sancto Patre isto agere; respondit magna Dei erga te esset misericordia. nam talis est, cui anima mea præ alijs omnibus plus debeat in hac vita, & qui præ alijs adiuuit me, ac direxit in via ad perfectionem. Et in eo libro, quem iussu Confessarij sui edidit, referens, quòd tota sua fœlicitas fuisset, egisse cum Patribus Societatis IESV, quantumque profecisset ex primo Confessario, quem ex ea habuit; addit de secundo: (qui fuit Pater hic BALTHASSAR) hic cœpit me ad maiorem perfectionem promouere: dicebatque mihi: ad placendum omninò DEO, nihil me præterire debere: magnaque industria, & suauitate exuit me priuatis amicitijs.

§. I.

ET re ipsa ita fuit: nam primum, quod apud illam effecit, fuit, præscindere aliquem excessum, quem in suis initijs in hoc genere habebat. cùm enim valde esset illustratus, & expertus; nouerat, ingens detrimentum ex priuatis amicitijs, & nimijs affectionibus ad creaturas prouenire: etiamsi aliàs bonæ esse videantur. nam per eas, aiebat, captiuari cor; & amittere libertatis & ingenuitatis priuile-

gium, quo DEVS illud donauit, cùm hominem condidit; fieríque inhabile & ineptum ad familiaritatem cum ipso DEO Domino nostro. Trahunt enim post se cogitationes ad personam amatam; furantur tempus, nec locum relinquunt, quo Deus in corde maneat; nec vt ipsum possit soli suo Creatori adhærere, & vniri. Cùm igitur ille aduerteret, seruam hanc Dei difficultatem magnam sentire in renunciandis aliquibus, bonis aliàs amicitijs, eò quòd ingratitudinem reputaret; non benè velle, & id ipsum ostendere ei, à quo sciebat se amari: dedit operam, vt hoc impedimentum dexterè remoueret, suadēs ei im primis, vt per dies aliquot rem seruo Deo commendaret, dicens in eum finem hymnum: Veni Creator Spiritus, vt lucem diuinam impetraret, qua posset, vtrum melius esset, discernere: quod cùm illa fecisset, adeò illi fœliciter euenit: vt in quodam Raptu dixerit ei Dominus: nolo, te ampliùs conuersationes cum hominibus habere, sed cum Angelis. Ex quo tempore nec solatium nec amicitiam vllam habuit cum persona aliqua, quæ non esset fidelis DEI serua, abscissis omnibus imperfectionibus, & excessibus, quos in ea materia habere solebat. Ex his apparet periti huius Magistri prudentia ac dexteritas, qui noluit vno tractu amicitias illas euellere, sed ipsam in bona via collocare, vt ipse DEVS noster, cuius hoc est opus, eas euelleret. Eò enim industria nostra est dirigenda, dum cum illis personis agimus, quibus DEVS solet se communicare.

Cap 24. vitæ ipsius.

EAN

EANDEM etiam mortificabat reprimendo acceleratione præproperas in aliquibus rebus, quas cupiebat: vt sic fieret sui ipsius Domina, etiam in rebus bonis, de quibus agebat, iuxta illud Apostoli: a *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: neq; ego sub vllius redigar potestate.* Semel hæc sancta valdè anxia scripsit ad illum absentem Epistolam, rogans vt statim illi responderet, eò quòd valde esset afflicta. Sed Pater Balthassar iudicans, expedire potiùs illam mortificare; & anxietatem illam & festinationem moderari, statim quidem ad literas respondit: sed in ipsa superscriptione adiecit, ne intra mensem integrum illas aperiret: quod illa fecit cum magna sui mortificatione.

a 1. Cor 6. 12 & c. 10. 22.

SED multò ampliùs illam probauit tempore aduersitatis & tribulationis eius, circa modum & viam, qua Deus illam deducebat, quæ erat valde excelsa & extraordinaria: aliquando enim ex instituto cum ea agens, dicebat illi, omnes existimare, esse Dæmonis illusionem, quod illa habebat, ac sentiebat: & ipse insinuabat, se idem sentire. Prohibuit illi Communionem sacram per viginti dies, vt experiretur, quomodo id ferret: & tot mortificationibus eam exercebat, vt sæpiùs sensserit tentationem ab eo abstinendi, adeò se ab eo affligi ac premi sentiens: Sed quoties id facere statuebat, grauem in anima sentiebat reprehensionem, eam deterrentem, ne ab eo discederet: & ita mansit cũ eo constans, & concepit magnam erga eum reuerentiam, & amorem. Et quidem meritò: cùm enim ipse certò cognouisset veritatem boni spiritus huius sanctæ tum ex luce sibi à Deo com-

Vide Riberã lib. 1 c. 2. de eius vita.

municata; tum ex ea, quam ex libris spiritualibus in eum finem ab ipso lectis hausit; ac denique ex adhibitis probationibus: recepit in se valde fortiò, vt illam tueretur & ab alijs defenderet; & ita fuit semper eius solatium, protectio, & refugium ad ferendas aliorum contradictiones, nec deficiendum in tanta iudiciorum varietate, quæ circa ipsius Spiritum ferebantur. De qua re cum illa loquitur in capite 28. libri sui ait: se ijs, qui ipsi obijciebant, quòd esset à Dæmone illusa, & quòd eius reuelationes essent falsæ, respondisse. id esse non posse: nam se experiri in seipsa profectũ in exuendis vitijs, & virtutũ augmentũ: & mox hæc verba subijcit, quibus ostendit, quanti faceret P.

„ Balthassarem Aluarez. Confessarius meus, Patet
„ scilicet quidã valde sanctus è Societate Iesu: hoc
„ ipsum respondisse cognoui. Ille erat valde pru-
„ dens, & humilis: quæ tanta eius humilitas multas
„ mihi attulit molestias: nam, etsi vir esset magnæ
„ Orationis & Eruditionis, non tamen fidebat sibi ip-
„ si: quia necdum Deus illũ eadem via deducebat,
„ tulit & ipse multis modis graues mecũ molestias
„ noui, ipsi dictũ, vt sibi caueret à me, ne à Dæmone
„ deciperetur, si meis dictis fidẽ adhiberet. ad quod
„ persuadendum adducebant varia aliorũ exempla,
„ id quod valde me angebat, & verebar, ne forte
„ defuturus esset, qui meam Confessionẽ vellet exci-
„ pere: fuit verò Dei prouidentia, quòd ille con-
„ stans esse voluerit, measq; Confessiones excipere.
„ Sed tãtus ipse erat Dei seruus, vt eius causa cuiuis
„ rei se exponeret: & ita mihi dicebat: caue, ne Deũ
„ offendas; neq; ab ijs, quę tibi prescribo, recedas: &
„ sic ne timeas, me tibi defuturũ. Sẽper me animabat

& bo-

& bono animo esse iubebat, præcipiens, ne quid "
illi occultarem: nam si id facerem, etiamsi Dæmõ "
esset, qui mecum ita ageret, non posset mihi no- "
cere: & potius Deum ex malo, quod ille animæ "
meæ machinaretur, bonum deducturum. Ego au- "
tem cum tantopere timerem, in omnibus ei pare- "
bam, licèt minus perfectè: nam satis multa à me "
perpessus est per triennium, cùm meas Confessio- "
nes audiuit; in magnis enim persecutionibus, quas "
habui, & multis rebus, in quibus Deus permitte- "
bat, malè de me iudicari, cùm sæpe innocẽs essem: "
in omnibus, inquam, illis ad Patrem ipsum recur- "
rebatur, & reus mei causa agebatur, cùm esset pla- "
nè innocens. Impossibile fuisset, nisi tantæ vir "
Sanctitatis fuisset, eumque Dominus animasset, "
tantũ ferre potuisse: oportebat enim illis respon- "
dere, qui iudicabant, me planè perire: nec tamen "
ipsi credebãt: sed & me quietam reddere, metum- "
que, quo ego afficiebar, curare oportebat. Ille ma- "
gna sua pietate me solabatur, quod si ipse sibimet "
credidisset, non ego tanta perpessa fuissem: Deus "
enim veritatem illi omnium aperiebat, nam & i- "
psum Sacramentum (quod ego quidem credo) lu- "
cem & notitiam illi dabat. Hęc sunt Sanctæ illius "
matris Theressæ verba, quæ apertè indicant Pa-
tris Balthassaris humilitatem & prudentiam, qui
in rebus adeò grauibus nolebat proprio suo sensu
duci: qui tamen adeò erat rectus, vt inter tot ab-
errantes; quod ipse sentiebat esset rectum; & quod
ipse probabat, omnes iam probant. Quod autem
vltimis verbis ait: quod Sacramentum lucẽ illi &
notitiã daret, insinuat reuelationes, quas Pater,
dum sacrum Missæ celebraret, habere solebat de

ijs, quorum gerebat curam, vt ſupra cap.6. eſt dictum. Ex quo intelligimus, ſanctum hunc virum magnam habuiſſe de ſanctitate, & ſpiritu ſancta huius Virginis opinionem; quam & ipſa ſatis oſtendebat in adeò exacta Obedientia, qua tanquam aliqua infans ſe illi ſubijciebat in omnibus, quæ ille præſcribebat. Quædam inſignis Domina valde pia, & in vtrumq; benè propenſa retulit: Patrem Balthaſſarem ſibi aliquoties valde exaggeraſſe huius Matris ſanctitatem; & Mariæ Diatiæ multum eam prætuliſſe; & addidiſſe: videtis, quantum Thereſſa de Ieſu à Deo habeat; & qualis illa ſit? eadem tamen ad omnia, quæ illi dico tanquam infantula aliqua ſe gerit.

§. II.

EANDEM etiam valde iuuit in conſtitutione Monaſterij Recollectionis. nam licèt ob importunam contradictionem, quæ circa illud oriebatur, iuſsit illã ad tempus ſupperſedere & quia dubius erat, in id magis propendebat, ne vlterius progrederetur: Dominus tamẽ noſter, qui in cœptis progredi iubebat, iuſsit, Cõfeſſario ſuo dici, vt matutinã orationem inſtitueret ſupra illũ verſum Pſalm. 95. a *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.* In qua oratione P. Balthaſſar manifeſtè vidit, illud eſſe, quod Deus volebat; & quod per vnã fœminã mirabilia ſua eſſet oſtẽſurus. quare dixit illi, non eſſe ampliùs dubitandũ, ſed rediret ad agẽdũ de illius Monaſterij fundatione, in qua ipſam direxit, & in cõdendis conſtitutionib. ac legibus iuuit, quibus nunc omnes gubernãtur, qui in ea Religione viuunt. Et licèt ſancta hæc Virgo, vtpote valde

a Pſal. 91. 6. Ribera. lib. 1. cap. 14.

valde prudens, consilia sua cũ alijs grauibus, eruditis, & spiritualib. viris sacrarũ aliarũ Religionũ, & nominatim gloriosi Patris S. Dominici cõtulerit: quãdiu tamẽ P. Balthassarẽ apud se habuit, hic fuit ordinarius eius Magister & Consiliarius, qui etiã postea illã iuuit in fundatione Monasterij Metinẽsis, & Salmãtini, cùm illorum Collegiorũ esset Rector. Nã postquã discessit Abula, neq; ipsa neglexit ad eum recurrere in suis dubijs & negotijs, (quã ratione fieri poterat) nec ipse passus est occasionem occurrentem illam iuuandi, elabi, literis, consilijs & alijs diligentijs iuxta occurrentes necessitates.

IN cuius rei testimonium subijciam hic partem cuiusdam Epistolę, quam Salmantica ad illam dedit, consolans illam in quibusdam angustijs constitutam. Iesus, inquit, tibi sit lux & solatium, has "
scribo potiùs propterea, quod id petieris, quàm "
quòd indigeas aliquo meo solatio, quo animum "
tibi addam, siquidem etiam in leuioribus ictibus "
soles prius à Deo moneri, præueniri, & roborari. "
b *Absit mihi*, inquit S. Paulus, *gloriari nisi in cruce* b Gal. 6, 14.
Domini nostri Iesu Christi. Et ego dico absit à me "
etiam, vt cogitem, te posse in alio gloriari, siqui- "
dem tuus spiritus magnam reputat gratiam, tan- "
tum de eius dulcedine degustasse. Si Deo valde "
placet, vt moriatur Isaac propria scilicet nostra "
delectatio: verè est magnum beneficium repu- "
tandum, quod Abrahamo ignem & gladium of- "
ferat, quo statim sacrificiũ peragatur. Nõ me pre- "
munt huiusmodi angustiæ, cùm sciã in quanta la- "
xitate &, iucũditate viuãt in eis, qui diligunt Deũ "
& expertus sum fœliciores rerũ tuarum euentus "

per

„ per huiusmodi media, quàm per alia magis grata,
„ & fauorabilia sperabantur. Remedium itaque e-
„ rit, benè sperare, tacere, ac Dominum continuè
„ orare, vt ipse det indicium, quòd hoc illi placeat:
„ ipse siquidem solus manifestare potest suorum o-
„ perum virtutem, suorumque consiliorum magni-
„ tudinem populo suo. Ego, Domina, faciam hic
„ meum Officium, & vbicunque vtilis esse po-
„ tero.

Hæc Pater Balthassar scripsit, & re ipsa præsti-
tit, attendens semper rebus huius sanctæ, & mo-
nialium eius Metinæ, Salmanticæ, & Vallis-Ole-
ti, & vbicunque fuit: afficiebaturq; singulari con-
solatione, agendo cum illis de rebus ad animam
pertinentibus: reputans eas tanquam lampades
accensas, diuino amore ardentes: sicut solét lam-
pades coram Sanctissimo Sacramento. Obseruatum
est autem, hanc eius operam fuisse Deo gra-
tam, ex aliquibus rebus obseruatione dignis, quæ
illi euenerunt, vt suis locis inferiùs referetur.
Nunc finem imponam referendo insignem quan-
dam gratiam & fauorem à Deo D. N. ipsi P. Bal-
thassari per Sanctam hanc Virginem exhibitum,
quo operam & laborem remunerauit, quem eius-
dem Virginis causâ suscepit; eumq; multum; ad
progrediendum iuuit. Nam huiusmodi pœniten-
tes, vt suprà est insinuatum, non minus iuuant
suos Confessarios, quàm ab eis adiuuentur. Erat
itaq; semel Pater Balthassar valde anxius ex quã-
dam tentatione de prædestinatione sua, disputans,
& obijciens ac respondens sibi, an esset sal-
uandus nec ne: & sancta hæc Virgo id aduertens,
recurrit ad Dominum nostrum, vt dignaretur illi
adesse

adesse: qui ei reuelauit, ipsum fore saluum; ostenditque illi præstantem quendam locum, quem in cælo esset habiturus, & adiecit, quod ille tunc in terra esset in adeò excelso perfectionis gradu cõstitutus, vt eò tempore nullus esse in altiori: & iuxta talem gradum reddendos illi gloriæ gradus in cælo. Hac accepta reuelatione, dixit illa P. Balthassari: vt bono esset animo: nam Magistrum (ita ipsum Christum D. N. compellabat) sibi dixisse, esse certam ipsius saluationem. A quo momento ita fuit ipse consolatus, tantumque animum sumpsit: vt aduerterit verè fuisse cœlestem reuelationem: & ipsamet sancta idem multis alijs Societatis Patribus, & aliquibus suis monialibus, alijsq; personis religiosis retulit, quæ id tanquam certissimum referebant. Et ipsemet P. Balthassar habuit postea similem aliam reuelationem, vt suo loco dicetur. Non tamen prætermittam, quod in hac reuelatione refertur consideratione valde dignũ: nam quo tempore illa fuit facta, & in ea dictum, quod ipse excederet in perfectione reliquos tunc in terra existentes, plurimi erant insignis sanctitatis in Ecclesia, & in ipsa Societate, & extra illam: quod si tunc adeò ille excellebat in sanctitate: quanto amplius in ea profecerit postea, cùm aliquot adhuc annos superuixerit: multisque heroicis diuini obsequij operibus studuerit? Deinde, non solet Deus huiusmodi arcana reuelare, nec velle manifestari personis non satis in virtute solidis, ob periculum alicuius arrogantiæ & superbiæ, aut ne de suo profectu aliquid ex negligentia relaxent. Cùm igitur ipse voluerit eam manifestari eidem Patri; imò & ipsemet eandem mani-

manifestauerit; magnũ signum est, fuisse illũ valde in profunda humilitate, & feruenti Zelo quotidie in virtute proficiendi radicatum, & quod eadem reuelatio magis ipsum impulerit ad egregia facinora aggredienda: multosq; labores pro Deo suo & animarum salute subeundos. Dicere etiam licet: magnam eius hanc sanctitatem significatam fuisse per illam magni splendoris coronam, qua eadem S. Virgo coronatum eum vidit, dum sacra celebraret vt cap. 6. supra est dictum. Deprehensum est autem, quanti illa suum hunc Confessarium faceret: siquidem hanc visionem ad propriã Suam consolationem scripsit & notauit in secretioribus suis chartis; quas diligentissimè custodiebat: quæ postea peruenerunt ad manus Episcopi Taraconensis Dydaci Iepesij, qui sanctæ huius vitam edidit: & in eis eam legit, alijs legendam proposuit. Idem confirmat, quod eadem Sancta dixit cuidam præcipuæ Dominæ, quæ postea alijs retulit: quod de nullo Orationis puncto, aut modo loqueretur ipsa cum P. Balthassare, in quo ipse non præcederet: quod mirum fuit dictu, cum ipsi Sanctæ plurimum Deus in hoc genere communicauerit: huiusmodi autem donum ordinariè non datur nisi ei; qui aliàs multum profecerit. Sed breui videbimus, fuisse valde verisimile, quod hæc sancta Mater de eo dixit.

D. Annæ Enriquez.

* *
*

CAP.

CAPVT XII.

MITTITVR METINA MDE Campo, & Anno 1567. Profeßionem edit quatuor Votorum, quam ad vnguem seruauit.

VM opera à Patre Balthassare Abulæ præstita apertum adeò testimonium darent magni eius talenti & Zeli ad animas ad perfectionem dirigendas ac deducendas: operæ pretium iudicarũt Superiores Metinam illum mittere, vt Rectorẽ & Tyronũ Magistrum ibi ageret, eadem ratione nostros ibi dirigeret, ac iuuaret. Migrauit itaq; Metinam de Campo Anno 1566. post Festũ Epiphaniæ. Sed priusquam referamus, quę illic in proximos egit: expediet duo prę-mittere præclara, quæ illi in eodẽ loco euenerunt Anno 1567. Nã primo die Maij eius anni edidit solennẽ Professionẽ, quam in Societate appellamus Quatuor Votorũ, qui maxim' est gradus in nostra Religione: quo illa viros reputat in virtute ac literis consũmatos, quos ad eã admittit. Quẽadmodum enim in Catholica Ecclesia duplex est Perfectionis Status: alter ad eã assequendã tendentium; alter eandẽ docentium: primus est Religiosorum proprius qui (teste S. Thoma cùm de his statibus agit) non tenentur statim esse perfecti; sed per media, quæ ipsorum Institutũ præscribit, ad eam contendere. Secundus est proprius Episcoporum, qui tenentur esse perfecti: quia sicut nemo potest

ANNO 1566. 1567.

2.2.q. 186.a. 1. ad 3. & 4. 2. ad 1.

esse

esse in aliqua scientia Magister, in qua non sit per
fectus: ita, qui ratione sui status est constitutus a
perfectionem docendam, debet esse in illa perfe
ctus. Sed quoniam Episcopi non possunt assistere
& per se ipsos attendere omnibus ministeriis
quæ talis doctrina complectitur, adsciscunt
suos Coadiutores, animarum Pastores, & alios
Ecclesiæ ministros: ita, inquam, S.P. noster Igna
tius, cælesti luce illustratus, instituit in Societate
diuersos status & gradus cum aliqua similitudi
ne, ac proportione ad eos, qui sunt in Ecclesia
nam Tyrocinio finito emittuntur tria substantia
lia Religionis vota, quibus emissis nouitij fiũt ve
rè Religiosi, ac proinde tenentur ad perfectio
nem tẽdere, per media, quæ Societas illis, suis le
gib. ac Regulis præscribit. Et hic status durat tot
tẽpore studiorũ, quod ordinariè est septem anno
rum. quo tempore scientias addiscunt ad nostri
ministeria aptè peragenda necessarias: quibus stu
dijs absolutis habent adhuc tertium annum Pro
bationis, in quo spiritum renouant, & ex institu
to sese applicant ad exercitia virtutum instar Ty
ronum. Et cùm fiunt Sacerdotes, exercent ad ali
quod tempus aliqua ministeria; studentes interim
propriæ perfectioni consequendæ iuxta nostrum
Institutum: quo tempore Superiores obseruant
& experientiâ ipsâ discunt talenta illorum in vir
tutibus, literis, prudentia, & actione cum proxi
mis. In quibus omnibus dum vident, sibi satisfa
ctum; & quod illi sint viri consummati & perfe
cti, eos admittũt ad solennem QVATVOR VO
TORVM Professionẽ: in qua vltrà ordinaria tria
Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, addun
qua

quartum specialis OBEDIENTIAE Summo Pontifici circa Missiones, quo sese obstringunt ad eundem ad quamcunque orbis partem, quò ipse illos mittere voluerit, siue ad fideles, siue ad infideles, ad dilatandam scilicet Catholicam fidem, & promouendam salutem animarum per ministeria lectionum, Concionum, & Administrationis Sacramentorum, & reliqua nostri Instituti: ad quæ præstanda necessaria est valde heroica resignatio, virtusque valde perfecta, cum insigni Dei & proximorum amore & charitate. Ac propterea non est tempus præscriptum, aut limitatum, intrà quod hæc Professio fieri debeat, iuxta nostras Constitutiones à Summis Pontificibus approbatas præcipuè in quadã bulla Gregorij XIV. cuius hæc sunt verba: *tempus promotionis ad huiusmodi gradus nullo modo volumus certum, seu determinatũ esse; sed selectos spiritus, & doctrinæ viros, & multũ, diuq; exercitatos, ac in variis probationib. virtutis, & abnegationis suiipsorũ cum omniũ ædificatione satis cognitos, ad professionem esse admittendos.* Et quoniã huiusmodi in spiritu & literis conspicui viri non possunt esse multi: constituit S. P. noster Ignatius inferiorem alium gradum minus peritorum, quos Coadiutores vocat, quorum sit munus, ipsos professos in eisdem erga proximos ministerijs iuuare, qui tamen quarti voti obligationẽ non subeũt.

CVM igitur P. Balthassar adeò esset in virtute, spiritu, & scientia conspicuus, eisque talentis ornatus, vt supra diximus, ad ministeria Societatis fœliciter præstandà duodecimo post suum in Societatẽ ingressum anno admissus est ad Professionem solennem quatuor Votorum. & quamuis non

sit negandum, aliquid honoris hîc esse, quatenus est quoddam testimonium, quo ipsa Religio eum approbat in virtute & literis, quem ad Professionem admittit: reuera tamen non honoris causa talis gradus confertur; sed maioris oneris: cum nullum propterea priuilegium aut Exemptionem habeant à regulis & obligationibus reliquorum: sed potius exactiorem habent obedientiã & paupertatem, cuius speciali voto se etiam obstringũt; nunquam eam relaxãdi, nec dignitatẽ aliquã quærendi intra, aut extra ipsam Societatem; nec vllam extra illam acceptandi, nisi ab eo iubeantur, qui possit sub pœna peccati eam eis imponere. Sed ille maior est honor, si quis sit in explẽdis suæ professionis obligationib. exactus: (quod Apostolus
a 2. Tim. 4. 5. vocat a *ministerium suum implere*) quas P. Balthassar cũ magna excellẽtia expleuit, nõ minus quam voti, quam reliquorũ trium, vt suprà diximus. Nã propria Professorũ Societatis vocatio similis est vocationi Apostolorum, qui non alligabãtur alicui loco, sed per varia loca & prouincias, quæ illis obtigerant, excurrebant, prædicantes Euangeliũ: quãuis in aliquibus hæserunt diutiùs, in quibus copiosiores collegerunt fructus: ita *nostra vocationis est diuersa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur*: Et quocunq; Summus Põtifex, aut eius nomine, aut alio modo Præpositus Generalis eiusdẽ Societatis in eũ finẽ nos miserit: quãuis aliqui ex professis in aliquo loco hæreant, quando id siue ad gubernandum, siue ad docendum, siue ob aliam diuini seruitij causam est necessarium: dantes operã, vt illum adferant fructum,

ctum de quo Christus Dominus dixit: b *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructũ adferatis: & fructus vester maneat.* Hanc locorum varietatem, siue obiter in modũ Excursionis & Missionis; siue cõstanter diutiùs in aliquo hęrẽdo, explicauit Isaias duplici aptissima similitudine, conferens Euangelicos Operarios c *nubibus*, quæ à ventis impulsę *volare* videntur; & *columbis ad fenestras suas*, & nidos perniciter volantibus: verè enim nubes sunt nõ inanes; sed cęlestis sapiẽtię, ac doctrinę aqua plenæ, quæ flatu spiritus Sancti & Obediẽtię pulsæ discurrunt per totum orbem irrigantes terram cordium humanorum, vt sanctorum operum fructus proferat; & aliquas quidem partes diu & abundantius irrigant: quia in eis commorantur; in alijs verò non item: eò quòd in eis non hæreant, sed obiter transeant: ita tamen, vt fructum etiam aliquem inde colligant. Sunt quoque tanquam columbæ velociter ad suos nidos aduolantes, in quibus oua deponunt, illisque incubantes, pullos proferunt: eò quòd sint aues valde fœcundæ. Nam quamuis ex se ipsis ad quietem in aliquo angulo magis propendeant, in quo orant, gemũt, diuinaque mysteria meditantur, & animarum suarum magnum obtinent solatium: ibi tamen filios spirituales generant, & magna cum perfectione alunt, valdeque velociter ad loca diuersa volant, tanquam ad diuersos nidos: vt in omnibus similes filios progignant.

b *Ioan. 15. 16.*

c *Isaiæ 60. 8.*

TALIS fuit & quidẽ cũ magna excellentia vita P. Balthassaris, præcipuè post emissam Professionem: nam licèt valde propenderet, optaretque

collectus omnino esse, meditari, orare, & con-
templari: in quocunque tamen fuit Collegio,
gessit se tanquam columba fœcunda, plures ge-
nerans filios spirituales; quos ita educabat, vt es-
sent viri perfecti. Sed vt fructus eius copiosior
esset, & ad plures extenderetur, educebat illum
Deus ex particularibus Collegijs, vt tanquam no-
nerata nubes tantâ sapientiâ ac doctrinâ, excu-
reret per varias partes irrigans & fœcundans an-
mas. Quare illum Metinâ eduxit, vt Romam pro-
ficisceretur; & inde rediens, factus est Castellanus
huius prouinciæ Vice-Prouincialis: Ex angulo
illo Villagarti misit ad visitandam Prouin-
ciam Aragoniæ, & inde, vt esset Prouincialis To-
letanæ: & prius agebatur, vt mitteretur Prouin-
cialis Peruanæ Prouinciæ in Regionem adeò re-
motam, & infidelibus refertam: ipse tamen e
parte sua promptum & absque vlla replica ad il-
lam profectionem sese obtulit: ac re ipsa ita fa-
ctum fuisset, nisi aliunde fuisset impeditus. Ex-
peditâ autem vnâ ex illis profectionibus & occu-
pationibus, aliam similem Deus illi præparabat
ad quam tanta promptitudine, ac celeritate
ipse offerebat, sicut ad primam, in quo proinde
illud implebatur, quod Deus sancto Iob dixit:
c *Nunquid mittes fulgura, & ibunt; & reuertentia*
dicent tibi: adsumus? qua sententia (vt Sanctus Gre-
gorius exponit) insinuare voluit Deus, à dia-
no suo consilio & voluntate mitti operarios Eu-
angelicos ad varias mundi partes, instar veloci-
morum fulgurum, vt illustrent & accendat an-
mas in amore & obsequio sui Creatoris. Qu
missione expedita reuertuntur ad ipsum, glori-
ca-

c Iob 38. 35.
Lib. 30. Mor.
cap. 2.

cantes, gratiasque ei agentes ob fructum productum, qui verè ipsius est: & iterum eidem se offerentes, ac dicentes: ecce adsumus prompti, vt nos quocunque placuerit mittas. Quos cùm diuina Maiestas adeò gratos experitur nouas illis offert occasiones, quibus magis ipsi proficiant, & copiosiores fructus colligant, quod fecit Pater hic Balthassar vbicunque fuit, vt ex ijs apparet, quæ fecit Abulæ; & magis apparebit ex dicendis, quæ alibi fecit.

CAPVT XIII.

HOC IPSO ANNO LARGITVR Ei Deus insigne Orationis & Contemplationis donum, cum duodecim stupendis fructibus: rem totam refert ipse Superiorum iussu.

HOC ipso tempore plus minus expleti sunt sexdecim anni, quibus Deus P. Balthassarē cōtinuit in ordinaria orationis ratione & via, mentis scil. ratiocinatione & meditatione: quam inceperat quatuor annis ante ingressum in Societatem: incepit enim huic orādi modo vacare (vt cap. 1. est indicatum) Anno 1551. ab eo, inquam, tempore, vsque ad Annū 1567. quo suam edidit professionem elapsi sunt. 16. prædicti anni: quo tempore exaltatus à Deo fuit ad excelsiorem orationis rationem, quietis scilicet & vnionis; & ad perfectam illam quietamq; con-

tẽplationem, quam in 2. capite insinuauimus. Se
quoniã internahuiusmodi sensa, diuiniq; fauores
qui in corde ex familiaritate cũ Deo percipiũtur
nõ possũt ab alijs agnosci, nisi, qui eos accipit, ma
nifestet; aliunde verò humilitatis spiritus ad eos
occultãdos impellebat: constituit, rẽq; ita direxit
prouidentia diuina, vt P. Balthassar duabus vijs se
manifestaret, quæ in corde suo gerebantur: altera
fuit charitatis & amoris erga proximos, qui illi
exstimulabat, ad aliquid tale manifestandum, vt
illorum necessitati consuleret; altera fuit efficac
cior, sanctæ scilicet Obedientiæ, quia iussus fuit
à superioribus id facere, præcipuè verò à Patre
Nostro Generali, qui tunc erat; cui fuerat signi
Cap. 40. 41. ficatum, aliquos (vt postea fusiùs indicabitur)
non ita benè sentire de eiusmodi orationis ratio
ne, timentes, ne fortè esset illusio Sathanę transfi
gurantis se in Angelũ lucis. Vt igitur rei veritas
meliùs & certiùs cognosceretur, iussus fuit ra
tionem reddere suæ orationis, & eorum, quæ
in ea gerebantur: Is verò tanquam Obedien
filius, plenam omnium informationem misit
ad ipsum Patrem Generalem, quam hic referre
oportunum esse existimaui, tanquam necessariam
ad intelligendas insignes gratias ac beneficia hoc
anno à Deo Domino nostro illi concessa. Quæ, vt
cum vtilitate & profectu nostro legatur, & cum
stupore ingentium fauorum illi exhibitorum
perpendendi sunt duodecim præcipuè fructus
quos ex tali oratione percepit: in quibus sum
matim continetur celsitudo & sanctitas totius
perfectionis Christianæ: ad quam decet aspirare
omnes, qui valde esse spirituales cupiunt, præci
pu

puè Religiosos; & magis adhuc eos, quibus animarum cura incumbit, quas per viam Orationis, & familiaritatis cum Deo Domino nostro deducunt, modò proprium, & ipsorum, quibuscum agunt, profectum quærant. Tempus quoque perpendendum est, quod ad eam gratiam obtinendam impendit; & in memoriam reuocandæ diligentiæ, & conatus ab ipso adhibiti, vt voti sui compos euaderet, quæ retulimus capite secundo: vt his omnibus simul benè perpensis, si perceptus fructus arridebit, non negligamus animum ad similem laborem applicare.

Relatio, quam de modo suæ orationis ad P. Generalem Societatis misit.

§. I.

SEXDECIM annis laborem subiui instar arãtis, & fructum non colligentis. Habebam tũc pusillũ & angustũ cor cum ingenti dolore, eò quòd aduerterem, deesse mihi dotes, & talenta, ob quę videbam alios amari, & magni fieri; valdeque turbabar, & affligebar ob varias causas, ac desiderium vacandi orationi, non constituens nec inueniẽs quietem in rebus, in quibus oportuisset illam habere. Quam tentationẽ superaui, statuens apud me, non plus orationi impẽdere, quàm Sancta Obediẽtia præscriberet: deposita ac reiecta inquietudine illa, inaniq; appetitu euadẽdi in hoc excellens; & singulares fauores accipiẽdi sicut alij, qui plus quàm ego merebãtur. Eodem tẽpore etiã aduertebam, defectus meos potius mihi esse graues, quã me humiliare: & videbãtur mihi esse impedi-

mento ad consilia, quæ Deus moliebatur, & ex hac cordis mei angustia affligebant me aliorum defectus, quorum curam gerebam: & existimabam, bonam gubernationem hoc exigere, vt tu cum illis agerem, vt semper cum animi mœrore omnia agerent, donec se emendarent.

ELAPSIS quatuordecim annis, eo vsque deueni, vt in Dei conspectu me collocarem, vbi instar pauperis alicuius Eleemosynam acciperem: sed quoniam me ipsum valde respiciebam, toto hoc tempore valde fui desolatus, iudicans, me non peruenturum ad perfectionem: & quia Deus non se mihi ita fauentem dulcemque ostendebat atque alijs: agnoui stultitiã meam: qui cùm malè à Deo recessissem; peius ad eundem redire vellem. Conuersus itaque ad me ipsum, per multos dies erubescebam in conspectu Domini, nec poteram præ pudore, verbum aliquod proferre, nisi vt me puniret, ignosceret, & remedium adferret: donec vocatus fui & admissus ad eminentius aliud exercitium: & hac arte alij etiam sunt adiuti.

ELAPSIS iam sexdecim annis ex tempore aduerti cor meum mutatum, ac dilatatum, à creaturis expeditum, & cum stupore quodam ei simili, quo beati affecti dicent in extremo Iudicio: quando te vidimus, Domine, omne bonum vidimus, & satiati sumus! hic itaque multa simul accepi. In primis veram opinionẽ, & appretiationem a *pretiosi* scientiamq; illud à *vili separandi*: Hîc inueni media satis apta, nec difficilia ad cælũ peruenendi; & me ipsum in Congregatione quadam ad beatitudinem destinata conspexi. Hic nouã accepi notitiam, & intelligentiam veritatum, quibus ani-

Iere. 15. 19.

anima iucundè alebatur: cuius finis erat quies & tranquillitas, ita vt penetrarem ad pectus vsque ipsius Dei, ex quo veritates illæ fluebant. Cessauit autem hoc per breue aliquod tempus: redibat tamen interdum; & nunc frequentiùs DEO sit laus.

HIC etiam subsidium accepi ad viuendum in cruce, in labore, & probatione, quamdiu voluerit Deus. Sensim etiam timorem deposui ex cordis mei angustijs & pusillanimitate conceptum erga eos, qui præstantiori essent intelligentia & sanctitate præditi: coram quibus non audebam aliàs comparere, iudicans me inter eos nec hominem esse, nec Intellectum aut Eruditionem aliquam habere; nec posse viuere, nisi positum in medio alicuius Viri sancti ad vnam partem & alterius rerum gerendarum periti ad alteram, ob meos in vtroque genere defectus; nunc autem licèt omnes magni faciam, eisq; opus habeam: videor mihi nõ ita eorum opera indigere, vt priùs; sed melius mihi & commodius esse cum Deo solo viuere, in quo omnia habeo.

HIC mihi intelligentia data est facultatis spiritus interioris pro me & aliis, iuxta illud Psalmographi: b *Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.* Et ex tunc experiri cœpi vitam quandam interiorem à Deo mihi donatam: vt ab ipso dirigerer etiam in rebus minutioribus. Ea quæ prius valde me solicitum reddebant & opprimebant: nunc fœlicius expedita video, quàm si dies noctesque de eis disponendis & expediendis cogitassem: ipsaque experientia didici illud S. Petri: c *Omnem solicitudi-*

b *Psal.* 30 8.

c 1. *Pet.* 5. 7.

tudinem vestram proijcientes in eum: quoniam ipsi est cura de vobis. Et expertus, quàm difficile ad stationem meam redeam, cùm non feci quod debebam: hic mihi magnus fuit stimulus, & simul cautela ac præsidiũ in agendo cum proximis, ad ita præstandum, quod debebam; vt nec me ipsum effũderem, nec peccarem.

HIC solatium accepi & leuamen in gubernatione: ne cura hæc traheret me totum post se: et enim liberæ & expeditæ cuiusdam voluntatis opus, inter multas & graues curas, absq; vlla cura versari. Hic mihi datum fuit seriò ingredi in me ipsum; & simul infixa mihi quasi ordinaria quædam corporalis Christi Domini nostri compositio. Hic anxietates meæ & tentationes euanuerunt habendi plus temporis ad incumbendum orationi: & expertus sum, DEVM plus dare verè mortificato in vna orationis hora, quàm non mortificato in multis: & plus mihi dari per viam occupationum à DEO præscriptam: quàm in otio & lectione Sanctorum, quam absq; tali obedientia ego ipse quærebam. Ex tunc ipsi defectus non ita me terrent, aut grauant; sed quodammodò me recreant: quia me humiliant: dũ quod in me est, mihi manifestant, deficiunt, & efficiunt, vt parũ mihi ipsi fidens, ad Deum ipsum transeam. Et ita illos quasi fenestras quædam animæ concipio, per quas Dei lux ingressa efficit, vt aduertam: defectus non volitos nec spontè & scienter admissos non impedire consilia Dei: quare non pluris illos facio, quàm sufficiat, vt coram ipso Deo de eis erubescam; & intelligam, opus esse nosipsos deserere. alieni etiam

defectus excitant in me compassionem, vt aduertam impatientiæ meæ fuisse, quòd mœstos illos, ac mœrentes efficere studerem: & potiùs opus esse illos tolerare: non tam illos, quàm ipsum DEVM intuendo. & tunc sequetur, vt DEVS subditos nostros reddat nobis promptos, iuxta illud: d *qui subdit populum meum sub me* &c. d *Psal.143.2*

Modus orationis eius.

EX QVO Dominus DEVS noster hanc mihi exhibuit misericordiam: oratio mea est, collocare me in eius præsentia, internè mihi & externè oblata, idque permanenter per modum habitus, cum eo exultanti. Consulatur Sanctus Thomas 2.2.q.24.art.9.ad.3. vbi ait, Tyronum siue Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, omnium quidem studium esse, ad hoc principaliter intendere, vt DEO inhæreant; sed cum hoc discrimine: Quod Perfecti etiamsi in charitate proficiant; non tamen hæc est principalis eorum cura; sed eorum studium circa hoc maximè versatur, vt Deo inhæreant, eoque fruantur: & licet idem etiam Incipientes, & Proficientes quærant: magis tamen sentiunt circa alia suam solicitudinem: Incipientes quidem, de vitandis peccatis; Proficientes verò de profectu virtutum: & in ipso corpore Articuli ponit exemplum motûs corporalis, in quo primùm receditur à termino, deinde appropinquatur ad alium terminum, in quo tandem est quies. Idem etiam Sanctus in Opusculo sexagesimo tertio de beatitudine, ad finem tertij principalis argumenti agens de modo & ratione, qua Beati fruuntur

Deo

Deo Domino nostro in gloria, ait; similiter in hac vita esse continuò fruendum Deo, cùm sit proprium nostrum bonum, & quidem dignissimum quo fruamur per eius gratiam & dona: in quibus & in reliquis nostris actionibus idem nobis meritò est quærendum, cùm dicat Isaias: e *lium* Dei *datum esse nobis*, vt eo fruamur etiam in hac vita. Ex quo apparet insignis cæcitas & insapientia eorum, qui anxiè Deum quærunt & suspirant, vt inueniant; & in ipsa oratione clamant, vt eos audiat: nec aduertunt, se esse templa viua, iuxta Apostolum, in quibus summum hoc bonum verè habitat; & maiestas ipsa diuina requiescit: tamen nunquam attendunt, vt præsente ipso Domino fruantur. Annon stultus est, qui extra domum suam quærit, quod habet in ea? & quis vnquam vidit aliquem eo cibo ali, quem quærit aut illi occurrit, quem tamen nec gustauit, nec comedit? aut instrumento vti, quod non inuenit? talis igitur est vita Deum semper quærentis, nec eo fruentis: cuius propterea opera sunt minus perfecta. Idem quoque Sanctus 2. 2. q. 183. a. 2. ad. 1. ait: licèt libenter pro Deo pati indicium sit amoris eius: certius tamen est indicium, si, omnibus rebus ad hanc vitam spectantibus relictis, cum eodem Deo in oratione gaudeat ac delectetur. Ex quo facilè constat, Dei fruitionem fructum esse communem Beatorum, qui sunt in cœlo; & Iustorum, qui adhuc in terra versantur.

e Isa. 9.6.

INTERDVM etiam in Oratione ratiocinor secundùm intellectum mihi datum, circa verba diuinæ Scripturę, & secundũ internas iustructiones interdum taceo & requiesco: quod silentiũ, & re-

quies

quies in eius præsentia ingens est thesaurus: Domino enim omnes res loquuntur, suntque in eius oculis apertæ: cor meum, vota mea, finis meus, conatus meus, mea viscera, scientia mea, vis & facultas mea: talesque sunt diuinæ eius Maiestatis oculi, vt vel ipso aspectu defectus meos remouere, desideria accendere, alasque mihi ad volandum, dare possint: cum ipse bonum meum, & obsequium suum magis cupiat, quàm ego ipse. Ex quo anima deducit: quòd cùm ipse sit viæ dux, penetretque per itineris angustias: debeat & ipsa per easdem transire: ideò enim ipse præcessit, vt cum quiete & pace ipsum sequatur, conquiescendo in prædicta fidei veritate: hoc reputans solatium, quòd si non obtineat quod cupit, & quærit: obtinet aliquid maius, conformitatem scilicet suæ voluntatis cum diuina, in qua exequenda vitam suam cõsistere reputat; nolens plus scire, quã ipse dare voluerit; nec celerius, nec alijs vijs, quam ipse præscribere voluerit, iuxta illud libelli Contemptus mundi, si eò perueneris, vt non teipsum quæras, sed me: tunc mihi multum placebis, & viues in magno gaudio: debilitati autem cordis sæpiùs gementis propter onus respondebit: nunquid desinet esse melius in te, quod Deus iam fecit? aut quòd tibi non videatur bonum desinet ipse facere suam voluntatem? Et hoc nunc est, in quo magis hæreo: estque mihi solatium, quod videam me coram Dei oculis pati; ac tractari, sicut ipse vult.

Est libellus Thomæ de Kempis, de imitatione Christi.

(***)

§. II. Quo-

§. II.

QVONIAM, postquam hanc orandi rationem amplexus sum, aduerti, me reprehensum, si, ea omissa, ad alias ratiocinationes digrederer: animum adieci, ad quærendos Authores, & rationes ad eam fulciendam & corroborandam. Authores sunt S. Dionysius Areopagitta capite primo de Mystica Theologia; Sanctus Augustinus epist. 119. S. Thomas superiùs citatus, & in ea Apocalypsis verba cap. 8. *factum est silentium in cœlo quasi media hora*; & in eadem verba S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 26. circa finem, & cap. 24. super illa verba Iob cap. 39. 6. *cui dedi in solitudine domum*; & homilia 14. in Ezechielem ad illa verba capitis 40. 5. *& in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum & palmus*. Sanctus Bernardus serm. 55. in Cantica, Albertus Magnus, de adhærendo Deo, cap. 20. Sanctus Ioannes Climacus Gradu 27. & Spiritus sanctus Eccli. 32. 9. in illis verbis: *audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia*: quasi dicat, audi tacens, quod te docet DEVS, & propter hanc reuerentiam, quam illi exhibes, dum eum tacens audis, bonam suam gratiam, amicitiam & familiaritatem accipies. Hæc quies videtur esse somnus ille, quem DEVS in Canticis cap. 2. 7. iubet, animas seruare illis verbis: *adiuro vos filiæ Hierusalem ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit*. Et ipsa Sponsa respondet: *hæc vox dilecti mei*: nam huiusmodi bolus adeò dulcis, & cum tanta securitate, ab eius tantum manu potest mihi proueni-

uenire. Hæc est requies promissa præteritis laboribus in quærendo Deum. & eadem Sponsa c.3. 4. ait: *Inueni quē diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*: nam cùm anima complectitur eum, qui fecit res omnes, quæ exhilarant: cur debet esse tristis? Tristitias & pœnas nos ipsi proprijs manibus accipimus, dum res illas quærimus, quæ illis abundant; deserimus verò eas, quæ vitam in se ipsis & gaudium habent: ex quo fit, vt ipsa nostra desideria, nostri sint carnifices. Finis & scopus omnis cupiditatis, maximè improborum huius mundi; est quies, & tranquillitas: laborant enim in iuuentute, vt in senectute quiescant; & eorum vita, qui semper sunt in ærumnis, nec vllam habent requiem, habetur infœlix. Et ita S. Thomas opusculo 63. reprehendit eos, qui vitam suam expendunt tantùm in quærendo; & nunquam in fruendo Deo: quorum exercitia, ait ipse, minoris esse perfectionis. Scopus ædificantis domum est, eam inhabitare; & plantantis vineam, eius fructu gaudere: *quis pascit gregem* (ait Apostolus) 1. Cor. 9. 7. *& de lacte gregis non manducat*? Et ipse Christus D. N. Lucæ 19. 41. ad Ierusalē *si cognouisses*, inquit, *& tu quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*! quasi diceret: non aduertis bonum, quod habes, alioquin non ita esses infœlix: non enim aduertentem, se hoc bonum habere, ipsum desiderium illud habendi reddit inquietum; quia non agnoscit, se iam habere, quod quærit. cùm autem attendit, sibique persuadet, se habere, quod quærit, requiescit: eum in modum, quo quis aliquem quærens, cum quo iam colloquitur; si eū non agnoscat,

etiamsi

etiamsi cum illo sit, cruciatur: non enim plenè e
sui voti, ac desiderij compos: ita euenit Mari
Magdalenæ etiam cùm loqueretur cum ipso Chri
sto resuscitato: non enim habebat requiem, donec
ille se manifestauit; & illa eum agnouit. Qui
semper præparat, quod comedat; & nihil tamen
degustat? *est aliud malum* (ait Eccles. c. 6. 1.) *quod
vidi sub sole: vir cui dedit Deus diuitias, & substan
tiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omni
bus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, ut
comedat ex eo.* Interest autem inter hoc aduer
tem, & non aduertentem, quod inter esurientem
laborantem, vt quærat, quod comedat; & eum
qui postquam quæsiuit, comedit, quod inuenit: hi
enim comedendo requiescit, præcipuè si conuiuium
sit copiosum & lætum. Postquam quis labora
in quærendo Deum, & inuenit: hoc superest, vt
lo fruatur: *gustate*, inquit Dauid 33. 9. *& video
quoniam suauis est Dominus.* Huius viæ præstantia
& excellentia describitur Sap. 8. multis Spiritus
sancti proprietatibus, nam cùm sapientiæ spiritus
venit in animam, adeò illa fit preciosa, vt nulla
res ita in oculis mundi splendeat, cum qua possit
comparari, non lapides, non aurum, argentum,
sanitas, aut pulchritudo: cum ea enim aduenium
omnia bona; & ita vnus est spiritus, vt simul sit
multi: est enim Dominus suauis, benignus, loc
ples &c. quem vbi quis agnoscit, & sentit; vt
ledicit omnibus; quibus eousque seruiuit; & inci
pit esse liber.

RATIONES, quæ hanc Orationis rationem
rectam esse ostendunt: Hæ sunt. Prima: quo
quamuis ordinariè non sit in ea mentis ratiocinatio,
tio,

tio, est tamen petitio; & quamdiu D.N. dat animæ illam requiem, est in ea omne virtutis exercitium, & simul tamẽ est etiam petitio, *non in actu signato, sed in actu exercito* vt Theologi loquuntur. Quid enim non petit anima in præsentia quidem DEI tacens, sed cũ fide, quod in eius conspectu comparens, omnia sui cordis desideria sint illi manifesta: Siquidem desideria eius apud Deum idem valent, atq; ipsæ voces apud homines. id enim dixit Dauid Psal. 9. 17. *Desiderium Pauperum exaudiuit Dominus*; & non solas voces. Hunc in modum, qui ad portas Dei cum fide accedit; credit, inde sibi omne bonum prouenturum: amat, humiliat se, & exercet: & quia viam Dei tenet, sua relicta, inuenit omne bonum.

SECVNDA Ratio: quia hoc modo, altiùs & excellentiùs de Deo sentitur, sicut eius magnitudo meritò exigit. TERTIA: quia diutius manetur in ipsa oratione: & intelligitur multorum Sanctorum Orationem, huiusmodi fuisse: nam ratiocinatio defatigat: illi autem continuam habent orationem. QVARTA: nam quod intendimus obtinere circa animæ reformationem per viam ratiocinationis: per hunc modum, & viam videtur Deus solidiùs id largiri: nam tales attentiùs student suo profectui, Maioribus suis subiecti, suisq; animi perturbationibus & aduersis euentibus superiores; & maioris virtutis & efficacitatis apud proximos.

VERVM quidem est hanc viam non esse omnibus communem; sed quam beatus N. P. Ignatius constituit: est tamen omnibus illis communis, quibus eam Deus communicauerit; aut cui post

longam orationis, ac ratiocinationis exercitationem Superiori, qui huius causæ iudex est, videbitur Dominus N. huic viæ & modo lectum strauisse. Id quod conforme & affine est ei, quod Patri nostro S. Ignatio euenit, qui licet in initio viam illam tenuerit, ac medium, quod nobis reliquit, & in Exercitijs nos docuit: postea tamen ad hanc alteram viam & rationem est exaltatus, ita enim in eius vita refertur, a *postea erat patiens diuina*. Quod si in omnibus scientijs initia dantur, media, & fines: in hac etiam inueniuntur: & in ipsa nostra Societate idem esse videtur satis manifestum: cùm in ea tantùm sit Deo placendi desiderium. Quare viam hanc & orandi rationem non experti, non videntur tuta conscientia posse, quos Deus ad eam vocauit, ab eadem cum ipsorum animæ corporisque detrimento abducere: ita enim Osuna in suo Alphabeto ait, qui tales à via Domini abducunt, non carere culpa: & quidam alius ait: Deum vitam illorum Superiorum breuiaturũ, qui id fecerint, nisi desistant. Aliud autem est per viam Examinis & Probationis de hoc agere: decet enim Superiores, ratione sui Officij, id quærere. Ita sentio de ijs, quæ in me geruntur, & hactenus facta sunt; ac de ratione orationis ac cessationis à mentis ratiocinationibus, ob Dei D.N. conspectum, & præsentiam. Cùm ea verò submissione & humilitate, quam subditus Patri suo debet, peto: vt quæ dixi, apud solam vestram Paternitatem maneant.

ib. 5. c. 1.

HANC relationem fecit P. Balthassar ex Obedientia, vt suprà diximus: in qua satis apparet insignis eius sanctitas, & virtus heroica. Præmittit siqui-

ſiquidem in ea valdè demiſsè confeſſionem ſuarũ culparum; & facultatum inopiam, ob quas magni fieret; miſeriam & paupertatem, in qua verſabatur: poſtea verò addit bonorum abundantiam, quę Dominus Deus noſter illi communicaſſet: vt ex hoc appareret, quam parum ex ſeipſo haberet, & liberalitas ipſius Domini, qui ſtupẽdam adeò mutationem in eius corde feciſſet: quæ tot, tamq; ingentia dona, in ſe complectitur, vt ad ſingula expedienda multò prolixiori narratione opus eſſet. Vltimò narrat, ad quàm excelſam orationẽ Deus illum euexerit: qui fuit ex altiſſimis diuinæ contemplationis gradibus: qui rariſſimè concedi ſolet. Fecit autem hanc relationem, poſtquam per quindecim dies recepiſſet ſe ad Exercitia facienda. vltima autem nocte, qua erat illam miſſurus Romam, tradidit graui cuidam Patri emendandã, & corrigendam: qui eam ſibi deſcripſit, & poſtquam per multos annos occultam ſeruaſſet, tandẽ in publicum protulit, & ita venit in noſtras manus. Sed quoniam multa continet magni momenti pro ijs, qui ex Inſtituto orationi ſtudent; & in quibus deceptio aliqua obrepere poſſet, contra eiuſdem Patris mentem: ea in ſequentibus capitibus, non diſcedentes tamen ab ipſa hiſtoria, paulatim declarabimus.

(***)

(*)

CAPVT XIV.

AMPLIVS DECLARATVR prædictus orationis modus; & causæ adferuntur, cur Dominus noster eum concesserit Patri Balthassari post aliquot annos.

OMNES ferè vitæ Sanctorum rerum varietatem habent, quæ omnibus proponuntur: quædam vt audientes, eas imitentur; aliæ, vt solum admirentur, & Dominum glorificent earum largitorem. Et quoniam benedicta eius manus non est abbreuiata, sed easdem solet aliquibus etiam nunc concedere: poterunt illi ex ijs quæ legunt, seipsos gubernare circa modum, quo se in eis habeant, imitantes præclaros Sanctos, in quibus eas præluxisse legunt. Hoc idem licet obseruare in vita Patris Balthassaris; & in ijs rebus, quæ ad modum eius orationis spectant, quem proximo capite retulimus. Erit autem valde vtile, distinctius hîc explicare, tum quæ ille complectitur; tum causas, cur Dominus noster Sancto huic viro alijsque seruis suis eum concesserit; causas item, cur ad sexdecim annos id distulerit; & fructus ac fauores, quos simul eidem largitus est, alijsque largitur bene facientibus; vocationem, qua ad eundem orationis

tionis modum ille fuit vocatus, & necessaria est omnibus securè & vtiliter in eo ambulantibus; magnam item securitatem & vtilitatem ordinarij modi orandi, quem idem Pater longo tempore exercuit, & quo fauores obtinuit sibi concessos; quicquid denique oportunum erit ad prædictam relationem melius intelligendam, & ipsum historiæ filum continuandum ac deducendum.

§. I.

HVIVS modi orandi substantiam & circumstantias ei adiunctas fusiùs explicauit idem Pater Balthassar in quodam alio tractatu quem de eo argumento composuit, vt responderet ad obiecta quorundam, eum impugnantium: cuius responsionis mentionem faciemus inferiùs, referentes eius responsa, quæ maximi sunt momenti. Nunc autem distinctiùs, ac compendiosiùs hanc explicationem perstringemus, ex nominum explicatione, quibus spiritus Magistri, & ipsemet Pater hanc orationem compellat: illis enim significatur, quid illa sit, quid in se complectatur, & quosnam Effectus habeat: qui licèt sint multi, hi tamen sunt magis in vsu, ad quos reliqui reducuntur. *Primùm*, hæc vocatur oratio PRAESENTIAE DEI: nam etsi reuerà ad benè orandum siue mente, siue voce, aut alio quouis modo, necesse sit, orantem attendere lumine fidei, Deum esse præsentem, audire, & intelligere, quod orans proponit, & quærit: nullus enim cum alio instituit sermonem, quem

Cap. 41.

iudicet absentem, nec audientem, aut percipientem, quod ipse loquitur. At modus hic orationis peculiari ratione appellatur PRAESENTIAE DEI, eò quòd in ea intellectus diuina luce illustratus, absque alijs ratiocinationibus & ambagibus Deum adspicit adeò prope se, aut intra se præsentem, vt sentire videatur, cum quo loquatur, & in cuius conspectu sit: eum in modum quo Apostolus de Moyse dixit, quod a *inuisibilem tanquam videns sustineret*: Ex quo, impulsu quodam naturali oritur reuerentia & admiratio; & voluntatis propensio quædam, aut complacentia, & gaudium eò quòd sit in Dei præsentia; atque si quis personam aliquam, aut imaginem pulcherrimam contempletur ex quo aspectu, & admiretur, & delectetur tanta illa pulchritudine, & elegantia.

a *Heb.* 11 27

EX quo fit, vt hæc oratio appelletur etiam QVIETIS, aut RECOLLECTIONIS internæ: eò quòd careat multitudine, varietate, & imaginationum ac ratiocinationum strepitu; & potentiæ animæ superiores, Memoria, Intellectus, & Voluntas simul colligantur, & figantur in DEVM, & in contemplationem mysteriorum eius, cum magna in suis actionibus quiete & tranquillitate, & hæc est, quæ maximè propriè Contemplatio appellatur: quæ (vt Sanctus Thomas, & alij Doctores; nosque in libro Ducis Spiritualis fusiùs explicuimus) à meditatione distinguitur, quæ à re vna in alteram discurrit, tanquam quærens latentem veritatem, quam scrutatur, variaque euoluit, & adducit ad eam assequendam. contemplatio autem sim-

2.2. q. 180. a. 3.

Tract. 3. à cap. 6.

ſimplici quodam intuitu ſummam veritatem cum ingenti eius magnitudinis admiratione intuetur; & cum magna complacentia, ac voluptate; & hoc eſt, quod ait Scriptura: b *Vacate & videte, quoniã ego ſum Deus*: Et c *guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.*

b Pſal. 45.1
c Pſal. 33

VOCATVR item Oratio SILENTII, eò quòd Deus in ea loquatur, anima tacente, maximaque attentione audiente, quod cœleſtis eius Magiſter ad cor ipſius loquitur, docet, ac de ſe ipſo ſuiſque myſterijs manifeſtat. Non tamen exiſtimandum eſt, quemadmodum ignari quidam ſibi fingunt: quòd animam tacere, & in ſilentio expectare, ſit, potentias interiores omninò ſuſpenſas eſſe, nec vllos proprios actus exercere: hoc enim eſt impoſſibile, niſi homo dormiat; aut certè eſſet crux magna: imò & res noxia: eſſet enim manere hominem ocioſum, tempusq; amittere & exponere ſe periculo, quo imaginatio mille deliria proferat; aut Dæmon prauas ſuggerat, & alienas cogitationes. Quare certum eſt, quamdiu Deus nihil in anima operatur, debere ipſam aliquid facere ſuo intellectu & voluntate: imò etiam cùm Deus operatur, agit aliquid ipſa cum eo, eum in modum quo diſcipulus dum ſui Magiſtri lectionem tacens audit: operatur interius aliquid, percipiendo, intelligendo, ac ſentiendo, quod Magiſter docet. Quod ſi hæc Oratio SILENTII dicitur, id non propterea eſt, quòd ſola lingua taceat: cum hoc omni mentali orationi conueniat; nec propterea quod interne potentiæ omninò conticeſcant: ſed quòd tunc in eo tantùm occupentur, quod à

Deo accipiunt, quemadmodum dixit Dauid:
d Psal 84.9. d *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, qui Magistri Officium facere dignatur, & ad cor loqui, eiúque suas veritates reuelare, ac vehementer ad easdem allicere, non adhibente homine propriam industriam, vt aliàs solet ad suas meditationes petitionesque cum magnis affectibus instituendas. Et in hoc sensu dixit sanctus Dionysius de diuino Hierotheo, *quod esset patiens diuina*, quasi in agendo cum Deo, diuinisque rebus recipiendis, potiùs se haberet, vti discipulus doctrinam ab alio accipiens; quàm sicut homo diligentia & industria sua veritatem quærens, quam non assequitur. Ex quo fit, vt etiam ipsum audire, appelletur silentium: eò quòd tunc omnes creaturæ taceant in corde, nec res vlla turbet illud, aut eius quietem impediat. Et ob eandem causam in Canticis appellatur SOMNVS spiritualis: ita enim cor vigilat, attentumque est ad cognoscendum, amandum, & cum Deo suo agendum, vt anima ipsa tanquam sopita ad externa omnia videatur; neq; audiens, neq; videns, aut percipiẽs, quod alij ei dicũt, aut quod extra fit geritur. Ex quo etiam fit, vt eadem oratio appelletur VNIONIS: eò quod spiritus ingenti cogni-
e1. Cor.6.17 tione, & amore fortissimè e *Deo adhærescit*, estque (vt Apostolus dixit) *vnus spiritus* cum eo: adeò vt tunc non possit attendere, vt aliquid aliud cogi-
f Psal.72.25 tet, velit, aut amet, sed cum Dauide dicat: f *quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?* &
g Cant.3.4. cum Sponsa: g *inueni quem diligit anima mea; tenui eum: nec dimittam.*

HAEC sunt vsitatiora excelsæ huius Orationis nomi-

nomina: in qua multæ sunt Illustrationes, & affectus stupendi ad mysteria diuina. Aliquãdo adsunt imaginariæ figuræ, quas Deus animæ imprimit; aliquando sola adest lux intellectus excelsa valde, qua ille ad mysticę Theologiæ culmen ascendere solet, (quod S. Dionysius appellat, ingredi *in diuinam caliginem*, lucem scilicet inaccessibilem) & quasi cœcè assurgere ad vnitionem cum eo Domino, qui est super omnem substantiam & vnionem: est enim adeò excelsa diuinæ naturæ cognitio, adeoq; intima ac diuina cum eadem vnitio, vt solus Deus ex speciali sua gratia & studio possit animam eò vsque eleuare: & quamuis adeò sit magnum & admirandum, quod cognoscitur; videtur tamen esse quasi abyssus quædam infinita, id quod ignorat. Et quoniam in eodem orationis genere singularia quædam & extraordinaria euenire solent, alia quoque nomina, hæc oratio sortitur: nam cum Dei Visitationes & Illustrationes, internæ visiones, & feruentes cum amore & vnitione cum Deo affectus, cum tanta vehementia eueniunt vt anima à sensibus externis maneat alienata, motusq; omnes corporis quiescant, vocatur SVSPENSIO, aut ECSTASIS; quod si repentè, & magna vi id eueniat appellatur RAPTVS: & ita dixit Apostolus, se h *raptum esse vsque ad tertium cœlum, & in Paradisum*; quòd si cum maiori interna suauitate veniat, appellatur VOLATVS spiritualis sicut Dauid desiderabat, dari sibi i *pennas sicut columbæ*, vt liceret *fugere & volare*, vt *requiesceret in solitudine*: solet autem interdum etiam corpus à terra eleuari, impetum sequens spiritus ad rerum cęlestium contem-

Lib. de Mystica Theolog. & S. Bona. in lib eiusdem tituli.

h 2.Cor.12.3.

i Psal. 54. 7.

plationem ascendentis: nam in his omnibus sus-pensionibus, & raptibus, cùm à Deo sunt, non est spiritus ociosus, nec dormit; sed semper videt, audit, & aliquid intelligit, admiratur, gaudet, aut diligit: quando autem nihil facit, aut recipit potius STVPOR dicendus est, aut debilis, & euanescentis capitis somnolentia, aut fraus & illusio Dæmonis. Quoniam igitur res istæ extraordinariæ, sunt ex se periculosæ: ideò nec desiderandæ, nec quærendæ sunt; sed potius fugiendæ, donec Dominus noster ad eas accipiendas vi quadam impellat; aut voluntatem suam aperiat, qua velit hac via deducere eas sentientem.

§. II.

HAEC sunt, quæ complectitur modus hic Orationis & Contemplationis, quem Dominus noster voluit Patri Balthassari varias ob causas communicare. Quarum præcipua est, quòd cùm eum elegisset in Magistrum scientiæ spiritualis, ac multarum animarum ducem, quæ orationi studebant, voluit vt ipse valde in ea excelleret: & ipsâ experientiâ sciret varias has vias, per quas diuinus spiritus suos electos deducere solet. Hanc rationem, & causam assecutus est idem Pater, eamque valde perpendit in prædicto suo Tractatu. Nam in-
» primis (ait) qui nunquam didicit græcè, ne-
» que legere sciet libros græcè scriptos; neque
» græcè loquentem intelliget: multoque minus

sciet

ſciet docere. Et hoc ſecundum maiorem lo- "
cum habet in hac ſpiritus facultate, quàm "
in alijs, vt ſcilicet Magiſter ſit tanquam "
cauſa quædam ſuperior & Vniuerſalis, qui "
poſſit omnes iuuare, vnumquemque dirigen- "
do iuxta ſuum gradum & progreſſum per "
omnes vias, quibus Deus volet eum diri- "
gere. quæ viæ, licèt omnes ad eundem ten- "
dant ſcopum & terminum, ſunt tamen plu- "
rimæ: vt igitur id commodè fiat, multum "
refert eum omnium illorum experientiam "
habere. In hac enim via, experientia eſt, "
quæ facit ipſos Magiſtros excellere. Nam et- "
ſi ſpeculatio, & Sanctorum ac Myſticorum "
Doctorum lectio multum iuuet: propria "
tamen experientia abſque vlla comparatio- "
ne multò plus præſtat, ac valet. Eſt etiam "
magnum diſcipuli ſolatium, (quemadmo- "
dum quidam Spiritus Magiſter optimè di- "
xit) quod is, qui ipſum dirigit, dicat ei: "
& ego idem ſenſi; & hoc, & illud mi- "
hi euênit: & quòd ipſi quaſi obuiam ve- "
niat & ſciat, quò tendat; & ad minimum "
verbum, quod diſcipulus efferat, ſtatim Ma- "
giſter rem comprehendat, faciatque, vt ille ca- "
piat, quod non poteſt explicare. Eſt au- "
tem hoc magni omnino momenti: vt di- "
ſcipuli proficiant, & vt fidem ei adhibeant, "
magnique faciant, quod ille dicit, iuxta il- "
lud: quod Apoſtoli Chriſto dixerunt: a *Nunc* a Ioan. 16. 30.
ſcimus: quia ſcis omnia, & non eſt ti- "
bi opus, vt quis te interroget. In hoc "
credi-

„ *credimus quia à Deo exijsti.* Et plus eis satisfaci-
„ & amplius exstimulat Magistri viuentis exem-
„ plum, ita eos intelligentis & cum eis colloquen-
„ tis, omniaque ipsorum interiora patefacientis
„ (vt euenit Samaritanæ cum Christo colloquenti)
„ quàm si multa etiam legant apud alios, qui præ-
„ cesserunt. Quare idem Doctor ait: huiusmodi Ma-
„ gistris expedire, vt sese aperiant, & commun-
„ cent ijs, quos ducunt: nec se ipsos subducant; &
„ quod aliqui faciunt, omnino sese occludant
„ quamuis seruandum sit decorum in frequentia &
„ modo se communicandi, cum decenti discretio-
„ ne, ita vt discipulus, non omnino Magistrum de-
prehendat. Omnes hæ rationes sunt Patris Bal-
thassaris, ex propria experientia desumptæ, qui
mirificè animas deduxit, penetrans earum corda
& sic magnam apud omnes obtinuit Magistri o-
pinionem, vt postea videbimus. Et bonum testi-
monium, quòd multum expertus esset in omni via
spirituali, fuit ꝙ Sancta Mater Theressa de Iesu,
vt suprà diximus, aiebat: in omnibus modis & ra-
tionibus orandi, de quibus cum Patre Balthassare
Magistro suo illa colloqueretur, semper eum pro-
iuisse. Et idem confirmat, quod ipsemet, in præde-
cta sua Relatione fatetur, cùm dixit, Deum D. N.
intelligentiam ipsi dedisse facultatis spiritus pro
se ipso, & pro alijs: id enim fuit, ipsum constitue-
re Magistrum, cum experimentali rerum interna-
rum scientia.

Hinc licet secundam causam & rationem de-
ducere, cur Deus D. N. donũ hoc seruo suo huic
operario Euangelico sit largitus: ne scilicet detri-
mentum aliquod pateretur, ex eo, quod cum pro-
ximis

ximis ageret; sed potius perfectionis augmentum: dans ei duplicatam cum b *duplici* illo *spiritu* b 4. *Reg.* 2. 9.
Eliæ, quem Elisæus Propheta valde sibi desiderabat: celsitudinem scilicet Orationis, & familiaritatis cum Deo, cum tanta quiete atque si degeret in desertis; & simul insignem dexteritatem ad agendum cum proximis, eosque saluandos: ita vt nihil propterea amitteret de familiaritate cum Deo, nec desineret in eius præsentia semper versari. Et quamuis Cassianus dicat: hanc duplicem *Colat.* 19. 9.
perfectionem raram esse, & paucissimis communicari, quales fuerunt, Magnus Antonius, & Macharius: voluit tamen Dominus noster, vnum ex his paucis esse hunc seruũ suum, qui totum suum tempus impenderet in agendo continuè in oratione cum suo creatore, & idem coniungeret, cum frequenti hominum familiaritate & consuetudine ad salutem animarum: ita vt vtraq; familiaritas mutuò se admiranda cum harmonia adiuuaret. Huius rei fidẽ facit; quòd, eodem ipso anno, quo Pater Balthassar suam edidit solennem Professionem, in qua addicebat se animarum vtilitati & commodis, Deus D. N. hoc donum sit ei largitus: vt intelligeret, non dari sibi illud, vt se in solitudinem conferret; sed vt familiaritatem cum Deo & familiaritatem cum proximis coniungeret. Quod multò est facilius cum in ipsa oratione non remis & magno labore agitur; sed vento, vt dicitur, ad puppim flante, motione scilicet spiritus Sancti, nauigatur.

Ex his tertia ratio deducitur, cur Dominus hanc ei contulerit gratiam, vt scilicet eius diligentiam remuneraret, quam adhibuisset in orando per

do per ratiocinationes & meditationes mysterio-
rum diuinorũ vt capite 2. suprà est dictum. Viden
enim Deus eius laborem, cordisque desideri
& fidelitatem, quã etiam in salutem prox
morum incumbebat: voluit liberaliter remune-
rare illud totum hac ratione, vt totum hunc fru-
ctum colligeret, imò copiosiorem, & cum maior
facilitate & leuamine. Etsi enim vterque modus
orationis scil. & contemplationis magnos pro-
ferat fructus: interest tamen, nam, qui viam tenet
ratiocinationum & meditationum, id facit cum
labore & fatigatione, instar illius qui aquam e
profundo puteo cũ fune & situla haurit; aut anti-
haustam effundit in aquæ ductus, vt varias horti
partes & plantas irrigare possit: alter autem mo-
dus, qui est Contemplationis, fit absque labore
ac defatigatione tanquam pluuiæ de cælo descen-
dentis, quam terra imbibit: de qua loquitur Psal-
c Psalm. 64. 11. mista: c *Riuos terræ replet aquis, & inebriat eam:*
multiplicat genimina eius: quæ in stillicidijs eius la-
tabitur, germinans, ac fructus proferet copiosos.
Suauis item prouidentia magni nostri, liberalis
& magnifici Dei in suis donis distribuendis, de-
lectatur & complacet sibi cùm seruis suis leua-
men largitur, & quietem; & ijs, qui apti, & capa-
ces sunt doni Contemplationis, qui ad illud su-
scipiendum, cordis puritate, passionum morti-
ficatione, & prolixis meditationum exercitij
præparare se studuerunt: illud in magna copia, &
quiete largiri solet; præcipuè quãdo illi operam
suam collocaturi sunt in bonum proximorum,
quemadmodum fecit cum Patre nostro Sancto
Igna-

Ignatio, post longam in meditationibus exercitationem, quam in libro suorum exercitiorum nos docuit: & similiter fecit cum Patre Balthassare, & faciet cum ijs omnibus, qui simili cura & studio se ad eam suscipiendam præparauerint: si tamen ad maiorem ipsorum perfectionem id expediet, & illi cum humilitate & resignatione perseuerauerint in ritè habenda oratione ordinaria, quæ ad excelsiorem gradus quidam est, & aditum præbet.

§. III.

HAEC perseuerantia, non præscripto Deo Domino Nostro suæ Visitationis tempore, valde necessaria est, vt voti sui compos quis euadat: nam, vt vidimus sexdecim annos detinuit Dominus noster Patrem Balthassarem in modo ordinariæ orationis, sicut etiam Matrem Theressam de IESV per annos octodecim, vt in eius vita scripsit Pater Franciscus Ribera; *Lib. 4. c. 2.* & alij Sancti longum etiam tempus exspectarunt. Nec id mirum videri debet: nam, si Patriarcha a *Iacob quatuordecim annis* cum immenso labore seruiuit, vt *Rachelem* sponsam suam dilectam obtineret, quæ figura est vitæ contemplatiuæ: quid mirum, quòd eam excellenter adepturi, diuinamque sapientiam spiritualiter ducturi laborent, multisque annis desudent, vt eam obtineant? maximè cum hac ipsa diligentiâ, & studio ingentia alia bona sibi comparent: eò quòd tale desi-

a *Gene. 29. 30.*

desiderium innitatur profundæ humilitati; qua d
tanto dono indignos agnoscunt: ac propterea co
nantur se ipsos amplius purificare: ne ab eius am
plexibus tanquam indigni repellantur; desider
crescunt, ac diligentiæ; vt, quod tanti faciunt, co
tineant; patientia & fiducia valde exercetur, ac
perficitur; nec propter tot moras abijciunt an
mos. His inquam & alijs virtutibus reddunt se d
gnos superno hoc Contemplationis dono: quo
cum obtinent, ostendunt se magis gratos ipsi Do
mino largitori; magisq; solicitos & attentos
eo custodiendo, & fructibus eius colligendis
finem & scopum, in quem sibi datum intellig
Ac denique exemplo & experientia sua exsim
lant nos, adduntq; animum ad perseuerandum
oratione, etiam multis aridittaibus, & afflicti
nibus toleratis: siquidem fideliter perseuerans
pulsans ad ostia Dei, tandem exauditur, & adm
titur ad excelsam dulcedinem familiaritatis ei
Expertus id est P. Balthassar expletis prædicti
sexdecim annis, colligens sibi vtilitates, & fru
ctus prædictos dilationis huius & moræ Dom
ni: & ex eo, quod ipse fuerat expertus, exhorta
batur nos, ad perseuerantiam in oratione, adm
„ randis hisce sententijs. Accedamus fratres cu
„ perseuerantia ad ostia Dei, quæ nobis patent, a
„ certè si pulsauerimus nobis aperientur, iuxta ver
b Matt. 7.7. bum promissionis ipsius, cum dixit: b *petite*
Lucæ.11. 9. *dabitur vobis; pulsate & aperietur vobis*. Nam c
„ non adeò nos hæc promissio consoletur, vt n
„ que hæreamus, cogitantes, quòd tardet, vt pro
„ pterea à pulsando cessemus; neque tali cogitatio
„ ni locum demus, quod tanta nostra in agendo fr
gid

giditas impedire posit eius verbi executionem, si humiliter eam futuram confidamus. Nam etsi velimus soli naturali rationi locum dare, inueniemus, nullum esse ad dura corda emollienda, & multò magis ad ea, quæ sunt aliàs mollia permouenda, quàm quòd aliquis pauper ad limen portæ domus præ frigore tremat vt statim iubeant aperiri. Persistamus itaque fratres ad ostium magni huius Dei, etiam cùm præ frigore tremimus: nam nobis minimè cogitantibus, iubebit c *Assuerus Mardochæum intrare, & faciem Regis videre*: tantusque erit eius profectus, vt omnium laborum obliuiscatur, quos multis diebus subijt exspectans ad illa ostia durus & instar lapidis congelatus. Nam de Iusto scriptum est, quod d *audiuerit Deus vocem ipsius, & induxerit illum in nubem*: ex qua redijt copiosè remuneratus ob toleratos labores in exspectatione & perseuerantia pulsandi.

c *Ester. 6. 10. & 8. 1.*

d *Eccl. 45. 5.*

In huius rei confirmationem dixit de se ipso, magnâ constantiâ ipsi opus fuisse ad moras Dei sustinendas, exspectanti, vt ipsius commiseratione moueretur, suisque misericordijs ipsum repleret. Addebat etiam, Deum ob alteram ex duabus causis differre, animabus se manifestare: aut quòd sint in suis vitijs sepultæ, eaque exuere differant: nam vnumquodque vitium est instar obscurissimæ nebulæ, creatoris conspectum impedientis; aut, vt melius intelligant, quantum illud sit bonum, quod quærunt: pro quo obtinendo tam multa tolerent, & tardè adhuc inueniant. Et in illis temporis interstitijs varijs modis ea ſ probat, internis scili-

cet afflictionibus, & pœnis etiam externis: vt
intelligamus, ingens esse bonum, quod querimus
pro quo obtinendo tamdiu & tot modis labora-
mus. Ex his omnibus licet colligere præstantiam
orationis, quam sanctus hic vir est consecutus, &
ingentia dona, quæ per illam accepit. Si enim or-
dinariè qualis fuit semētis, talis & solet esse mē-
sis; & ad mensuram dolorum mittit Deus consō-
lationes; & iuxta laborum magnitudinem, præ-
mia distribuit: qui per sexdecim annos continu
seminauit, summoque studio ac diligentia, vt hoc
donum acciperet, laborauit; & ad eius mensuram
Deus illud concessit, qui multò liberalior est ad
dandum, quàm nos sciamus petere, aut cogitare
quàm excellenter illud ei concesserit, cum copio-
sissima meritorum messe, spiritualium consolā-
tionum abundantia, alijsque gratijs, ac donis, quæ
feruentium præmium esse solent! Si bona arbor
ex bonis fructibus cognoscitur: quàm erit ex-
cellens illa oratio, quæ tales profert fructus, qua-
les iam diximus? & qui sunt excellentiores fru-
ctus duodecim illis, quos ipse in sua Relatione
refert? & qui sunt tanquam duodecim selecti fru-
ctus eius arboris vitæ, quam Deus in paradiso
plantauit Ecclesiæ suæ & Societatis: & quemad-
modum ait S. Ioānes: e *ligna* illa *paradisi ferre fru-*
ctus nouos per menses singulos: ita hic Pater singu-
mensibus, imò dieb. singulis eos renouabat: quo
erat testimonium insignis familiaritatis & con-
suetudinis, quam occultè habebat cum
Deo suo, vnde illi id totum
proueniebat.

e Apoc. 22.2.

CAPVT

CAPVT XV.

SPECIALI DEI VOCATIONE modum hunc orationis adijt, & insignia dona accepit ad maiorem sui perfectionem, & maius proximorum auxilium.

INTIMA cum Deo D.N. consuetudo & familiaritas, donumq; quietę ac perfectæ Contemplationis hactenus propositæ, adeò est excelsum & eminens bonum: vt quemadmodũ ipse P. Balthassar in sua Relatione refert, non potuerit ad eam peruenire, nisi speciali eiusdem Domini Vocatione; qui, quos vult, quando, & qua ratione vult ad eam vocat: ad quod neq; locus, nec tempus aliquod sit constitutum; sed sola sanctissima eius voluntas, a *cuius delitiæ sunt esse cum filiis hominum.* licet cum aliquibus familiarius, quàm cum alijs ex singulari gratia & priuilegio, quod dicitur vocatio, hoc est inspiratio & motio quædam, aut, affectio magna, quam ipsi animæ, impellens eam ad excelsum hunc orandi modum; & simul tribuens aptitudinem, & facultatem ad se sequendum, & progrediendum: neque enim omnes ad id vocantur, neque apti sunt: neque illis expedit, temerariè aut arroganter, sese

a Prou. 8. 31.

sese ad id quærendum ingerere. Et quamuis aliqui ex speciali priuilegio, & fauore Domini N. in ipsa infantia, aut à prima sua conuersione, repentè & vno quasi tractu ad excelsam adeò orationem, & interdum ad res alias valde extraordinarias eleuentur: vt plurimum tamen tale donum non communicatur, nisi diu & benè exercitatis in oratione, quæ fit per meditationes & ratiocinationes circa diuina mysteria: ad quam omnes sese vocantur, & inspirationibus alliciuntur, plus aut minus iuxta eorum capacitatem. Cuius rei insigne exemplum, & veluti imaginem quandam, qua res tota mirabiliter illustratur, habemus in eo, quod Moysi eiusque populo euenit prope montem Sinai. b *populus* enim *videbat voces & lampades & sonitum buccinæ, monteměq; fumantem: & perterriti, ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quos Moyses consolatus est, dicens: *nolite timere: vt enim probaret vos, venit Deus: & vt timor illius esset in vobis, & non peccaretis.* postea c *fratrem suum Aaron & septuaginta de senioribus Israel propius secum deduxit: & viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius, quasi opus lapidis Saphirini, & quasi cælum, cùm serenum est. Cumq; ascendisset Moyses, operuit nubes montem, tegens illum sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis, & ingressus medium nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & noctibus:* d *loquebatur autem Deus ad Moysen* inaudita familiaritate, *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum,*

b *Exod.* 20. 18.

c *Exod.* 24. 10. 16.

d *Exod.* 33. 11.

osten-

ostenditque illi diuinam suam faciem cum ea claritate, qua in mortali hac vita videri potest.

HVNC in modum intelligendum, quod agitur in populo Christiano: multitudo enim fidelium, vtpote turba minus capax, aut valde occupata negotiorum varietate, vocantur tantùm ad orandum vocaliter, & consideranda, & quasi à longè aspicienda diuina aliqua mysteria; & illa nominatim, quæ Sanctum Dei timorem incutiunt, & seueræ ipsius iustitiæ terrorem: ne scilicet peccent, sed pœnitentiam agant, vitamque suam emendent: qualia sunt quæ fides de Extremo Iudicio, Inferno alijsque supplicijs docet; quibus Deus aliquos peccatores affecit. Alij verò sunt fideles per septuaginta seniores significati, qui à Deo vocantur, vt ad se magis accedant per exercitia orationis mentalis; & profundiores diuinorum mysteriorum meditationes affectusque magis accensos amoris & fiduciæ: hi perueniunt ad eius cognitionem ex operibus, quæ sub eius sunt pedibus, ex pulchritudine cæli, & stellarum, ac Planetarum: ex quibus ratiocinantes, magnalia deducunt Creatoris; & exstimulantur ad ei obsequendum eò, quòd dignus sit, totque bona ipsis largiatur: huiusmodi sunt Religiosi ac sæculares, qui ordinariam tenent orationis mentalis viam, cuius securitatem, necessitatem, & fructus ingentes fusiùs ostendemus inferiùs cap. 42. tamquam in loco ad id aptiori.

ALII tamen sunt pauci per Moysen significati, quos singulari vocatione Deus ad supremum

Orationis culmen, & cum diuina sua maiestate coniunctionem euectos, immittit in suas cælestes caligines, & talem nebulam, quæ oculos excæcat, ne res huius mundi videant; aperiunt verò, vt suum videant Creatorem, habeantque magnam cum eo familiaritatem, & consuetudinem: alij quidem plus, alij minus, prout ipse Dominus creaturis suis se communicare dignatur. Prius tamen, quàm ad supremum montis culmen eos exaltet, detinet per sex dies in inferiori alio gradu, in quo eorum probet patientiam, ipsique sensim exerceantur, magisque disponantur ad id, quod summum est, accipiendum. Tales esse deberent (vt suprà est dictum) Magistri spiritus, qui tanquam alter Moyses Christianum populum, & eos, qui hanc orationis viam tenere statuerunt, gubernaturi sunt. Talis fuit Pater noster Balthassar: quem, quia ipse Dominus sicut Moysen elegerat in ducem animarum; hunc ei fauorem, aliosque prædictos exhibuit: qui, quod sint adeò insignes, operæ precium erit, fusiùs eos explicare, ex ijs, quæ idem P. in alijs occasionibus dixit.

§. I.

PRAEMITTAMVS igitur, tanquam fundamentum, fauorem primum, ex quo reliqui proueniunt: quod scilicet ipsum Deum quis habeat Magistrum ac directorem in Oratione, non eo tantum communi ac generali

nerali modo, quo vocatur & reipsa est omnium magister, docetque ac impellit omnes ad orandum; (vt 3. cap. est dictum) sed peculiari alio magis familiari, & suauiori per illustrationes, & inspirationes speciales, immittendo sanctarum cogitationum, affectuumque feruentium imbres, non laborante ipsa anima in hoc diuino cibo quærendo per mentis discursus, ac meditationes magna adhibita ad id industria & conatu. Quare solebat Pater "
Balthassar dicere: si Deus ratiocinationem ani- "
mæ in oratione impediat: signum esse, quòd "
ipsemet velit esse eius Magister: ad eam enim in- "
gredi, & ianuis clausis ad eius interiora pene- "
trare est ipsius priuilegium; & ita eius, qui "
illam creauit proprium, vt neque bono, ne- "
que malo spiritui communicetur: quare id es- "
se tutissimum, & ab illusionibus remotissi- "
mum, & pax gaudiumque quo tunc anima af- "
ficitur, indicium est eius Majestatis præsen- "
tię. Hoc ipsum clariùs adhuc notat ipse in "
suo libello his verbis: Quintò Februarij, "
1569. cùm essem in oratione matutina, & per- "
penderem detrimentum meum ex absentia cu- "
iusdam serui Dei, hoc internè sensi: iniurius Deo "
est, qui agens cum ipso, existimat sibi nocere, "
quòd deseratur ab hominibus, quando id abs- "
que ipsius culpa accidit. Et eodem die, cùm "
facerem Sacrum, eadem cogitatione, ac do- "
lore recurrente, cum eodem interno sensu "
hoc mihi occurrit: si is, qui te per hominem "
aliquem dirigebat, tuus vult esse Magister; & "
per se ipsum te docee ac dirigere: quam

„ tibi facit iniuriam? magnum hoc est beneficium
„ & ingentium bonorum præludium: siquidem
„ Deus breui aliquo verbo, & sententia mul-
„ ta complectitur ac docet: & talium oratione
„ continuata quædam ipsius Dei assistentia, &
„ mul cum reuerentia, & fiducia quieta &
„ respersa multarum veritatum intelligentia,
„ dulcibus bolis & suauissimis ex orbe ipsius
„ Domini reliquijs, familiaribus cum eodem in
„ iucundissima eius præsentia colloquijs.

a *Psal.* 50.8. HINC ortum habuit secundum beneficium quo, vt dixit Dauid, a *occulta suæ* diuinitatis, & profundæ *sapientiæ* ipsi *manifestauit*, ea ratione & modo, quem doctores scientiæ Mystic tradunt. Id ita scriptum reliquit ipse in eo-
„ dem suo libello his verbis: Primò die Martij
„ Anni 1576. cùm pridie vesperi egissem cum spi-
„ rituali quadam persona de eo argumento
„ quid esset visio intellectualis Dei, & mysterio-
„ rum eius: habui vestigium quoddam luminis e-
„ ius, quod mihi dixerat, & sensum quendam te-
„ nerum. ipsam orationem ingressus, sensi Domi-
„ ni præsentiã, ratione quadam ibi manentis, vt nec
„ oculis, nec imaginatione videretur: percipiebatur
„ tamen, & maiori certitudine ac perspicuitate ap-
„ prehendebatur, quàm quod oculis aut imagina-
„ tione videtur. Cuius indicia hæc sunt. Pri-
„ *mum*, quod hac ratione videtur, plus in ani-
„ ma efficit, quàm quod imaginamur, aut corpo-
„ raliter videmus. *Deinde* pacem adfert, tantumq;
„ solatium, vt videatur Deus D.N. animam in regni
„ suum inducere: quæ in tanta fœlicitate se collo-
„ catã videns, quam nec cogitasset, nec merita esset,
dic-

dicit Domino illud Dauidis: b *quid est homo quod memores eius? quomodo visitas eum*, & ipsemet Christus dicit, Iustos in die extremi Iudicij, cùm ipse rationem reddet, cur cœlorum regnum eis tradat, dicturos: c *Domine, quando te vidimus hospitem, & collegimus te* &c. ita, inquam, ei dicit anima: Domine, quæ tibi obsequia præstiti; Domine, quando tantum bonum ego sum promerita? *Tertiò*, inde exit anima nec sua, nec alicuius alterius sed tota eius, qui est omnia, iuxta illud Dauidis: d *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini: quoniam abscondit me in tabernaculo suo* &c. Immissæ illuc animæ incipit Deus illucescere, seseque ostendere; ibi indulget illi & illa iucundatur, ac tenerescit, quòd se ipsam vt talem aspiciat, cogitetque de ijs, quos propter ipsum Dominum multo plus diligit, quam propter ipsos, aut si essent sui. *Quartò*, quòd cogitans, an Dæmon eiusmodi benedictionem fingere possit: non potest anima sibi persuadere, rem, à qua se ita quietam reddi, & tam benè cum Deo suo componi experitur, à malo spiritu esse. *Quintò*, ex eo quod anima tunc dicat cum Sancto Petro: e *Domine bonum est nos hic esse*. Fugit omnem somnolentiam, nec orando defatigatur. *Sextò*, quod videtur sibi experiri in se, quod Sanctus Dionysius dixit cap. 1. de Mystica Theologia: quod nihil intelligens, omnem transcendat intelligentiam: Hinc enim videtur sibi, nihil scire: inde tamen ad nihil aliud attendere potest; nec potest non esse valde contenta cum eo quod habet: etiamsi nec illud videat, aut tangat: quamuis de eo ipso magis sit certa & maiori cum claritate,

b *Psal.* 8. 5
c *Matt.* 25. 37.
d *Psal.* 26. 4.
e *Mat.* 17. 4.

„ quàm de omnibus quæ videt, aut manibus pal-
„ pat.

Ex his verbis ac sententijs satis apparet, quan-
tam eius intellectui lucem DEVS in Oratione
communicaret: siquidem cum ea ingrediebatur
regnum Dei, Paradisum scilicet deliciarum eius,
f Rom. 14. 17. f *Iustitiam, Pacem, & Gaudium, in Spiritu sancto*,
& talis ex ea exibat, vt neque suus esset, neque a-
liorum; sed totus Dei, cum quo ita vnitus erat, vt
g 1. Cor. 6. 17 g *esset* cum eo *vnus spiritus*. Quare afflictæ cuidam
personæ dixit ipsemet, cùm sermo esset de Oratio-
ne: iam diu se in alia Regione viuere, intelligens,
h Phil. 3. 20 vt existimo, de illa Apostoli, quæ dixit: h *conuersa-
tionem suam esse in cœlis*. Proximum hunc fauorem
secutus est singularissimus alius, quem Deus D. N.
illi exhibuit, certum illum & securum faciens,
quod peruenturus esset ad regnum illud æternum,
& futurus perpetuò eius incola. Ita ipsemet Pater
aperuit Patri AEgidio de Mata, qui missus postea
fuit in Iaponiam, vnde bis illarum Indiarũ Procu-
rator redijt, acturus de earum rebus cum Patre no-
stro Generali. Hic, inquam, Pater familiariùs ali-
quando cum Patre Balthassare agens de fœlici e-
ius animæ sorte, quæ posset esse de sua salute cer-
ta, quæ se tot periculis ingerit, dum egregia adeò
facinora ob Dei amorem aggreditur: ei respon-
dit Pater Balthassar; ego, inquit, verbis claris &
expressis certam & securam habeo meã salutem;
& hæc est insignis quædã Dei Domini nostri mise-
ricordia erga aliquos: quæ potiùs illis calcar ad-
dit ad currendum, quàm sit frœnum, vt sistant.
Iterum, cùm esset in oratione, vidit quandam Be-
torum processionem, & se ipsum inter eos. Quam
visio-

visionem retulit ipse Superiori suo, cùm suæ conscientiæ rationem redderet; & eandem referunt duæ Societatis nostræ personæ valde insignes: & eiusdem videtur ipsemet meminisse in relatione superius posita, cùm dixit, se repentè inuenisse in quadã cõgregatione ad beatitudinem destinata: & cohæret cum reuelatione, quam habuit S. Mater Theressa de Iesu, vt cap. 10. est dictum.

QVID autem mirum, si tales visiones habens, aliquoties in Ectasim raperetur, vsu sensuum impedito & suspenso? semel Metinæ existentem flexis genibus in suo cubiculo, ingressus quidam Pater inuenit stupendo quodam splendore circumdatum, indicium eius, quem habebat interiùs: & iterum frater, qui eius cubiculi curam habebat, ingressus, inuenit absorptum & à sensibus alienatum: ita vt nec exeuntem, nec intrantem Pater aduerterit. Vt autẽ ipse Pater ad se rediens aduerteret, ab aliquo se fuisse deprehensum, cooperuit frater eius faciem strophiolo, & ita exiuit. quæsiuit ergo Pater postea à fratre illo, num sciret aliquem esse in ipsius cubiculum ingressum? cui cùm frater fateretur se ingressum fuisse, iussit eum cælare, quod vidisset. Iterum cùm Salmanticæ studeret, aspiciens crucifixum, quem ante se habebat, mansit eleuatus extra se: euenitq; illi ab altero fratre idem, quod nunc de altero retulimus.

PATER Gasparus Astetius in hac prouincia notissimus, retulit, quòd cùm ipse Minister esset in Professa domo Vallis-Oletanæ, S. hic P. Balthassar ægrotasset: quem cùm Infirmarius vesperi vtcunq; bene dispositum reliquisset; mane illũ absq; vllo sẽsu, & quasi mortuũ inuenisset: vocati medici

non

non aliud existimare potuerunt, quàm quod esset aliquod deliquium: mansit autem eodem modo vsque ad vesperam: & tunc appositis Reliquijs ligni sanctæ Crucis, & alijs, quæ in illa domo sunt, statim ad se redijt; & loquebatur sicut aliàs, quasi nihil mali passus esset. Ex quo omnes colligebant, non animi deliquium, sed Raptum fuisse quales in profunda sua oratione habere consueuerat. Et cùm alia vice ægrotaret, idem ei accidit: sed cùm ipsum ligando torquerent, vt ad se rediret, nec tamen faceret, miserunt proprium tabellarium Metinam, vnde recens venerat, interrogatum, quinam ille morbus esset, & an aliàs ei laborasset: & acceperunt responsum, ne vllo remedio erga eum vterentur; nam esse Ecstases illas aliàs familiares, & quæ per dies etiam aliquot durarent.

DENIQVE ab eo tempore ambulabat Pater Balthassar, cum maiori, ac viuatiori fide in præsentia Dei sui, recurrens continuè ad Maiestatem diuinam in omnibus rebus suis, conferens cum illo, tanquam cum suo Magistro, eiusq; directionem auxiliumque petens: quæ ratio aptissima est ad eam, quam dicimus animæ cum Deo familiaritatem, & orationem continuam.

QVARE idem Pater Balthassar dicere solebat: „ orare, est spiritum ad Deum eleuare, eique res omnes nostras familiariter, magnaque cum reuerentia communicare; & maiori cum fiducia, quàm „ vllus indulgentissimus filius cum sua matre habere potest: & ibi omnia sua preciosa, & vilia; cœlestia, & terrena; quod multum est, & quod modicum cum suo Magistro ac Domino agere, &

con-

conferre; cor suum aperire, totumque illud ita effundere, vt nihil intus remaneat; aperire illi labores suos, peccata, desideria, & quidquid in animo habuerit; & cum eodem solatium & requiem habere sicut amicus solet cum amico, cui fidit; cui omnia sua aperit, bona & mala. Hoc est, quod Scriptura diuina appellat *effundere sicut aquam cor ante conspectum Domini*, non ait, sicut oleum, cuius pars aliqua vasi adhærescit; sed sicut aqua, quæ tota effunditur; manifestando scilicet Deo non solum magna, sed etiam parua. cùm enim diuina eius Prouidentia omnia gubernet; sine cuius auxilio nihil boni, magni, aut parui efficere possimus, magnæ prudentiæ est, omnia cum DEO conferre, à quo, quidquid rectum in eis erit, proueniet. Thre. 2. 19.

§. II.

EX frequenti hac cum Deo Domino nostro familiaritate prouenit, vt alias quoque gratias donaque reciperet, quæ plurimum eum iuuerunt ad ea, quæ postea in bonum proximorum fecit. Fuit autem inter alia insigne donum confidentiæ, & efficacitatis in petendis & obtinendis à Deo D. N. rebus tam sibi quàm proximis necessarijs, quemadmodum ipse in suo libello notauit, dicens: quòd cùm semel orationem instituisset circa illa verba Christi D. N. a *petite, & accipietis*: intellexit è cœlo ex alto, D. N. nolle, nos esse parcos in petendis donis & gratijs ab ipso: nam talē parcitatem esse Dæmonis tentationem. Et cùm semel aliquid peteret pro quodam indigente, audiuit sibi dici: *cur tu es in petēdo parcus si Deus est in* a Matt. 7. 7.

dando

dando liberalis? quasi insinuaretur ipsi, vt etiam pro alijs indigentibus peteret. Et alia vice petens fœlicem cuiusdam negotij exitum, audiuit hæc verba: *ego te tanquam Rex iuuero.* & id euenit in illa occasione, & sæpè aliàs. nam orante ipso adeò feruenter pro alijs necessitatibus, priusquam ab Oratione surgeret, certus reddebatur de earum remedio, siue per expressam reuelationem, siue per internum aliquem instinctum, quo assecurabatur: quem instinctum, ait Cassianus, indicium esse exauditæ Deo orationis: cuius rei inferiùs plura ponemus exempla.

Coll. 9. c. 31.

Tunc etiam largitus est illi Deus, quod in Scientia, & Eruditione deerat, quam propria industria comparare non potuit: quod ipsemet in sua relatione insinuauit, & clariùs aperuit patri Ioanni Pinædio, qui ex Collegiali Collegij Oueterensis Salmanticæ factus est Societatis, qui cùm Gradum in Iure suscepisset, studia Philosophica ac Theologica aggredi horrebat, veritus, ne non posset in illis benè proficere. Quem vt P. Balthassar animaret ad cõfidendum Deo, quòd ille ipsius industriæ defectus suppleturus esset, retulit ei confidẽter: quod cùm ipsemet tristis ac solicitus esset, eò quòd ob occupationes multas dum studeret, & etiam postquam factus esset Sacerdos, non fuisset adeò studijs intentus, atq; opus fuisset: ideoq; Scholasticarum scientiarum defectum esset experturus in Ministerijs Societatis circa Confessiones, & Conciones: cùm tamen diu se in oratione exercuisset, extempore die quodam sensisset extraordinarium quoddam lumen in intellectu, quo Scholasticas veritates, &

tes, & Theologicas Conclusiones adeò perspicuè intellexit, atq; si multos annos, magnamq; diligẽtiam in eo studio posuisset: & ab eo tempore adeò impressas menti suæ veritates illas mansisse, vt nũquam amplius, solitum earum defectum sentiret. Et cuidam alteri graui Patri dixit: gratiam sibi à Deo concessam intelligendi Scripturam diuinam, & Materias Morales: & à quo die hanc gratiam acceperat, abiecisse timorem, propter quem aliàs non audebat esse absq; aliquo viro valde docto, cum quo liceret statim occurrentia sibi dubia conferre. Et aliàs cum sermo de hac re incideret, dicere solebat: ego non multum polleo acumine intellectûs, & studiorum: sed ex familiaritate cum animabus pijs, lectione Sanctorum, & frequenti oratione largitus mihi est Deus intelligentiã Scripturæ sacræ. In quibus verbis tres coniunxit fontes, ex quibus scientiam Spiritûs eminenter hauserat ad res internas, & spirituales cognoscendas: lectionem scilicet Sanctorum, qui eas experti, scriptas reliquerunt: familiaritatem, & consuetudinem cum animabus, quæ illas sentiunt, & experiuntur; & orationem, ac familiaritatem cum ipso Deo: & hæc fuit præcipua, cum ad eam peruenit excellentiam, quæ fuit illi eo tempore cõmunicata, non solũ ob experiẽtiam, quam habuit earũ etiam valde excelsarũ; sed ob lumẽ, quo Deus illũ illustrabat, vt eas cognosceret ac discerneret. quæ lux fuit instar luminis prophetici, quod (vt ait S. Gregorius, quẽ secutus est S. Thomas) duas res, solius Dei aliàs proprias manifestat: occulta scilicet cordis humani; & res futuras: & in vtraq; hac re illustrauit Deus hunc seruum suum: inter-

Homil. 1. in Ezech.
2.2.q.171.a. 3.
1.Cor. 14 25
Isa. 41.23.

interdum reuelans illi cordium secreta eorum quibuscum agebat, vt eos rectè deduceret: cùm reuelationes propheticæ fiant per Angelos qui earum personarum custodes erant, res aliquas ad eas spectantes Patri huic reuelabant, quemadmodum in capite sexto est dictum: Interdum etiam futura, & quæ à nostra voluntate dependent, illi reuelabat, vt securos eos redderet, quorum intererat; ita euenturas. Horum omnium plura exempla in sequentibus capitibus subijcientur.

S. Tho. 2. 2. q. 172. § 2. ex S. Diony. c. 4. de cœlesti Hierar.

CAPVT XVI.

ORATIONIS SVAE EFFICACITATE Metinæ, & alibi multa fecit inproximos admiratione digna: tum manifestatione multorum cordis secretorum; tum prædictione rerum futurarum.

VAMVIS mutatio Patris Balthassaris ex Abula Metinam, & ad alia Collegia præcipuè dirigeretur ad spiritualem nostrorum profectum: eius tamen charitas non alligabatur ad solos domesticos; sed exsrebat se etiam ad externos; in quibus notabilem faciebat fructum, duplicibus suis armis, Orationis, scilicet, & Sermonum siue Colloquiorum de Deo,

Deo, quibus etiam illa adiungebat, quæ Deus illi in bonum animarum reuelabat. horum omnium aliqua referemus insigniora, & primùm quidem, quæ in varia personarum genera effecit, in quibus maximè se prodiderunt præclara eius talenta.

§. I.

INCIPIENTES autem ab eius Orationis efficacitate: erat hæc præcipuum telum, quo indurata, ac rebellia corda expugnabat, cùm eius colloquia, & rationes non sufficiebant; obtinebat enim tunc à Deo earum efficacitatem: ferè enim quidquid memorabile erga proximos siue sæculares, siue Religiosos fecit, suis illud Orationibus impetrauit, nunc quidem solis; nunc adhibita sua industria, ac diligentia, vt in sequentibus exemplis apparebit.

INGRESSVS fuit Collegium nostrum Metinæ secularis quidam, ad spiritualia Societatis exercitia peragenda, eo animi decreto, vt in ea remaneret. Sed Dæmon non dormiens, ægrè hoc ferebat: quare die quarto aggressus est illum adeò graui tentatione redeundi ad sæculum, vt se illi dediderit: ideoque Patri tradenti ipsi exercitia dixit, se velle discedere. Pater ille conatus est multis rationibus illi persuadere, illam esse tentationem Sathanæ, conantis ipsum in propriam perniciem trahere: sed nihil hæc profuerunt. Pater ergò ille rem totam Patri BALTHASSARI, qui Rector tunc erat, aperuit: is ab homine petijt, vt hoc saltem nomine, quod ipse id roga-

ret, quiesceret illa nocte vsque mane: acquieuit homo ob magnam reuerẽtiam, quam Patri omnes exhibebant; timens se à Deo puniendum, nisi quod petebatur præstaret. Vir ergo Sanctus ad commune suum refugium, orationem scilicet, cõfugit: & præmissa ingenti corporis sui verberatione, totam noctem consumpsit supplicando Deo Domino nostro, vt tentati, iamque victi hominis oculos aperiret, & tentationem remoueret. Exaudiuit eum Deus, attendens quanto feruore ac fiducia id peteret, & ob serui sui vigilias subuenit tentato dormienti. Vidit enim in somnijs crudeles duos viros expectantes illũ ad Collegij nostri fores: vt pugionibus ipsum cõfoderẽt, truci vultu minitantes, se id facturos, si exiret: & mortuũ illum ibi relicturos. Exitus ostendit somnium fuisse à Deo, & sancto Angelo eius custode: adeò enim trepidus adeoque mutatus fuit, cùm excitaretur; vt anxiè expectaret tempus matutinum, vt ad sanctum Patrem BALTHASSAREM accedens, ad eius pedes se prostraret: quod re ipsa fecit, instantissimè petens, admitti in Societatem: quod, exercitijs absolutis, cum magna animæ eius vtilitate fuit factum, & magno cum fructu perseuerauit, benè faciens alijs multis in suis occupationibus. & ipsemet retulit, quæ iam diximus: rem totam efficacitati tribuens orationis viri huius sancti.

NEC minus stupendum, quod in eodem Collegio accidit cuidam Tyroni: qui tentationi deserendi Societatem, & ad Carthusianos transeundi acquieuit, offerente illi Dæmone commo-

dam

dam ad id occasionem, ea scilicet mente, vt vtriusque faceret iacturam. Nam, quadam nocte in æstate, cùm portæ domus clauderentur, mansit ipse in horto; & per murum ascendens exiuit. Qui constituto tempore cubicula visitabat, aduertit, Tyronem illum abesse: & suspicatus, quod esse poterat, accessit Patrem BALTHASSAREM, qui tanquam Pastor bonus pro more suo vigilabat supra gregem suum. Audiens igitur, quæ Visitator ille dicebat: ipse statim ad Sacellum beatissimæ Virginis illius Collegij se contulit, & præmissa de more disciplina, pernoctauit in oratione, supplex orans Dominum nostrum, & sacratissimam eius matrem, vt errantis ouiculæ misererentur: ne in lupi infernalis dentes eam deuorare, & secum ad inferna trahere satagentis, incideret. Fuit hæc oratio adeò efficax, vt non solùm exaudiretur, sed etiam ipsi reuelaretur, Tyronem ab illo periculo, quod erat aliàs horrendum, liberum rediturum. Pauperculus enim Nouitius valde anxius properabat, existimans aliquem ipsum insequi, & ad singulos passus se deprehendi. cùm igitur ad medium itineris peruenisset, cœpit illum vehemens quædam apprehensio turbare, quæ valde illum perplexum reddidit, & nescientem quò se verteret: occurrebat enim illi, quod in Monasterio Carthusianorum nomine Aniago, quò ille pergebat, non essent fidem adhibituri eius verbis: si enim interrogarent, vnde veniret, facilè cognoscerent, ipsum fugere ex Societate; atque hoc ipso nomine, se

non esse recipiendum. Redire autem retrò videbatur illi valde difficile; in sæculo verò remanere, valde ignominiosum. Pergebat nihilominus in suo itinere, donec peruenit ad pontem cuiusdam fluminis: & tunc adfuit lupus infernalis, inhians vt pauperculam animam deuoraret, proponens eius imaginationi, ad exuendam talem perplexitatem, optimum esse remedium, ex ponte se in flumen præcipitare, & submergi: vt breui hoc compendio semel se ab omnibus expediret: premente autem eum grauiter desperandi tentatione: placuit DEO Domino nostro propter Orationem sancti eius Pastoris, vt in medijs illis tenebris tremula quædam lucis illi splenderet; persuaderetis vt mox ad Societatis Collegium rediret, idque fore facillimum, quasi cùm esset nox, non aduertissent ipsius absentiam; posse autem ipsum eadem via, quâ exiuerat, redire; & in hoc to remanere, donec reliquæ Collegij portæ aperirentur; illis autem apertis, posse statim intro se conferre, nullo videnti, aut aduertente. Ipsum hoc illi est adeò facilè, cùm prius difficillimum videretur, vt statuerit redire: & ita omnino euenit; vt cogitauerat; aut potiùs, quemadmodum bonus Angelus ipsi inspirauerat: mane igitur, cùm ille idem, qui eum abesse aduerterat, domi illum videret, accessit statim ad sanctum Patrem, vt id ei indicaret: qui respondit, se iam id scire, gratias DEO propterea agens. Post dies aliquot vocans ad se Nouitium, illi retulit, quæcunque sibi euenissent; & impositum perseuerauit, mansitque adeò quietus, atque

atque si nihil tale sibi euenisset. Ex quo apparet, quanto amore Deus seruum suum hunc prosequeretur: cùm non solùm ab eo peti ita concederet, sed etiam statim reuelaret, exauditam esse eius orationem, vt eò citiùs à dolore & solicitudine liberaretur.

SED adhuc fuit admirabilius quod euenit Patri Francisco Abulensi magno Societatis nostræ Religioso, (qui profectus cum Classe Diui Martini Padillij in Hyberniam, dum rediret Cluniæ (vulgò Corunia) obijt) hic, inquam, cùm Salmanticæ studeret, essetque iuuenis elegans valde ac strenuus, tempore Quadragesimæ recepit se in Collegium nostrum (quemadmodum multi alij eo tempore ibidem facere consueuerunt) ad Confessionem exactiùs peragendam, & aliquod Orationis Exercitium habendum: nihil tunc cogitans de suscipiendo Satu Religioso. Sed paucos post dies, ex quo se colligere cœperat, magnum ei lumen dedit DEVS, quo eius intellectus omninò conuincebatur, expedire sibi, mundo renunciare, & Societatem amplecti, ob multas & graues rationes, quæ illi occurrebant: sed quamuis tantam rationum vim experiretur, voluntas tamen adeò repugnabat, vt magnas quasi mortis angustias sentiret: ita vt necessarium illi esset, cubiculo exire, vt paululum respiraret, videbatur enim sibi, quasi suffocari. Ad hominem ita afflictum, accessit Pater BALTHASSAR, eumque est consolatus dicens, se rem DEO commendaturum? & effecturum, vt alij Domestici idem facerent. Fuit eius oratio

adeò efficax, vt intra breue temporis ſpatium dederit illi DEVS animum, vt omnes occurrentes difficultates ſuperaret: ideoque decreuit cum ingenti feruore, & lachrymis ingredi Societatem, & perpetuò in ea manere, etiamſi maiores eſſent difficultates deuorandæ. Statim igitur atque ſe ad pedes CHRISTI Domini proiecit, & ſacrificium hoc ſui obtulit, tantam cordis ſui mutationem ſenſit, vt facilè appareret, illam fuiſſe dexteræ Excelſi. nullam enim anxietatem, aut anguſtias; ſed maximam ſentiebat conſolationem, & extraordinarium deſiderium, vt in Societatem reciperetur. Redijt Pater BALTHASSAR ad illum viſitandum, & cùm ipſe quod acciderat, retuliſſet: facie quadam valde ſerena dixit ei Pater: gratias maximas Deo Domino noſtro agas pro accepto tanto beneficio: iam mihi conſtabat hoc ita futurum; quemadmodum cùm a *Elias dixit ad puerum ſuum, vt aſcenderet & proſpiceret contra mare*, an aliqua nubes aſcenderet, iuſſitq; illum *reuerti ſeptem vicibus. in ſeptima autem vice* dixit puer: *ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendit de mari.* & tunc Elias ait: *aſcende, & dic Achab: iunge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluuia.* Et ita *factum eſt. nam cùm ille ſe verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati ſunt, & facta eſt pluuia grandis.* Ita & ego hoc futurum eſſe præuidi: quod tibi ſoli dictum exiſtima, vt ſecretum ſerues. Ex quibus verbis licebat conijcere: ipſum ſua oratione id à DEO impetraſſe, ſibi

3. Reg. 18. 43.

ſibique in ea ita fuiſſe reuelatum. Et idem Pater Franciſcus Abulenſis hoc, ſuo ſcripto confirmauit: & cuidam alteri Patri ſibi familiari adiecit, quòd poſtquam ipſe in Societatem admitti petiuiſſet, & Pater BALTHASSAR reſpondiſſet, ſe velle ipſum recipere: Dœmon tentationem repetijſſet tam vehementer, vt ipſum pœniteret, petijſſe admitti. quare volens exercitia inchoata abſque nota deſerere, à Patre BALTHASSARE petijſſe facultatem exeundi, vt quibuſdam ſuis cognatis valediceret, & negotium quoddam cum eis expediret. Patrem verò ipſi reſpondiſſe: diſcede in nomine Domini: & quemadmodum tu vis tempus accipere, vt cogites, quid ſis facturus; & nos illud accipiemus, vt cogitemus, quid nobis expediat. ex quo reſponſo ſe intellexiſſe Patrem BALTHASSAREM ipſius cogitationes agnouiſſe: quare decreuit ipſe ibi manere, donec re ipſa fuit in Societatem admiſſus.

§. II.

ET HOC alterum fuit, in quo admirandos fecit in animabus fructus, quia ſcilicet occulta, quę in cordibus hominum gerebantur, antequam illi ea panderent, ipſe cognoſcebat, eòquòd illa Deus ipſi reuelaſſet, in eos fines, quos ipſe Deus intendebat: cuius rei aliqua valde notabilia exempla ſubijciemus. *Primum* fuit Dñi Franciſci Reynoſi, qui poſtea fuit Epiſcopus Cordulenſis: Is enim ex Vrbe rediens cum magnis Eccleſiaſticis reditibus, voluit ſe per dies aliquot in

domum, quam nos tunc Senticæ habebamus, recipere, ad ſpiritualia Societatis Exercitia facienda; vt melius de ſuis rebus conſtitueret, ac de plena ſuiipſius reformatione ageret. Petenti autem in hunc finem Patrem aliquem, datus illi eſt Pater Balthaſſar, tanquam huius negotij peritus & induſtrius. Qui cùm die quodam poſt prandium ſoli eſſent, cœpit Pater, atque ſi legeret eius cor, dicere ei omnes eius cogitationes, & conſilia, quæ ex Vrbe adferebat, & quidquid intus in ipſo gerebatur. Tantum res hæc ſtuporem attulit bono illi viro, (vt ipſemet poſtea retulit) vt multis profuſis lachrymis totum ſe Patris manibus traderet, ac de tota vita eius ita conſtitueret, ſicut iudicaret ad maius Dei obſequium futurum. Profecit tantum in Exercitijs circa Orationem, & vitæ totius, expenſarum, pompæq; huius mundi reformationem: vt omnibus, qui ipſum norant, non paruam attulerit ædificationem, etiam cum magna vtilitate, & ſolatio multorum pauperum, quibus liberaliter ſuis Eleemoſynis ſubueniebat. A quo tempore proficiſcebatur interdum Pallanciâ, vbi ipſe aliàs habitabat, Villa-Garcij, vbi Pater Balthaſſar manebat, ad eadem exercitia renouanda: ex quo inſignem animæ fructum percipiebat, admirans ingentia dona, quæ Deus in Patri contuliſſet.

INTER alias Perſonas, quarum Confeſſiones excipiebat, fuit etiam Diua Helena Quirogia, Cardinalis D. Gaſpari Quirogij Toletani Archiepiſcopi ex fratre Neptis, quæ poſtea facta eſt Monialis Carmelitana Diſcalceata; & vixit, mortuaque eſt ſanctiſſimè. Hæc Domus

duo valde notabilia retulit, quæ cum Patre Balthassare agens sentiebat. Alterum: quod eius verba plus quàm aliorum cordi suo infigerentur, illud accenderent, & emollirent, cum magna vi lacrymarum. Et semel (inquit) fecit me flere peccata mea centies plus, quàm in vita mea defleuissem; id quod per dies aliquot durauit: donec ad ipsum Patrem rediens, rem totam narraui: qui respondit: Deo sit laus, quod aquam ex lapide eduxerimus; & statim est me consolatus. Alterum erat, quòd ipsa disceret experientia, se ab eo doceri id, quo anima sua maximè indigeret, quasi apertissimè Pater videret eius necessitates: imò interdum priusquam ipsa necessitatem, qua premebabur, aperiret; conueniens ipse remedium proponebat. Et nominatim cùm ipsa valde afflicta ad eum accederet, statim atque Confessionale ipsum esset ingressa, priusquam vllum verbum loqueretur, rem totam agnouit: primumque eius verbum fuit: Eia Domina, bonum habemus annũ, magna erit messis: calamitates cum patiẽtia, grandia bona ferunt. Et alia vice, cùm ipsa de sua in oratione ariditate lamentaretur: priusquam illa loqueretur, præuenit Pater dicens: si siccitas bonum affert annum; bonum hunc habemus; quibus verbis consolationem illa, & animum accepit.

SIMILE quid euenit alteri Dei ancillæ, cui ob insignem virtutem licebat quotidie communicare. hanc, cùm die quodam confiteri vellet, fecit exspectare per duas horas; & cùm ad Confessionale descendisset, ei dixit, quidquid duabus illis horis in eius anima esset actum; quo audito, illa admirata est, & respirauit, benè iudicans col-

locatum laborem in exſpectando : huiusmo
di enim reuelationes Deus facit ſuis miniſtri
non ſolum ad eorum opinionem apud alios fo
uendam: ſed etiam ad animandos & conſolandos
ipſos pœnitentes;& reliquos, qui cum ipſo agun
vt ipſorum miniſterijs magis illi proficiant.

D. Anna Henriquez ſoror Marchionis Alca
nicij Sancto huic Patri valde piè addicta ſcripſ
in quadam charta, quam poſtea nobis tradidi
multa, quæ ſibi cum eo accidiſſent: inter alia
autem hoc refert: (quod ab eodem Patre in
tellexit) quòd, cùm Pater Metinæ maneret, ipſe
verò in alio quodam loco, viderit in Spiritu de
ſolationem & afflictionem, qua ipſa premeba
tur; & valde inſtanter orauerit Dominum, vt
dignaretur rem ita diſponere, vt poſſent ſe mu
tuò videre, ad eam conſolandam, pro vt opus ha
bebat. Id quod Deus illi conceſſit, Nam orta eſt
quædam occaſio, qua illa cum viro ſuo debere
quoddam iter facere: & quamuis tranſire per Me
tinam eſſet circumire, & ipſa omnino tergiuer
ſaretur euitandi circuitus cauſa : omnes tamen
difficultates oratio Patris ſuperauit. Qui eam
Confeſſionem excepit, & ita cum illa eſt locutus,
vt extraordinarium quiddam in ea efficeret; adeo
que repleret conſolatione, vt ei diceret, ne quæ
ſo verbum vllum amplius mihi dicas Pater: quia
non poſſum amplius ferre. Eadem etiam affirma
uit: multa ſibi in varijs occaſionibus à Patre di
cta, quæ eſſent ipſi euentura : & omnia,
pro vt à Patre fuerant prædicta,
ſibi eueniſſe.

* *
*

§. III.

§. III.

HOC genus reuelationum de rebus futuris fuit alterum, quod omnes admirabantur, & quo magnum faciebat fructum: cuius etiam sunt multa & præclara exempla, quæ in varijs partibus euenerunt. *Primum* fuit Abulæ, cum quadam sua pœnitente, quæ valde anxia ob sui viri absentiam, (qui etiam erat eidem Patri valde piè addictus) de quo diu nihil scire potuisset, accessit, vt Sancto suo Confessario calamitatem suam aperiens, consolationem ab eo acciperet. Ipse audiens eam, & flentem videns, incepit & ipse tenerè cum illa flere: donec attendens, quid faceret, dixit: quam ego consolationem adfero flens cum flente? sed cessemus à fletu, benè enim res habebit: nam vir tuus absque dubio hac septimana reuertetur. Et ita est factum: vxorque viro retulit, P. Balthassarem id futurum prædixisse: quo illa valde fuit excitata ad magis seruiendum Deo, gratias ei agens, quòd talem Confessarium esset sortita. Simile quid euenit eidem viro qui Patri cuidam Societatis (cui post P. Balthassaris ex Abula discessum confitebatur) dixit: ô quam Sanctus vir, Pater ille erat! & quam eius verba cor inflammabant. Semel (inquit) valde desolatus ad eum accessi, eò quòd meo iudicio Socrus mea iam obijsset, & quærebam, qui illam sepeliret: ego verò ingenti dolore afficiebar, quòd illa res quasdam magni momenti ante mortem non declarasset. Pater afflictum consolans dixit: illam necdum obijsse; & superesse

adhuc

adhuc tempus, vt res illas declararet, & ita fuit: nam verbis illis ego animatus, redij domum, & adhuc viuentem inueni: declarauit illa quod ego optabam, & statim quasi vna auicula obijt. Hæc retulerunt duo hic afflicti coniuges, ad quorum consolationem reuelauit Deus sancto eorum Confessario, quod in eorum tribulatione esset illis subsidium & leuamen.

QVIDDAM aliud non minus stupendum retulit de se ipso, quidam Societatis Pater, fide omnino dignus, qui dum valde affligeretur, quòd se videret iam prouectæ ætatis, sine illis tamen debitis ad proximos iuxta nostrum Institutum iuuandos, sæpiùs hanc difficultatem & tentationem cum P. Balthassare communicauit: qua nihilominus durante, & ipso non audente vlterius de ea cum Patre loqui: occurrens tamen eidem quadam die in ipso Collegio, animo valde deiecto dixit ei: Pater, molestia hæc ac difficultas adhuc me vexat, cui P. Balthassar: existimas ne esse in Societate media ad salutem consequendam? quo respondente; esse: replicauit vir Sanctus: non solum tu saluaberis: sed multos etiam alios iuueris, vt saluentur, & viues in Societate contentus. quo audito prorsus euanuit illa tentatio, & verum fuit, quod seruus hic Dei in eius nomine illi dixit. Nam idem Pater fuit postea insignis operarius in Collegio nostro Salmaticensi: in quo, Rectore eodem Patre Balthassare, acciderunt similes alij casus, quos suis locis reddemus.

* *
*

CAP.

CAPVT XVII.

EFFICACIBVS SVIS EXHORtationibus magnum fecit fructum in multis sæcularibus, ac Religiosis personis.

ALIVD genus armorum quibus P. Balthassar vtebatur ad animas expugnandas, erat efficacitas, & spiritus, quo exhortationes de rebus spiritualibus faciebat: quamuis D. N. cuius iudicia in distribuendis talentis & gratijs gratis datis sunt occultissima, non dederit ei talentum, vt è suggestu concionaretur, quemadmodum multis alijs concionatoribus: vt haberet aliquid ex quo humiliaretur, & alijs cederet: ideoque ex humilitate noluit hoc ministerium obire in locis frequentioribus. Cuius defectum suppleuit Deus per insignes alios concionatores, qui magnum ex eo munere fructum adferebant; & plurimos attrahebant ad Collegium, vt ipsum Patrem cognoscere possent. Quare cùm ipse Rector esset Collegij Metinensis, prospexit Deus, vt eò mitteretur concionator P. Baptista Santius, quem Deus ad excelsam adeò & iucundam euexerat orationem, vt ipse P. Balthassar in quadam occasione ex eius ore audiret: si quidquid solatij Deus in terra fecit in vnum coniũgeretur, essetque æternum, se tamen totum illud facile com-

commutaturum, vel pro vno horæ quadrante eius gratiæ, ac fauoris, quem Deus illi exhibebat; item: si certò sciret, se per integrum diem non moriturum; dolor huius cognitionis sufficeret ad vitam sibi adimendam. Ex quo apparet eius amoris magnitudo erga Deum: siquidem tam insignes ab eo fauores in hac vita accipiens, ita ardebat desiderio videndi & fruendi eo, quem tantopere diligebat: vt certa vel vnius diei dilatio tantum illi cruciatum & dolorem esset allatura, quamuis postea Deus (qui nouit suos electos, in ea re mortificare, quam ipsi plurimi faciunt, maximè desiderant, & grauiùs sunt laturi) eam pœnam dederit deglutiendam: quia multo antea reuelauit diem & horam obitus sui. Et in suo breuiario scriptum inuenit: tali die, & tali hora morieris; vide, quomodo viuas: & ita verè vixit, vt mors eius valde fuerit fœlix, & preciosa. Hic vir sanctus, magna familiaritate fuit Patri Balthassari coniunctus; tantam habuit de eius Spiritu opinionē, vt Tyronibus diceret: habetis Magistrum non solum virtute præditum; sed ipsammet virtutem. Conueniebant aliquando vtque simul ad agendum de Deo, mutuò seipsos inflammantes cum tanto Spiritu in amore diuino: vt quidam sæcularis Doctor audiens illos aliquoties colloquentes, dixerit, videri sibi eos euasisse in quosdam Seraphinos. Hoc feruore cœperunt seipsos mutuò adiuuare in iuuandis animabus. Nam P. Baptista feruentibus suis concionibus totam domum Auditoribus replebat, faciens extraordinarium in animabus fructum; & stu-

& ſtupendas multarum Conuerſiones, quæ grauibus vitijs, & illicitis cõtractibus valde implicatę tenebantur; eas verò, quæ perfectioni ſtudebant exſtimulabat, vt progreſſum in ea facerent, cum his autem peculiariter agebat P. Balthaſſar, feruorem illis addens, & ſuis de Deo exhortationibus promouens; multis interdum ad eas audiendas in templum conuenientibus; interdum verò priuatim cum ſingulis colloquendo: ſemper tamen cum tanto ſpiritus feruore, vt ipſa audientium corda permutaret; &, vt ſuprà dictum eſt, igne quaſi malleoque illos cælans, in virtutibus perficeret, vt ſubiectis exemplis apparebit.

REFERENTE quodam graui ex noſtris Patre cognitum eſt: cùm virum quendam nobilem ægrotantem ex inordinato, adeoque vehementi cuiuſdam fœminæ amore, (qui tandem illum ad ſepulchrum deduxit:) ægrotantem Sanctus Pater Balthaſſar, Deo ita diſponente, viſitaret; tanta eum vi verborum, & rationum efficacitate cum eo locutum eſſe, vt cor eius penetrarent; eſſentque tanquam gladij, & tela quædam, quibus eius vita, quamdiu durauit, continuè transfigeretur: Cùm enim turpi illo amore, viuens vreretur: (etiamſi intellexiſſet, ſe euaſurum, ſi furentem ſuum appetitum expleret) mori tamen potius vellet, quàm Deum offendere, & proximum ſcandalizare: quod procul dubio rariſſimum eſt; magnumque teſtimonium illius ignis, quo in virtute Dei Pater loquebatur, qui tantum cæleſtis amoris ignem in illius

nobilis

nobilis corde efficere potuit, vt vehemẽtem a
carnalem amorem reprimeret. Ex quo etiam a
a *Cant.* 8. 6. paret, qua ratione omnis a *dilectio* dura sit, ac
tis sicut mors; siquidem turpis mortem adfert c
poris; honesta verò, & studiosa, hanc acceptat
amplectitur, ne vitam perdat spiritualem.

EADEM efficacitate effecit alias mutatio
in aliquibus adolescentibus diuitibus ac robu
Metinensibus, quos impulit Societatem ingr
qui tamen adeò erant ab his cogitationibus
moti, vt hastiludijs potius, alijsq; Equitum e
citijs attenderent, quãm de ingredienda Relig
ne cogitarent. Inde vocauit Deus Patrem Gab
lem Duennium, & postea etiam eius fratrem B
nardum: qui insperata sua mutatione, & ingr
in Societatem Oppidum illud plurimum ædifi
runt, & vterq; in Societate mortuus est cum m
gno patientiæ & humilitatis exemplo, quod p
buerunt in multis morbis, & imbecillitatib
quas sunt perpessi, & nominatim Bernardus,
etsi multis, ac grauibus etiam ab ipso Tyroc
esset affectus, non tamen efficere potuerunt, v
delitias, quibus semel renunciauerat, reuert
tur; eligens potius in doloribus & cruciatib
& multis etiam opprobrijs habitare in do
Dei, quãm in mundi Palatijs, cum delicijs & v
luptatibus.

IBIDEM peruicit profuitq; multis merca
tibus, & negociorum gestoribus, tunc Met
florentibus: quibus persuasit, vt in medio to
ternarum occupationum, tempus aliquod
rioribus darent, exercentes se aliquanto tem
in oratione; & agentes cum Domino D.N.d

lute suarum animarum: Eorum vnus fuit Asensius Gallianus ditissimus ac potentissimus: quem familiari sua conuersatione valde reddidit exemplarem. tantumque ille in Oratione, & familiaritate cum Deo profecit, vt diceret: ego hominibus Societatis non Orationem, sed Obedientiam inuideo; nam, negotiorum tumultu expedito, ascendebat ad Oratorium, quod domi suæ habebat: dicebatq; Deo: Domine huc venio, vt quiescam tecum: quem etsi Dominus, cælestium consolationum abundantia visitaret: dolebat tamen, deesse sibi thesaurum illum, quo Religiosi gaudent, eò quòd omnia sua facere possint ex Obedientia, ac directione Prælati, Patrisque Spiritualis, quem semper ad manum habent, quo tamen modo ipsi licebat, defectum hunc supplebat, obediendo suo Confessario, multisque Eleemosynis largiendis; diuitijs scilicet quærens amicos, qui eum reciperent in æterna tabernacula. Inter alias autem pias Eleemosynas, dedit Collegio præclarum & splendidum tabernaculum, ad solennia sanctissimi Sacramenti, cui erat valde deuotus, celebranda. Licuisset aliarum personarum huius generis mutationes referre; sed eas, quod huic sint similes, prætereo; contentus quendam referre, qui, cùm se per octiduum ad exercitia facienda in domum nostram recepisset, tantum ei luminis Deus impartiuit, vt videretur sibi, eò vsque non sciuisse viuere; ac proinde tunc viuere incipere: antea enim negotia eum implicatum, & quasi præstigiatum tenuerant; tunc autem Oratio dedit ei cor liberum, & extricatum, vt etiam in ipsis negotijs cum quiete quadam viueret.

HOC ſpiritu cæleſtique agendi modo P. Balthaſſar plurimos ex varijs Statibus ſenſim lucrabatur, qui ad ipſum in domum noſtram ordinariè veniebant; & ipſemet ad illos, ſemel tantùm in ſeptimana ibat, modo hos, modo illos viſitans; & ſic ad finem anni omnibus ſatisfaciebat. Exibat tamen aliàs ad omnes, qui de rebus conſcientiæ aliquid cum ipſo conferre volebant; aut cum ipſe id ad bonum animarum ita expedire iudicabat. In quo genere ſtupendum quiddam ei euenit cum quadam honorata valdeq; pia muliere, quæ aſpirás ad profectum in virtute, cupiebat, ad noſtram domum, Confeſsionis cauſa ordinariè accedere, quemadmodum aliquando fecerat, eò quòd experiretur, ſe ibi voti ſui compotẽ fieri. Sed vir eius & cognati parum ad Societatem affecti illam retrahebant; & ſi quando intelligebant, illam eò iuiſſe: verbo & opere illam vexabant. Inſpiratione igitur diuina acceſſit ad P. Balthaſſarem pro remedio, rogans, vt ſemel in domũ ipſius veniret, virumque ſuum viſitaret. Annuit Pater, & ad diem decretum conuocauit illa omnes cognatos, à quibus impediebatur, ignaros, in quem finem conuocaretur; quibus ſimul exiſtentibus, ingreſſus eſt P. Balthaſſar; & ſalutatione præmiſſa, cœpit loqui de Chriſto Domino, & quàm meritò debeamus illi ſeruire: adeoq; præclara, & tanto feruore, ac vi locutus eſt, vt omnes fecerit flere; eosq; ita mutauerit, vt ad Societatem valde affecti remanerẽt: nec ſolum impoſterũ fœminã illam à pio ſuo deſiderio nõ retardarũt; ſed eius potius exẽplũ ſecuti, ſtatuerũt frequẽter cõfiteri, & cõmunicare. Ad HVC fuit admirabilior alia mutatio, quã fecit cũ iter faciẽs trãſiret per quoddã Religioſorũ Mona-

ſteriũ: in quo erãt aliqui ipſi noti: Nã petẽtib. illis ab ipſo; vt ad omnes ſimul exhortationẽ aliquam haberet, Pater annuit: tãtaq; vi eſt locutus, vt omnib. omninò, nullo excepto perſuaſerit, vt per octiduũ ad ſpiritualia Societatis exercitia faciẽda ſe reciperẽt; & in Oratione mentali, ſpirituali lectione, & conſciẽtię examine, ſeſe occuparẽt: mãſitq; ipſe cum eis, cũ licẽtia P. Prouincialis, traditurus eis ipſa exercitia: quibus, & exhortationib⁹, quas octo illis diebus ſæpe fecit, adeò fuit eorum profectus notabilis, & copioſus, vt eorũ Prouincialis, vir valde inſignis, hoc audiẽs, ſtatim ad eos venerit, vt re ipſa experiretur, quod audiuerat: qui cernẽs: tãtam quietẽ, recollectionẽ, ſilentiũ, & in omnibus exactã promptitudinẽ, valde obſtupuit; eosq; exſtimulans, vt in benè cœptis alacriter, & feruẽter pergerẽt, viſitauit P. Balthaſſarẽ, ſeq; ipsũ & omnes ſuos Religioſos cũ magna animi gratitudine ipſi obtulit, cupiẽs & ipſe eius eſſe diſcipul⁹.

HAEC ſunt, quę Dei omnipotẽtiã, & miniſtrorũ ſanctitatẽ, quorũ operã ad ea præſtanda vtitur, vehementer extollũt. Hæc (inquit Caſſianus) ſunt opera, in quib. agnoſcitur, ac deprehẽditur, quàm magn⁹ ſit Deus: cũ ſcil. experimur, vel propriũ, vel aliorũ cor ita mutari, vt ex ſuperbo fiat humile; ex auaro, liberale; ex propẽſo ad delicias, valde pœnitẽs; ex ignauo ac tepido, diligẽs, ac feruẽs: & certo quodã modo mai⁹ eſt miraculũ, tepidũ hominẽ in feruẽtẽ cõmutari, quã improbũ in bonũ; impro bus. n. videt ſuã malitiã, quę omnib. diſplicet, & ab omnib. improbatur; & ipſe nouit, niſi emẽdet ſe, niſi cõuertatur, ſe fore dãnãdũ: at tepidus videtur ſibi, vtcũq; bon⁹; & quãuis tardè, p̃grediatur, putat

Coll. 12. c. 12.

se esse securum ac propterea non tanti facit, quòd in sua tepiditate permaneat. Ita protestatus est S. Bernardus quibusdam Religiosis, qui similem se-
„ cerunt mutationem. Digitus, inquit, Dei est hic,
„ qui operatur facilè, & salubriter mutat, non iam
„ ex malis bonos, sed ex bonis meliores faciens. ô si
„ mihi licuisset per locum, vbi estis vos transire, & vi-
„ sionem hãc grandẽ videre; volo enim, vos scire,
„ non minus admirabilem esse hanc secundam pro-
„ motionẽ, quàm fuerit mutatio illa prima à sæculo
„ ad Religionẽ. Faciliùs enim multos sæculares in-
„ uenietis, qui mutentur in bonos; quàm vnum Re-
„ ligiosum, qui mutetur in meliorẽ. Rara auis in te-
„ ra, quod ex gradu virtutis, ad quem quis peruenit
„ in Religione, vel modicũ vlteriùs progrediatur.
Hæc S. Bernardus. Et hæc fuit singularis D. N. gra-
tia in P. Balthassarem, vt efficaci suo verbo non tan-
peccatores iniustos; quàm iustos in meliores con-
uerteret: efficiens, vt tardum gressum, in quo quo-
dammodo hæsitauerant, detestati, feruentiori
passu progrederentur.

EVNDEM fructum faciebat exhortationibus
suis in nostris domesticis, cuiusq; hebdomadæ Fe-
ria sexta iuxta receptũ morẽ. Et in prima quam fe-
cit factus Rector Collegij Metinensis tanto spi-
ritu est locutus, vt flammas ignis videretur in fi-
gulorum pectora immisisse, tãtumq; feruorem in
ea hauserũt, vt per multos menses durauerit, quo-
ipse subsequentibus exhortationibus etiam reno-
uabat. Quidam inter alios ibi habitantes, vir alio-
cuius authoritatis, sed proprij iudicij aliquo mo-
do tenax, dicebat vna eius exhortatione, aut spi-
rituali conferentia se ita doceri, ac moueri, vt
alius

alius ex ea exiret, quàm esset ingressus. Et similis alius Pater sese illi subiecit, ac dedidit, dicens: pareamus illi, vtpote homini magnæ orationis, & cui Deus fauet. Et ego ipse hoc testari possum ex ijs, quæ Metinæ sunt gesta. quod primam exhortationem in Societate audiuerim ab ipso Patre Balthassare quadam feria sexta ante natale Domini transiens aliò per illud Collegium: in qua exhortatione tanta vehementia est locutus, vt valde ego admirarer: tantoque spiritu aliquas sententias attulit, vt in hodiernum diem mihi profuerint. Ipsa verò nocte Natalis Domini cecinit ipse Sacrum; & conuersus cum Sanctissimo Sacramento in manibus, vt fratres nostros, multosque alios sæculares, qui conuenerant, communicaret: breuem etiam fecit exhortationem cum magna teneritate, ac deuotione, exhortans nos ad amorem, & reuerentiam illius Domini, quem habebat præsentem. Hic mos tunc erat in vsu, sed postea iudicatum est, expedire, huiusmodi exhortationes in aliud tempus reijcere. Et ego etiam reijcio quas ad Tyrones habebat, ad locum proprium inferius. In ipsis etiam verbis miram habebat efficaciam ad corda turbata pacanda: & tantam iam authoritatem obtinuerat, vt vel vna eius ratio sufficeret, ad Auditores pacandos, quemadmodum in multis casibus postea referendis apparebit, qui in alijs etiam locis euenerunt.

IN ipso Metinensi Collegio euenit, vt quidam sæcularis ingressus ad exercitia Societatis peragenda, cùm ad meditationem de Inferno peruenisset, adeò efficaciter horrendas Dæmonum fi-

guras conceperit, vt ratus, cubiculum esse plenum Dæmonibus; magna furia instar alicuius delirio actus, surgens arriperet gladium, quem secum attulerat, eoque nudato, media nocte exiret per totum illud latus domus, feriens fortissimè ipsos muros huc atque illuc, quasi Dæmones ipsos insequeretur, vt vulneraret: & sic peruenit ad cubiculum Patris Balthassaris, cuius ianua cum esset aliquantulum aperta, eò ingressus à dextris & à sinistris percutiebat. Pater hominem ex voce agnouit, & statim intellexit, quid esset, & vno verbo iussit illum quiescere; quod vbi furiosus homo audiuit, ac recognouit, statim substitit: Surrexit Pater, & eius brachio apprehenso, fecit eum sibi in scamno assidere, & paucis rationibus propositis, effecit, vt pacatus, & quietus in suum rediret cubiculum.

DENIQVE opinio eius Sanctitatis, & verborum efficacitatis effecit, vt multi sæculares, & Religiosi Metinam se conferrent, vt cum eo de rebus animarum suarum agerent. Alij, qui alibi prius eum nouerant, qualis fuit Magister Daza, qui Abula Metinam veniebat, vt feruore, quem sancti huius viri colloquia, & rationes in ipso excitabant, spiritum suum renouaret; alij ex ijs quæ de eo audiebant: qualis fuit grauis quidam Religiosus ex sacro ordine Carthusiensium Frater Alphonsus Roblius, qui Pallantiam transiens, à quodam nostro Patre audiuerat, quanti fieret ab omnibus spiritus, quem Deus Patri Balthassari communicasset; & insigne eius talentum ad Societatis exercitia tradenda

tradenda. Et quoniam ipse Frater Alphonsus cupiebat exercitia facere, contulit se Metinam, vt cum eo ageret. Et excepit me, inquit, tanquam Angelum è cælo, etiamsi aliàs valde esset occupatus: mansi ibi sexaginta diebus sub eius disciplina, possumque verè affirmare, quamuis cum multis insignibus & spiritualibus viris antea egissem: nullum tamen ita pectus meum, atque ipsum impleuisse: in quo re ipsa agnoui magnum quendam spiritum cum excellenti in Deum fiducia. Et eodem nomine particularia alia referebat, quæ sibi cum illo agenti extra hanc occasionem acciderunt: quę suis in locis inferius reddemus.

NON est tamen æquum præterire exactam rationem, quam Deus D. N. habebat in remunerando, etiam in rebus temporalibus huius serui, in rebus diuini obsequij & bono animarum diligentiam, vt liberius ipse, & absque impedimento eis adesset: nam valde moderata solicitudine, & cura ex parte sua, ad alimenta pro suo Collegio quærenda adhibita, prospiciebat illi liberaliter de omnibus necessarijs: implens hac ratione verbum illud: b *nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Cùm enim P. Balthassar primo loco, summaque diligentia regnum Dei, eius Iustitiam, & Sanctitatem quæreret, non sibi soli, sed suis etiam omnibus, & Metinæ habitantibus ita Deus

b *Matt. 6. 31.*

rem totam dirigebat, vt mille vijs, Eleemosynarum, & legatorum, ipso nihil tale quærente, Collegio benè prospiceretur: ita vt exiguis tunc reditibus, nec contractis debitis, aleret sexaginta, aut septuaginta Religiosos, qui numerus multò maior est, quàm ante ipsum, & post ibi alerentur. Et in suis angustijs, quoniam diuinæ prouidentiæ omnino confidebat: illa ei prospiciebat, & ex necessitatibus eripiebat: ita vt nesciens vnde, & quomodo, se ab eis expeditum intelligeret.

CAPVT XVIII.

LABORES ET PERICVLA, QVIbus in gratiam animarum se exposuit; & quædam insignes occasiones, in quibus magnam suam charitatem ostendit.

NON generãtur nec alũtur spirituales filij solis orationibus, & exhortationibus, aut literis etiam valde spiritualibus datis, nisi etiam accedat defatigationes, labores, & pericula, quæ sustinenda & adeunda sunt, ad eos conuertendos, lucrandos, & conseruandos, ac in omni virtute promouendos. Ideo enim de mystica illa muliere in Apocalypsi (quæ Ecclesiam & eius ministros referebat) dicitur: a *quod in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat*; & Apo-

a Apoc. 12. 2.

stolus

stolus ait : b *quotidie morior per vestram gloriam*; vocat autem mortem quotidianam continuos labores, & pericula, quibus eorum gratiâ se exponebat, quæ eisdem Corinthijs ipse refert, dicens se passum c *pericula in mari, in fluminibus, in itineribus, à latronibus, à falsis fratribus*, & alijs innumeris laboribus & ærumnis, *famis, sitis, nuditatis*, infirmitatum, & variarum persecutionum; & hac ratione & suis orationibus, & exhortationibus magnum hominum numerum conuertit ad fidem. Et Euangelicæ doctrinæ perfectionem. idem autem euenit Apostolico huic viro, cuius vita fuit continua quædam occupatio, & solicitudo in messe animarum, quam collegit non solùm orando, & de Deo sermonem instituendo; sed exponendo se etiam earum causa laboribus ac periculis multis, calcans vbi opus erat commoditatem & quietem suam; honorem, salutem, ac vitã, vt in earum necessitatibus illis adesset; consolaretur desolatas; tueretur, cùm virtutis causa aliquid patiebãtur; patiens & ipse ingentes contradictiones; & audiẽs cõtra se frequẽtes murmurationes, vt quasdam personas defenderet, quas alij illusas esse suspicabantur: imò idem de ipso cum honoris eius detrimento sæpè dicebatur. Quorum tamen nihil ipsum terrebat; aut à suis cœptis, & officij obligationibus reuocabat; sed multò ampliùs excitabatur ob indicia, & præclara pignora, quæ habebat, quod ipsius labores Deo placerent: siquidem Dæmon eos impedire conabatur.

b 1. Cor. 15. 31.

c 2. Cor. 11. 23.

§. I.

BONVM huius rei indicium fuit, quòd Abbatissæ plurima pateretur, in defendenda sancta illa matre Theressa de Iesu: quemadmodum ipsamet fatetur in verbis cap. II. allatis. Nota etiam illa, quæ ipsi inurebatur, quasi & ipse esset illusus, reuixit postea, cùm non exigua tribulatione, vt suo loco ostendemus. Metinæ quoque cooperunt inundationes occupationum, profectionum, cœptorumque valde difficilium; labor item valde continuatus cum Tyronibus: qui tantus erat, vt in Elencho, quem de beneficijs diuinis fecit, referat: quòd non fuerit defatigatus penso illo, quod in Probatione sustinuit; cùm tamen illud sit adeò graue, vt meo quidem iudicio vix in Religione tria sint onera hoc grauiora, prout in Societate portatur. Et quamuis ibidem grauibus morbis, & imbecillitatibus esset affectus: nunquam tamen de suo penso remisit, quamdiu morbus non omninò ineptum ad illud portandum, & in eo pergendum reddebat. Et quoniam, quod superest huius historiæ insertos habebit graues ipsius labores ad difficultates; quas vtilitatis animarum causa, & implendi, quæ ipsius officia requirebant, est perpessus, nunc tanquam præambulum quoddam aliqua tantùm insigniora referam, in quibus magnam suam in proximos charitatem ostendit; & ingentem animum, quo eos iuuandi causa proprias commoditates negligebat.

Cap. 40.

APERTA huius rei indicia dedit, cùm Salmaticæ laborãs febri tertiana, & bis emisso sanguine

Voca-

Vocatus à quadam Moniali Carmelitana Discalceata, iam iam moritura, valdeque desolata, quòd eum ante mortem suam videre non posset, cùm esset eius Confessarius, ex cuius directione magna à Deo beneficia acceperat; ac proinde sperabat per eundem, se in tali afflictione illa conseruaturam. Sanctus autem Pater, etiam aduertens periculum, cui se exponebat, è lecto surrexit, vt ad eam consolandam accederet: cui cùm frater, qui eius curam gerebat, diceret: grauiter hoc ipsi nociturum: respondit, multa meritò fieri debere, consolandæ vnius animæ causa. Cumque ad Monialem peruenisset, dum eius Confessionem excipiebat, præ debilitate, ex recentis sanguinis emissione, incidit in deliquium: & Infirmarius, qui illum comitabatur, ingressus est, vt ei subueniret: ad se autem rediens, perrexit Confessionem audiendo, adeoque in Domino consolatam reliquit Monialem, vt paulò post, in magna pace & tranquillitate obiret. redeunti Patri Balthassari domum cum magno labore, & iacenti in lecto febris est duplicata, cui cùm Infirmarius diceret: annon ego Reuerentiæ vestræ dicebam nociturum ex domo exitum: respondit Pater cum magna tranquillitate: id totum est modicum, & parui faciendum: propter vnius animæ consolationem: idque meritò dixit: nam, & si febris fuit duplicata: etiam charitas exercitio duplicatorum actuum amoris DEI, & proximi; & agendo, ac patiendo (contempsit enim corporalem suam salutem, vt spirituali, proximi afflicti subueniret) fuit benè duplicata.

NEC

NEC decet tamen silentio præterire, quo Mater Anna de Iesu, illius Conuentûs Prioris (filia valde dilecta S. Matris Theressæ de Iesu) re tulit, quæ cum alijs Monialibus ingressa fuit ægrotantis cellam, cùm Pater in deliquium ce disset. Nam prudenter, & non sine magno fundamento iudicarunt: id, quod deliquium videbatur, fuisse in rei veritate Raptum spiritûs, in Deum eleuati: non solùm propterea quòd in facie videretur, quasi quidam Seraphinus, qui vel ipso aspectu mirificè illas recreabat; sed multò magis ex eo quòd Pater ad se rediens dixit: singularem gloriam ægrotanti illi Moniali esse præparatam; & intra paucos dies illa fruituram. Nam in octo mensibus, quibus ægrotans in lecto iacuerat, plus profecerat, quã aliq etiã valde bonę Religiosæ integra valetudine in multis annis profecissent. Eique valde credibile, hunc fuisse Raptum, quales illi fuerunt, quos Cap. 15. retulimus: quia voluit Deus remunerare obsequium hoc serui sui, quod infirmus præstitit: dans scilicet eius Spiritui suauem hunc fauorem, etiamsi corpus aliquid pateretur.

QVAMVIS magnæ sit charitatis ob vnius animæ consolationem exponere se periculo augendi morbum corporis: existimo tamen maioris esse, si quis offerat se ad tormenta Dæmonis sustinenda vt alium ea patientem ab eis liberet: hoc autem fecit Pater Balthassar Metinæ cum quodam Tyrone, qui ei dixit: sibi quidem benè esse in Religione; sed vnum aliquid esse, quod illam sibi asperam & grauem redderet, quod tamen ex quadam animi timiditate non auderet ei aperire. Pater

Bal-

Balthaſſar veritus aliquod graue incommodum, ſi quid ſimile occultaret; iuſſit rem aperire. Nouitius, vt Iuſſioni eius pareret, dixit: nihil mihi graue eſt, niſi quod Reuerentia veſtra ſingulis noctibus, poſtquam incumbo, totaque domus quieſcit, accedat meum cubiculum, meque adeò verberet, ſicut hactenus fecit. Pater Balthaſſar hoc audiens coniecit, quod erat: Dæmonem ſcilicet accipere ipſius figuram, vt crudelitatem illam exercens, expelleret ex Religione eum, qui adeò libenter aliàs in ea maneret. Conſolatus ergo illum, certum reddidit, ſe non eſſe, qui id faceret. quare monuit, vt cùm verberans ille rediret, & pulſaret pro more ad portam: diceret illi: ſi habes facultatem, ingredere; ſi autem non, diſcede ad cubiculum Patris Rectoris. Nouitius ſic inſtructus, diſceſſit ad ſuum cubiculum. Noctu igitur hora conſueta, acceſſit Dæmon, vt pro more ſuo ipſum verberaret, & pulſanti ad portam Nouitius mutato verborum ordine, quem Pater illi præſcripſerat, dixit: Ingredere, ſi habes facultatem. Dæmon, vtpote aſtutiſſimus, audito primo verbo, ſcilicet, Ingredere; antequam ſecũdum audiret, ſcilicet, ſi habes facultatem, ingreſſus in momento, nouitium pro more verberauit: ex quo plus quàm nunquam aliàs fuit triſtis & deſolatus. Sequenti igitur die acceſſit P. Rectorem, & cum magna animi anxietate retulit, quod geſtum erat, ſignificans quàm eius remedium fuiſſet inutile. Sed cũ Pater intellexiſſet, ipſum non ſeruaſſe præſcriptum à ſe verborum ordinem, illum animauit, iterum mouens, vt ſi nocte ſequenti ille rediret, ipſe præſcriptum ordinem verborum ſeruaret, inci-

incipiendo ſcilicet, ab illo verbo: ſi habes facultatem, ingredere; ſin minus, vade ad cubiculum P. Rectoris. Venienti igitur pro more Dæmoni nouitius benè inſtructus pulſanti reſpondit, ſeruato ordine verborum: Dæmon autem non eſt ingreſſus; ſed iuit ad cubiculum P. Rectoris, & totam ſuam iram in illum effudit, verberãs eum crudeliſſimè; quo facto, & magno excitato ſtrepitu abiuit, nec amplius vnquam redijt. O charitatem dignam vero ſpiritualium filiorum Patre, crucis Christi amico, eiuſque verberum, ac dolorum imitatore, qui etſi à crudelibus carnificibus illati fuerunt, potiùs tamen ab Infernalibus furijs illos exſtimulantibus proueniebant, iuxta verbum illud ipſius Christi: a *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. quibus voluit ſeipſum tradere, vt nos à furore eius, & rabie liberaret. Ita Sanctus hic vir ex amore erga ſibi à Deo cõmiſſos, voluit eorũ pœnas in ſe ſuſtinere, vt eos ab eis liberaret. Nam timuit Carnificis illius furorẽ, & verberum eius crudelitatẽ; potiùs lubens ea ſuſtinuit, ne vlterius innocentes eius ſubditi ea toleraret. Et quãuis potuiſſet ſacris alijs medijs vti, aut iubere, tantũ illi reſponderet, ne ingrediaris, niſi habeas facultatẽ: noluit tamen id facere, ſed cum hoſte congredi, ſicut nouitius congrediebatur; & re ipſa experiri, quòd ille tolerabat: vt ſic coronam obtineret, quæ tali congreſſu & patientia comparatur.

a Luc 22.53.

§. II.

ALIVS ei caſus Villa-Garciæ euenit, in quo ſuam oſtendit charitatẽ, filum abſcindens conſilij ac decreti ſui, cũ magna ſua incõmoditate, vt proximo cõmodaret. Habiturus erat

quo-

quodam die Dominico mane concionem in nostro templo: (in huiusmodi enim Oppidis non recusabat hoc munus exercere) & ecce peruenit eò Prior S. Isidori Legionensis, nomine Castellanus, qui Salmanticā proficiscebatur; & cupiebat cū P. Balthassare de aliquibus rebus ad animam suā pertinentibus agere: diligebat enim ac venerabatur eum, à quo magnum fructum in exercitijs acceperat: sed adeò festinabat, vt non posset diutius ibi morari, quàm ab hora septima, qua peruenit, vsque ad decimam: hærebat Pater dubius, quid faceret; necdum enim ad concionem habendam se præparauerat, cuius argumentum ex Euangelio illius Dominicæ futurum erat de Charitate. Sic igitur necessitati ipsum quærentis, & vt audiretur petentis consulere volebat; defuisset illi tempus ad preparationem necessarium; si autem eum non exaudiebat, dimisisset tristem, ac desolatum; eò quòd tanti sui voti compos non fieret. Quare, re Domino Deo commendata, constituit apud se optimum studium, & ad concionem de charitate habendam præparationem esse, eam primùm exercere cum proximo, ipsius consilio, & consolatione indigente: Dei enim interesse, ipsi in tempore suggerere, quæ publicè esset dicturus. & ita euenit. toto enim tempore matutino mansit cum illo Priore, vsque ad semihoram ante concionem: quod tempus ipse consumpsit in oratione: post quam habuit suam concionem de charitate erga proximos. de qua altiùs est locutus, quàm si multis diebus, ad eam se præparasset. certū est enim, (vt ait Ecclesiasticus) a *quia nullus sperauit in Domino, & confusus est*: & quod a Eccl. 2.

eius

eius amore, ac proximorum amittitur, in tempo
redit duplicatum.

DENIQVE Pater Balthassar, tanquam fidel
Euangelij Operarius, valde cordi suo infix
b *Rom.* 15.1. habebat illud Apostoli consilium, b *debemus n
firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & n
nobis placere; vnusquisque vestrum proximo
placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chr
c *Psal.* 68. 10. *stus non sibi placuit, sed sicut scriptum est*; c *impe
peria improperantium tibi ceciderunt super m*
quasi diceret: bonus Christi Minister non sua
commoditatem, aut quod sibi tantùm arridet; sed
quod proximis expedit, quærere debet; ac in
mis acquiescere in eorum imperfectionibus,
molestijs, etiam cùm ipsi sunt graues: acquiesce
dum tamen illis est in bono, non ob aliquem h
manum respectum, sed ob ædificationem anim
rum, earumque profectum: sequentes exempl
Saluatoris, qui non elegit, quod naturalis vol
tas appetebat; sed molestias, & cruciatus pro
lit; subiens pœnas, quas nostra peccata merebu
tur. In eum finem inferebat se sanctus hic
multis laboribus ad proximorum consolation
pertinentibus, etiamsi propterea delicijs, &
uoribus spiritualibus esset renunciandum,
bus gaudebat in sua recollectione, dicens cum
d 1. *Cor.* 10. 33. postolo: d *per omnia omnibus placeo, non quæro
quod mihi vtile est, sed quod multis: vt salui fi*
Serm. 52. *in Cant. ad finē.* quemadmodum etiam S. Bernardus Monachis
dicebat: Rara satis mihi ad feriandum à superi
" nientibus conceditur hora, verùm ego non hac
" volo querela, nec vtar potestate, quam habeo
" me subtrahendum; magis autem ipsi me vtam
vt

vt libet: tantùm, vt salui fiant geram eis morem; "
& in ipsis seruiam Deo meo, quamdiu fuero, in "
charitate non ficta. Non quæram, quæ mea sunt, "
nec quod mihi est vtile; sed quod multis, id mihi "
vtile iudicabo. Quamuis autem P. Balthassar con- "
silium hoc vniuersim erga proximos seruaret, prudenter & moderatè, vt supra dictum est, ad id attendendo: multò tamen exactiùs illud sequebatur erga nouitios, & reliquos domesticos sibi cõmissos; maiori multò cura eis attendens, vt postea dicemus.

SED vt appareat, quantum Domino nostro placeat, quod ipsius Operarij hisce laboribus se exponant, vt suis proximis consulant, etiam desistẽdo à proprijs negotijs & consilijs, referam hic lepidum quendam casum, qui P. Balthassari euenit excusanti se à quodam huiusmodi opere præstando: non quòd laborem refugeret, sed vt alteri attenderet, quod ipse maioris momenti iudicabat: quem tamen Dominus impulit, vt prius alterum faceret. Peruenit quodam die Vallis-Oletum in transitu, cùm proficisceretur Burgos, negotij cuiusdam magni momenti causa, quod nullas moras patiebatur, cuius faciemus mentionem cap. 27. Erat tunc Vallis-Oleti in domo D. Mariæ Auenniæ Comitissæ Buendii ancilla quædam Dei, nomine Stephania, ex familia quidem rustica, & simplici; sed cœlestibus donis, magnisque DEI fauoribus plena, quæ Deus illi in oratione largiebatur; quæ aliquoties cum Patre Balthassare per eundem locum transeunte egerat, vt quoniam apud beatam Matrem Theressam de Iesu multum ipse valebat, ageret cum ea, vt in eius Religio-

nem, absque dote admitteretur. (quod initio cum aliquibus fiebat) Pater ei respondit, se id acturum, si illa admitti vellet, vt in domesticis rebus monialibus ministraret, cùm hoc excellentioris esset humilitatis. Et illa quidem acquieuerat: Paterque Balthassar receperat, se id impetraturum: sed multis officij sui occupationibus prohibitus fuit per multos dies id efficere. Cùm igitur nunc per Vallis-Oletum transiret, & serua illa Dei hoc intelligeret, curauit ei per suum Confessarium significari, vt esset memor; & cogitaret; quod ipsius negotium diu protraheretur: cui Pater respondit, se ob festinationem, & quod iam in procinctu esset, non posse tunc de negotio illo agere, sed in reditu, qui breui erat futurus, id omninò acturum. Verùm illa timens longiores moras, ob aliqua noua negotia, quæ facilè poterant Patri occurrere, dixit in magna sinceritate Confessario suo: si quidem Pater Balthassar exaudire me non vult, efficiam ego apud Deum, vt me exaudiat: & statim accessit ad orationem coram sanctissimo Sacramento; ad eoque feruenter id à Deo petijt: vt cùm iam in promptu essent iumenta, & Pater conscendere vellet, vt discederet: repentè incideret in febrem adeò grauem, vt coactus fuerit ponere se in lectum: & cùm intelligeret, vnde illi febris illa euenisset, misit ad ipsam Stephaniam, rogans, vt impetraret à Deo liberationem à febre; & statim se velle exire, vt quod ipsa tantopere desiderabat, expediret, & obtineret. Illa id à Deo petijt, & obtinuit: & ipso vesperi Pater negotium iuxta votum Stephaniæ perfecit, & se

& sequenti die mane sanus prosecutus est iter suum.

EX hoc licet intelligere suauem Dei nostri prouidentiam in componendis suis electis, cùm aliqua inter eos dissensio esse videtur, ob diuersos, licet aliàs bonos, eorum fines: siquidem ex vna parte ancillam hanc suam consolatus est, exaudiens adeò ad nutum eius orationem, vt diximus, ex altera verò parte non fuit illa mora impedimento, quò minus Pater Balthassar iter suum prosequeretur ita oportunè, vt fœlicem exitum obtineret, vt inferiùs suo loco referemus.

CAPVT XIX.

PROBATIONIS ORDINEM, cum magna perfectione Metinæ constituit. eiusdem talenta ad Nouitios instruendos, eorumque sub ipso fer- uor.

ID IN quo Pater BALTHASSAR maximè eminuit, dum esset Metinæ, & propter quod notissimus erat, magníque fiebat in Societate, illud fuit, quod primus Probationis, & Tyrocinij rationē & ordinem in hac Castellæ prouincia cōstituerit,

postquam à Toletana fuit separata, ac designatis cum finem domo nostra Metinensi, ipsique Patri commissis duobus Officijs Rectoris scilicet, ac Tyronum Magistri : quò facilius posset, maiorique cum perfectione Nouitiatum ipsum constituere, quod fecit iuxta omnium vota ac desideria : eò quòd Deus noster rarum & insigne talentum ad id muneris ei communicasset. Et quoniam diuina eius Maiestas talem Magistrum præparauerat, voluit etiam multos discipulos illi tradere, huius disciplinæ valde capaces; quare magnum habuit numerum valde Electorum Nouitiorum, quosdam iuuenes nobiles, & raris ingenijs præditos; alios iam maturiores, & præclarorum ingeniorum; aliquos etiam selectæ Eruditionis, magnæque opinionis in sæculo: qui tamen omnes coram ipso erant quasi infantes cum magna animi demissione ipsum venerantes, & in eo spiritualis Magisterij celsitudinem agnoscentes. Nam, vt ipse Pater in Relatione sua superiùs posita fatetur, Deus ipsi intelligentiam dedit, vt cognosceret internam spiritûs facultatem, sibi & alijs: qua cognitione spiritum penetrabat, & virtutem, graduſque perfectionis eorum, quibuscum agebat: capacitatem item cuiusque ad proficiendum in statu, ad quem peruenerat; & quid illi deesset; & viam, qua Deus illum deducere volebat. Ex quo efficiebatur, vt vel ex vnico verbo comprehenderet, quidquid Tyrones dicere voluissent: vt videretur videre eorum corda; &, quidquid in eis ageretur, quasi legere.

MODVS autem & ratio generalis Nouitiorum ad per-

perfectionem exſtimulandi, hæc erat. Primùm dabat operam, vt valde illi ad ſanctum Orationis exercitium, & cum Deo familiaritatem valde afficerẽtur, vt qui experientia ipſa optimè noſſet, illam eſſe omnium bonorum ſpiritualium fontem. Quando primum ad Tyrocinium veniebant, exactiſſimè Conſtitutionem ſeruabat; vt per integrum menſem abſque interruptione in cubiculo vno manerent, facientes exercitia ſpiritualia; inſtruebatque illos in omnibus, quæ ad internam cum Deo Domino noſtro coniunctionem, & familiaritatem ſpectabant: quos verò prouectæ iam ætatis videbat, & incipientes guſtare cœleſtem hanc diſciplinam, permittebat ad ſexaginta, & ampliùs, dies ita collectos permanere, quò ſolidiùs cum Deo conſtringerentur; & ſæculi mores, ac odores omninò exuerent, aſſueſcerentque ſolitudini, & Orationis recollectioni; ac diſcerent etiam ſeorſim viuere, & cum bonis proprijs cogitationibus verſari; abijcientes memorias, & imagines ſæculares. Valde ipſi placebat, quòd Nouitij magna haberent orationis habendæ deſideria; & quando ad aliquid extra ordinariam facultatem ab ipſo peterent, id eſſet ad protrahendam diutius orationem, vt cor feruorem magnum conciperet, & Dei omniumque virtutum amore inflammaretur. Quamuis enim præcipuus orationis fructus non ſint bona deſideria; nihilominus ea ipſe magni faciebat, quaſi bonorum operum principia. Eos autem, qui talia gerebant deſideria, animabat, indicato quodam interno ſenſu, quam à Deo acceperat, qui erat huiuſmodi, ſi deſideriũ, « quod in nobis ſentimus, eſt à Deo: qui illud plan- «

tauit, viam etiam aperiet, vt germinet, & fœlicem dabit exitum; semen eius est, ipse augmentum dabit: quia eius opera sunt perfecta. Quare si aduertis, eum conferre iam & collocare lapides in ædificio, gaudeas; quia ipse reuerà perficiet. Quare non suadebat Tyronibus orationem, tanquam finem, in quo sisterent; sed tanquam præcipuum medium reformationis morum, & passionum mortificationis. Et hæc mortificatio secunda res erat, quam studebat illis persuadere; & in qua illos exercebat, præcipuè in materia contemptûs, vt benè in humilitate fundarentur. Eratque tantus nouitiorum feruor, vt contentione quadam occasiones quærerent manifestas, & occultas vt contemnerentur, & parui fierent, præ se ferentes interdum exiguum ingenium, discretionem, eruditionem; aut certè dissimulantes, & occultantes, quod habebant; manifestantes autem, quod illos poterat humiliare; tegentes quod honorem adferret. Statim atque defectum aliquem admittebant, publicè illum in Refectorio, aut Recreatione, ad quam omnes post prandium & cœnam conueniunt, aperiebãt. Petebant, reprehendi ab alijs publicè, & occultè; diciique sibi defectus in se ab alijs notatos; petebant facultatem, vt exirent ex domo ad aquam ex fonte, carnes ex macello domum portandas; & similes alias mortificationes, quibus sancti, vt maiori afficerentur pudore, vtebantur; vestes quærebant viliores, & laceras; in cibo, quod deterius erat: ad domesticos labores quisque studebat esse primus, nihil reijcientes quod ipsis offerretur; nec de graui onere con-

reconquerentes; ſenſus omnes ita frænatos gerebant, vt opus eſſet, iubere, vt oculos eleuarent, & ad aliquid attenderent; rigor, & ſeueritas in pœnitentijs, & aſperitatibus tanta erat, vt neceſſe eſſet, eos coercere, ne læderent ſanitatem. Denique nouitiatus ille videbatur mundus omninò inuerſus, in quo amabatur, & quærebatur, quidquid mundus contemnit; contemnebãtur verò, ac reijciebantur, honor, deliciæ, & reliqua, quæ ille magni facit, & quærit diligenter: interim eos monebat, declinare vias ſingulares: verum enim feruorem non conſiſtere in adinuentionibus nouis quærendis; ſed in vijs antiquis abſque imperfectionibus tenendis.

AD quæ omnia multum conferebant ſpirituales exhortationes, quas tertio quoque die Pater ad illos habebat, & conferentiæ, quæ in die intermedio habebantur de ijs, quæ in Exhortationibus eſſent propoſita; aut de alijs punctis, ad profectum in virtutibus pertinentibus. Tanto autem ſpiritu, & vi ad Tyrones loquebatur, vt pro libitu ſuo eorum corda commutaret; & ad id impelleret, quod expedire iudicabat, iuxta præſentem occaſionem. Ex aliquibus enim recedebant timidi & quaſi demiſſo capite incedentes, ac triſtes, nec ſibi mutuò loquentes; ex alijs exibant fidentes, læti valdeque excitati: ſemper tamen ita diſpoſiti, vt ſtatuerent facere, quæ ipſis dicebantur: adeò ipſe omnes difficultates, quæ occurrere poſſent complanabat; & rationum ſuarum vi eos impellebat, vt alacriter irruimperent, eaſque calcarent.

In eisdem etiam exhortationibus seriò attendebat, vt illi discerent quæ necessaria essent, ad cognoscendas sui Statûs, & Instituti obligationes, & iuxta illud interiora, & exteriora sua reformarent, de quibus in proprio capite paulò inferiùs agetur. Nec minorem vim, & fructum verba eius habebant, dum priuatim cum Nouitijs agere: cum singulis semel in hebdomada agendo, die, & hora illis præscripta, qua accederent, vt conscientiæ rationem ab eis acciperet; ac vniuersalem exhortationum doctrinam iuxta cuiusq; necessitatem accommodaret: & in his priuatis exhortationibus dicebat, præcipuum Magistri Nouitiorum munus consistere: consolando scilicet afflictos, excitando, & exstimulando eos, qui animo deficerent; egentibus ac tentatis remedium adhibendo, omnes denique ad suum profectum animando. & in his omnibus singularem habebat in agendo gratiam. Et quando ipsi Tyrones ad suas tentationes aperiendas ipsum accedebant: aliquando, antequam ipse aliquod verbum responderet, tentationes euanescebant, ita Deo disponente, vt maiorem de suo Magistro opinionem haberent, vt hac ratione remuneraret (quod Cassianus de Monachis in deserto existentibus refert) fidelitatem, & claritatem, qua suis maioribus sese aperirent. Aliquando vel vnico verbo prolato, eos sanitati restituebat: dum enim ipsi loquerentur, ipse vacabat orationi, aspiciens Crucifixũ, quem ante se habebat: & ipse Dominus lumen ei dabat, vt videret quid esset respondendum: suoque responso admirandas in eis faciebat mutationes. Accidit illi casus cum quodã Nouitio, qui in sæculo multis negotijs fuerat impli-

Collat. 2. c. 31.

implicatus, & commoda oblata sibi matrimonia reliquerat. Hic, cùm semel valde affligeretur molesta quadam carnis tentatione, recurrit, ad suum Magistrum vt illam ei aperiret; dixitque se cupere ad sæculum redire, in quo absque pugna adeò importuna, vxorem ducens posset etiam Deo seruire. Audiuit Pater vultu valde composito ac sereno; & caput vertens submissa voce ei dixit: Religiosus & Vxoratus, bonum ne tibi videtur? apage. Nouitius ex eius conspectu discessit; & tota tentatio ita euanuit, vt nunquam rediret.

EODEM spectat, quod referam euenisse mihi, cùm primùm loquerer cum eodem Patre in tertia Probatione: nam aperiens illi imperfectiones meas quæ multæ erant, in magno silentio me audiuit, oculis pro more in Crucifixũ defixis. Cumque omnia retulissem, quæ habebam: hæc tantum verba respondit; id est habere virtutem infantilẽ, & adhuc non adultam; necesse est eam nutrire, & roborare. & statim conticuit. Et ego recessi hinc confusus & humiliatus, videns apertè, verum esse quod mihi dicebat; inde verò cum firmo animi decreto exuẽdi infantiã illam in virtute, & mortificandi, quod me à profectu retardabat: admirans etiam, quod tam aptè cor meum penetrasset, & quàm paucis verbis remedium applicuisset; quia iudicauit, me humiliationibus potius indigere, quàm prolixis rationibus.

ETIAM est mihi certum, Deum D.N. interdum ei reuelasse (vt superius in alijs occasionibus vidimus) cordium Nouitiorum eius secreta: & hoc lumine vtebatur ad respondendum eis; aut non respondendum ad eos mortificandos et-

iam habebat in more, ita eos probare, iubens, eos exſpectare; & poſtea, nec verbo dicto, dimittere, cùm nouerat, eos talentum habere ad huiuſmodi mortificationes vtiliter ferendas. Pater Aegidius de Mata, cuius ſuperius facta eſt mentio, referebat in hanc rem duo valde notanda: alterum, quod cùm Metinam profectus eſſet, vt ſecundum Probationis annum ſub talis Magiſtri diſciplina, & exemplo ageret: & ille ad reddendam conſcientiæ rationem diem & horam certam ſicut alijs nouitijs aſſignaſſet, ipſeque præſcripta hora per ſeptuaginta dies, quibus ibi fuit, ſemper accederet: nunquam tamen aliquod verbum ab ipſo habuiſſe, aut vocatum fuiſſe, quamuis aduerteret, ipſum exſpectare; & propterea ſolùm Metinam veniſſet, vt de rebus ſuis cum ipſo ageret. Septuageſimo igitur die, reuocante ipſum Patre Prouinciali, valedicens pro reditu P. Balthaſſari, cōquerebatur, quod in tanto tēpore non dediſſet illi vnam horam audientiæ, qui tot alijs dediſſet. cui P. Balthaſſar reſpondit, cauſam, cur nō dediſſet, fuiſſe, quòd ſciret, ipſum nō habere tentationes ſibi moleſtas; alios verò, quos admiſiſſet, illas habuiſſe. Quo reſponſo admiratus fuit P. Aegidius, quòd ipſe nouiſſet, quid in eius corde ageretur: cùm tamen neq; illi, neq; alijs aliquid ipſe aperuiſſet: & his diſceſſit cōtentus, & ad maiorē perfectionē anhelans. Alterum referebat idē P. Aegidius, quòd Vallis-Oleti acceſſerit eundem P. Balthaſſarem, vt ſua deſideria in Iaponiam eundi, ad operam ſuam in Conuerſione gentium illarū ponēdā, aperiret: & cùm per duas horas expectaſſet, Paterq; ipſum vidiſſet; noluiſſe tamē cū

ipſo

ipso loqui, vt eius patientiam, & humilitatē exerceret: redijt igitur vesperi, & iterum fecit eum per duas horas exspectare: & tandē cùm eius desideria audijsset, dixit ei: ne sis solicitus: si enim Dei voluntas fuerit, vt te in Iaponiā conferas, ex Vrbe veniet à P. nostro Generali ordinatio, vt id facias: & ita re ipsa euenit, sicut P. Balthassar dixerat: nā post aliquot annos ad eam missionem est missus: & tūc recordatus est boni sui Magistri Prophetię.

ALIQVANDO etiā, cū Nouitij suas tētationes ac desolationes ipsi aperirēt, nihil tūc ad eas verbo respōdebat; sed iubebat; rem Deo commēdari, & se idem facturū recipiebat. In prima deinde exhortatione, etiamsi in genere pro omnibus loqueretur, ita ad cuiusq; cor loquebatur, vt omnes reciperēt sanitatē; & remedia necessitatū, quas ipsi cōmunicauerāt. Quando autē in eas angustias res redigebatur, vt neq; verba huiusmodi proficerent, solebat Orationum suarū efficacitate remedium adferre, vt ex exemplis capite 16. positis constat.

DENIQVE multò amplius illos excitabat exēplo Sanctę suæ vitæ: erat enim primus in omnibus rebus ad perfectionem spectantibus: nihil.n. dicebat in suis maximè exhortationibus, q̄ non in ipso viderēt ad viuū practicari: quare totus Nouitiatus adeò erat rectè ordinatus, ac feruens, vt in tota Prouincia magnam haberet famam & opinionē: & multi Patres graues Metinam veniebant, vt se ibi colligerent, & in spiritu liuuarentur: non solùm directione & exhortationibus insignis adeò Magistri; sed etiam, vt feruenti Tyronum illorum exemplo gauderent. Et magnus ille Concionator Pater Baptista Santius, cuius suprà meminimus,

in Col-

in Collegio Salmaticensi manens, & memoro-
rum, quæ in hoc Tyrocinio fiebant, dicere solebat: ô si quis haberet vocem quasi tubæ alicuius quæ in tota Societate audiretur; ac diceret, Metina, Metina, Metina. quod erat dicere, vtinam omnes videre possent, frui, & in suum vsum conuertere, quæ Metinæ geruntur. Cuius feruoris fama cùm Romam peruenisset P. noster Generalis (qui tunc erat Sanctus ille Franciscus Borgius) cupiebat (vt postea videbimus) illum Romæ habere Magistrum Nouitiorum: Quod cùm non succederet, dedit operam vt P. Balthassar vtriusque Tyrocinij, quod postea hæc Prouincia habuit Metinæ, & Villa-Gartiæ, curam susciperet, ita vt sex menses in vno loco, & sex in alio maneret, vt suis exhortationibus feruorem in omnibus Tyronibus magis promoueret; quamuis ob temporum & rerum aliarum mutationem neque hoc potuit habere locum.

SED ne exaggerationi tribuatur, quod de Tyronum feruore diximus, illud ijs confirmabo, quæ ego ipse sum expertus, cùm fui Societatem ingressus paucis mẽsibus, post discessum P. Balthassaris ex Tyrocinio Metinensi, vt esset Salmanticæ Rector. Nam, viso feruore illius Nouitiatus, qui adhuc erat in ea perfectione, in qua vir sanctus eo anno illum reliquerat, conquieuit horrenda quædam interior tempestas, quam sum passus, postquam decreui ingredi Societatem toto tempore sex mensium, quo distuli desiderij mei executionem. impellebat enim me magna quædam propensio, & affectus, quem ad aliam Religionem habueram: quam antea semper, & nunc etiam

etiam magni facio. Sed quoniam diuina vocatio rationibus, & efficacibus impulsibus me ad Societatem impellebat, tot cogitationum sibi aduersantium fluctibus oppugnabar, & affligebar; & cor meum ita torquebatur, vt cogerer ad campos exire, vt respirarem, & ibi clamarem, ne creparem: persuadens mihi, vtramuis duarum harum Religionum eligerem, fore mihi æqualem per totam vitam cruciatum: nam in vnam ingressus, cruciassent me cogitationes quasi eam eligendo erassem; & meliùs fuisse, si aliam elegissem. Sed quoniam tempore orationis & quietis, & cum in Dei conspectu me collocabam, semper hæc cogitatio mihi occurrebat: eius voluntatis esse, vt Societatem ingrederer; tandem ingressus sum non sine magna difficultate ac repugnantia. Sed veniens ad hoc Metinense Tyrocinium, intra paucos dies videns quàm serio Tyrones illi mundum calcabant, seque ipsos contemnebant, & mortificabant; quantoque studio Christum D.N. sequebantur, consilia eius Euãgelica tanto feruore amplectentes: adeò contentus, & quietus mansi Electione illa, quam feceram; vt per Dei misericordiam, neq; in ipso Nouiriatu, nec extra illum amplius motum vllum tristitiæ, aut pœnitudinis senserim: imò nescio, quo spiritu talis mihi insedit imaginatio, quod si vel octo annos vitæ haberem, & eodem modo viuerem sufficeret, vt magnus Sanctus euaderem. Et reuera ita est, quod si fraudum huius sæculi retectio, & spiritus feruor, quẽ Deus multis ex nostris Tyronibus communicat, in eis perduraret, & eodem passu pergerer, nec studia aliaque ministeria eos retardarent, aut retroce-

trocedere cogerent: euaderēt non vtcunq; Sanc
sed valde in sanctitate excellentes. Hæc dixi,
tanquam testis oculatus confirmarem feruore
qui tunc in illo Nouitiatu vigebat.

CAPVT XX.

ALIQVI VALDE INSIGNES ac feruentes Metinæ Tyrones. Et recensentur quædam notatu dignissima fratrum Francisci Godoij, & Antonij Padillij.

VO tempore P. Balthassar Rector & Magister Nouitiorum erat Metinæ, erat etiā Salmanticæ P. Martinus Gucierrius Rector & concionator (cuius postea faciemus mentionem) cui etiam Deus D.N. altissimū dedit Orationis donum, cum magna vi & efficacitate verborum: ita vt rationibus, quas adferebat, conuinceret, ac ligaret intellectus audientium, quod ego ipse adhuc sæcularis, & studiosus Theologiæ Vallis Oleti animaduerti. Ingressus enim die quodam domū nostram professam, vt concionem audirē, nesciēs quis eam esset habiturus: fuit autem prędictus Pater: & paulò post, quàm audire inciperem, nesciens quis esset, aut qui vocaretur, adeò obstupui spiritum illum, & efficacitatē, quā loquebatur, vt intra me ipsum dixerim, & nescio an etiam ore protulerim ductus interno sensu, quod in corde

in corde habebam: hic concionator non est sicut cæteri, sed res quædam superior. Et quamuis multos alios insignes concionatores omnium Religionũ, qui in ea ciuitate tunc florebãt, audiuissem: oẽs tamen mihi visi sunt, valde inferiores respectu eius, quẽ audiebã. hanc etiã opinionẽ Salmãticæ habebãt cõmuniter viri graues: nam ad eius conciones plurimi Doctores, & Collegiales omniũ Collegiorũ, imò aliqui etiã in forma, & ordine Collegiali cõfluebãt. efficacitate autẽ suarũ rationũ multos studiosos, insignib. prẽditos dotib. impulit ad renunciãdum mundo, & statum Religiosum amplectendum: quorũ nõ pauci Societatẽ sunt ingressi. Sed cùm die quodã tristis esset, ac desolatus, quòd Collegiales maiorũ Collegiorũ ad id nõ permouerẽtur, audiuit vocẽ sibi dicẽtẽ, bono vt esset animo; breui enim sex ingressuros: quod ita euenit. nã intra breue tẽpus sex fuerũt ingressi, ex maioribus Collegijs bini ex singulis; & præter hos alij etiam, in ipsa Vniuersitate valde eminentes, ingressi sunt. Qui omnes Metinam iuerunt, vt P. Balthassaris doctrina, & spiritu fruerentur: per quem magna à Deo dona acceperunt. Inter quos valde excelluerunt Ioannes Orthunus, & Franciscus Cordubensis, & Pater Doctor Franciscus Ribera, qui fuerat vnus sex Collegialium maiorum, quos diximus. Sed quoniam maximè Salmanticæ eorum vita resplẽduit, cùm essent eiusdem Patris Balthassaris subditi, de eis agemus inferiùs in capite trigẽsimo: nunc autem de alijs duobus tantùm, æquè insignibus, atque illi fuerunt, dicamus.

§. I.

§. I.

Frater Franciscus Godoius.

PRIMVM locum demus insigni Martyri Francisco Peretio Godoio oriundo ex Tirrigin Oppido Archiepiscopatus Toletani. Hic cùm Salmanticæ studeret; recepit se ad nostrum Collegium Exercitiorum spiritualium causa: in quibus tetigit cor eius Deus, vt mundo renuntiaret, & Societatem ingrederetur: habebat tamen non paucas difficultates ne tantæ Vocationi consentiret; & inter alias hanc, quæ etsi in se reuera esset leuis, magnam tamen ipse reputabat, abscindenda scilicet esse mustacia; quæ habebat valde longa; de quibus inaniter se iactabat, quasi signum elegantiæ, & roboris sui. Sed præualuit inspiratio Dei, qua impellente arripuit forfices, & illas proprijs manibus abscidit: sic enim videbatur sibi iam inhabilis, & ineptus, vt posset in domum suam redire. Tantoque feruore admitti petijt in Societatem, vt statim admissum miserint Metinam ad Tyrocinium, vbi eodem semper feruore progressus est, fouente, & calcar ad id addente feruentissimo suo Magistro.

CONTENDEBAT omnes suas actiones maxima, qua posset exactione, ac perfectione peragere: Et cùm ibat ad culinam, ita sartagines, tripodes, ollasque ferreas tergebat ac defricabat, vt mundissimas & splendentes relinqueret, etiam magno adhibito labore. Et cuidam fratri dicenti, cur tantum laborem in rebus illis, ita ex-

tergen-

tergēdis poneret, quæ mox essent iterum inficiendæ, respondit, se quotidie vesperi offerre sacratissimæ Virgini omnia opera, quæ illo die fecisset; pudere autem se, rem aliquam illi offerre malè tersam, & non satis mundam: ideoque opus non rectè peractum. Ex quo apparet, quantam etiam deuotionem erga Virginem sacratissimam gereret, quantumque fructum talis deuotio in ipso proferret. Nullam se mortificandi occasionem, in quibus poterat, prætermittebat. Et cùm pro alijs res valde mūdas optaret, sibi tamen ipsi in Refectorio, & præcipuè si pœnitentiā aliquam faceret, sumendo scilicet sub mensa cibum, aut genibus flexis, aut stādo pro more Societatis, loco strophioli, quod cōmuniter alij habēt, accipiebat ipse exculina sordidissimū, quem poterat habere pannū, quo & manus, & ipsum os abstergebat, vt horrorem vinceret, quem sentiebat in ea re. Cùm semel peregrinaretur cum fratre Ioāne. Sà (qui postea fuit præstans Euangelicus Operarius: hic socius aduertit maxillam Francisci Peretij inflammatam, & sanguine conspersam; eò quòd crabro quidā morderet, & sanguinem extraheret: & nisi socius eum abegisset, tulisset diutius Franciscus importunū crabronē: bonus enim frater modica illa tolerantia exercebat se, vt totum postea sanguinem, vitamque pro suo Creatore effunderet: quod postea effecit. Hunc eius feruorem inflammabant adhuc magis exhortationes P. Balthassaris: in quibus ille singulari quadam vi præclaras quasdam sentētias proferebat, valde apud se perpensas ac benè ruminatas: quæ tanquam columnæ erant ædificij spiritualis animæ suæ; quas cùm

tanto ſpiritu diceret, penetrabant, & infigebantur in cordibus Nouitiorum: ita vt per totam vitam, earum eſſent memores, & in occurrentibus neceſſitatibus ex vſu illis eſſent. Illarum ſententiarum hæc erat vna: *nemo degeneret à præexcelſis cogitationibus filiorum* DEI. Qua eos exſtimulabat, ad perſeuerandum in ſua vocatione; & re ipſa explenda generoſa animi propoſita, quæ Deus illis communicaſſet. Adeò hæc ſententia Franciſco Godoio altè fuit impreſſa, vt vſum eius habuerit in maxima & glorioſiſſima preſſura; quæ potuit ei in hac vita occurrere; nam exiſtens adhuc in Tyrocinio, ingenuè ſe obtulit, vt iret in Braſiliam cum alijs quadraginta hominibus Societatis, quos Pater Ignatius Azeuedius, omnium eorum Prouincialis ac Superior ſecum deducebat.

Et vt varia Diuinæ prouidentiæ conſilia in his vocationibus & ad huiuſmodi cœpta appareant, referam huius occaſionem. Habebat P. Balthaſſar prope ſe ad latus tamen Franciſcũ Godoium, cui neſcio quid dabat vt acciperet; ad quod accipiendum cùm ille manum non tam citò extenderet, quia quid eſſet, non videbat, donec totam faciem verteret, vt videret: ex quo collegit Pater Balthaſſar defectum omnino in oculo illius lateris: (eſt autem veriſſimile fuiſſe oculum ſiniſtrum, propter id; quod mox fuit ſecutum) interroganti autem Patri, an res ita haberet, faſſus eſt, ita eſſe, & quòd illum defectum, in examine quando ingreſſus eſt Societatem cælaſſet, veritus ne pro-

propter eum reijceretur. Valde hoc sensit bonus Pater, certò sibi persuadens, quòd Superiores essent illum, cùm adhuc Nouitius esset, dimissuri: eò quòd defectus esset magnus, & nominatim in futuris Sacerdotibus, in quibus sinister oculus (qui Canonis appellatur) esset necessarius. Et Pater quidem hoc significauit ipsi Francisco, sed simul addens, quòd si vellet in Societate remanere, illud esset aptum & vnicum medium, si se offerret ad profectionem Brasiliensem cum illis quadraginta, ad eam destinatis; modò ipse tantum virium & animi in se sentiret: nam si ita esset, recipiebat in se, id à Patre Ignatio Azeuedio impetraturum. Cui Franciscus promptissimè respondit, se libentissimè ad gloriosum adeò cœptum profecturum. Pater igitur Balthassar retulit P. Azeuedio magnam fratris illius virtutem, licet naturalem illum defectum haberet; & addidit: (quamuis planè casu) illum esse valde peritum pulsandi citharam, quod fortè posset ex vsu esse ad moderandam sylueſtrium illorum Indorum feritatem. Placuit hæc informatio P. Azeuedio: atque ita secum illum accepit: Quare defectus ille naturalis conuersus est in spiritualem eius fœlicitatem. Placuit enim D. nostro quod in ipsa nauigatione omnes quadraginta inciderent in manus Gallorum Hæreticorum; qui impotenti, ac diabolica furia, omnes Martyrio affecerunt, varijs mortis generibus, in odium Catholicæ Romanæ fidei, ad quam gentibus illis prædicandam properabant, quemadmodum fusè refert Petrus Ribadinerius in vita Patris Francisci Borgij, *Lib. 2. c. 10.*

tertij Societatis Generalis, qui illos mittebat. Cùm igitur crudeles illi Carnifices, mactandis illis insisterent, feruens Franciscus Godoius socios suos animabat sententia illa, quam à suo Magistro audiuerat, dicens elata voce: eia fratres: ne degeneremus à præcellsis cogitationibus filiorum Dei: quibus verbis tantum animi robur illis addebat, vt simul omnes ad mortem subeundam seuiriliter offerrent, propugnantes tanquam fideles filij honorem sui cælestis Patris; summũ ei, quem poterant, honorem tribuentes, cum quadraginta illis holocaustis, quæ de se ipsis obtulerũt in odorem suauitatis: quorũ etiam fuit particeps P. ipse Balthassar ob illam ignis diuini amoris scintillam, quam in vnum eorum iniecit.

§. II.

Pater Antonius Padillius.

ALTER Nouitius, cum quo mihi singularis fuit consuetudo & amicitia, fuit P. Antonius Padillius, filius D. Ioannis Padillij (qui nisi morte fuisset præuentus, esse debuit Præses Castilliæ,) & D. Mariæ Acunniæ Comitissæ Buendij quorum vterque fuit sanguinis illustrissimi, nostræque Societati addictissimi: præcipue ipsa Comitissa, quę in omni virtute excelluit. Voluit Deus illorũ pietatem in hac vita remunerare dans eis filium vnum, & duas filias: omnes adeò ad omnem virtutẽ propensos, & ab infinita eius misericordia cum benedictionis dulcedinibus prævetos, vt vix ex eis esset, qui succedere vellet in Ius

Pri-

Primogenituræ; sed omnes se reciperent ad Sacrũ Religionis portum: & altera duarum filiarum, D. Aloysia Padillia, quæ mansit in sæculo; vt esset matri Comes, edito voto perpetuæ castitatis, coacta fuit petere dispẽsationem in illo voto, ob iustas, quæ interuenerũt, causas; vt nubere posset, ad familiæ successionem continuandam. Quæ tamen semper in desiderio, & vita fuit religiosa: & cùm, viro mortuo, vidua mansisset; rebus suis benè cõpositis facta est Monialis Carmelitana Discalceata: nec ita diu est, quod mortua sit, cùm esset Priorissa Monasterij Lermensis. Et nisi historiæ præsentis terminos egrederer, maxima quæque dicere possem de parentibus, & filijs. Sed vt ad institutum nostrum veniamus, filius vnicus D. Antonius Padillius, qui proximè in Castilliæ præfecturũ post mortem parentis successisset: eius mortis benè memor; & attendens, quàm parum sit vitæ adeò breui atque incertæ fidendum: si quidem nihil certi habere poterat, quòd sua prolixior esset futura, quàm sui genitoris fuisset: ex Dei inspiratione, ac impulsu statuit, sæculo abrenunciare, & fieri Religiosus. Inclinauit autẽ potius ad Societatẽ, conscius feruoris & spiritus, quem in illa vigere deprehendebat. Hoc eius animi decretum peruenit ad aures D. Petri Manrici, Patrui sui, Canonici Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, qui ad ipsum literas dedit, ponẽs ante oculos paternam domum, cuius erat hæres; certamque spem promotionis in sæculo; & alia huius generis: quorum filij huius sæculi magnam ducunt rationem, & qui suos cognatos amore carnis, & sanguinis prosequuntur. Addebatque in litteris; nisi Antonius vellet,

ipsum existimare, has cogitationes esse puerile, mitteret ad ipsum rationes, quibus ad talem mo-tationem induceretur. Ad quem Antonius mi octo folia chartæ propria manu scripta, in qu-bus graues apposuit rationes, quibus ad sæcu renunciandum, & Societatem ingrediendi inducebatur. Tales autem fuerunt rationes, vt Doctor Velazquius, Magistralis in eade Ecclesia Toletana Canonicus, (qui postea fu Archiepiscopus compostellanus) cui Patruus literas Nepotis ostenderat, vt ipsum de reto consuleret: is, inquam, lectis literis, respond se non posse sibi persuadere, eas rationes esse Nepotis eius, qui adeò esset iuuenis; sed aliqu Religiosum Societatis, aut alterius Institu aut virum aliquem rerum peritum eas dicta se: quod si tamen Nepotis essent, iudicabat, negocium esse Dei: ac propterea non posse ab ipso Patruo talem vocationem impediri. Quare Patruus ad Nepotem scripsit, dicens; facil conijci, rationes illas non ipsius esse; sed alteri cuiuspiam, qui eas ipsi dictasset. His literis acceptis D. Antonius contulit se ad Collegium Sancti Gregorij, quod est ordinis S. Dominici; & Sacræ Theologiæ Professoribus quæsiuit: an licere in casu aliquo iuramentum adhibere? Responderunt illi: si debitæ circumstantiæ seruentur, non solùm licere, sed etiam esse meritorium. Quod responsum ipso petente Theolog illi proprijs manibus subscriptum ei dederunt ipse verò præmissa Confessione, & sacra Communione, hanc sententiam in eadem charta scripsit: cùm nunc nunc confessus communicauerim,

Dic

Dico coram Deo: & per ipsum Dominum, quem suscepi quòd nullo mihi rationes dictauerit, quas ad V. Dominationem misi; sed meas illas esse: Idq; propria manu subscripsit, chartamq; illam alijs suis litteris inclusam, in quibus inclusæ chartæ mentionem, & rationem reddebat, ad Patruum misit. Is, acceptas litteras & chartam Canonico illi Velazquio ostendit, qui dixit: meritò esse tali scripto fidem adhibendam, ac propterea non esse D. Antonium à sua deliberatione impediendum. Patruus tamẽ, vt magis sibi satisfaceret, voluit illum venire Toletum, vt præsens cum illo ageret: D. Antonius Toletum veniens per dies aliquot in Patrui domo mansit, vt eius vocatio magis examinaretur, & probaretur. Quam satis perspectam habens Patruus, adeò approbauit, vt cum ipsemet D. Petrus Manriquius sæpius habuisset à Deo inspirationes, vt Societatem ingrederetur; hæreretque valde dubius, nec se resolueret: videns Nepotis resolutionem, & constantiam, ipse quoq; resoluit se, vt non amplius Dei Vocationi resisteret; pudore affectus, quòd iuuenis, in quo tot erãt qualitates, & circumstantiæ ad manendum in sæculo, plus haberet animi, & fortitudinis ad renũciandum illi, quàm ipse iam senex: & ita re ipsa præstitit, & ingressus est Societatem, quod factum computari potest, inter præclara P. Antonij facinora, qui ex tunc inciperet, exemplo suo, & rationum suarum efficacitate animas ad Deum conuertere. Approbante igitur Patruo, accessit D. Antonius ad Patrem Emmanuelem Lopetium Prouinciæ illius Præpositum Prouincialem, Toleti tunc in domo nostra manentem,

à quo petijt admitti in Societatem. Quod cùm ille differret, amplexus D. Antonius columnam prope domus portam, dixit: se inde non exiturum. Tunc Prouincialis dixit: si vis admitti, ad Castellanam Prouinciam te mittam: quia scilicet ita expediebat. Inierunt ergo consilium, vt moneretur P. Noster Generalis Franciscus Borgius (qui tunc erat in Aula Regis, cum Pij V. Pontificis Maximi Legato) qui litteras dedit ad Patrem Hieronymum Ribaldiũ domus nostræ Vallis-Oletanæ Præpositum, vt illum ibi reciperet: & sic D. Antonius venit Vallis-Oletum, expramissa renunciatione Iuris, quod ad suos Status, & temporalia bona habebat; & reliquis omnibus præstitis, quæ necessaria erant, vt admitteretur, flexis genibus coram omnibus suæ familiæ dixit Domino Nostro: gratias tibi Domine ago, quod liberior iam sim ad tibi seruiendum. Mater igitur, & Auia D. Aloysya Padillia adhuc superstes (& quæ totius ditionis erat Domina) eum duxerunt ad domum nostram professam, vbi cum magna solennitate, ædificatione, & consolatione omnium fuit receptus, Anno 1572. cùm esset annorum octodecim. Inde missus fuit Medinam ad Tyrocinium, vbi Pater Balthassar Aluarez hanc curam suscepit, vt strenuè illum solideque cælaret, tùm ob hominis qualitatem, & quod post biennium editurus esset solennem Professionem; tùm, quod in eo inueniret solidam dispositionem, & capacitatem ad progressum in virtute, quem promittebat feruens adeò eius vocatio. Mortificabat ergo illum ad viuum circa honorem, ac delicias: duo scilicet capita, quæ Equites

juuenes magni faciunt, & solent illis tenaciùs adhærere: faciebat, vt comederet non solùm cibos communitatis ordinarios, sed illos etiam, à quibus naturalem aliquam habebat auersionem. Et cùm intelligebat eum cibo aliquo delectari, iubebat aliquando ministrum; vt, cùm inciperet illum sumere, ex mensa auferret: curabat, vt iret interdum ad portam, ibique cum mendicis cibum sumeret; vestibus vteretur vilissimis & abiectissimis totius domus; & reliquas publicas mortificationes præstaret, sicut alij nouitij. Ad quæ omnia valde proptum se exhibebat Antonius Padillius, cupiens non cedere alijs; sed potiùs omnes præcedere, & excellere: & quò maior in sæculo fuerat, eò se magis in Religione abijciebat. Cumque cæteri Tyrones in more haberent, vt ad se mortificandos breuiori ac detrita veste induti, comitarentur diebus Sabbathi emptorem ad macellum, quasi famuli essent domestici, & posita Culinaria aliqua tela super humeros portarent carnes, & in manibus etiam exta. Quod idem Antonius præstabat, mundum conculcans, ac de inanibus eius pompis in huiusmodi probationibus & exercitationibus triumphans. Quem cùm ego Vallis-Oleti vidissem adeò elegantem, & Equo insidentem, plurimis famulis stipatum, inter alios Equites, valde admirans laudaui Deum, cùm audirem, ipsum cum ingenti animi sui voluptate ire per plateas Metinenses huiusmodi carnibus oneratum. Videtur Deus D. N. Spiritum humilitatis ad agendum cum domesticis ei infudisse. Nam cùm P. Balthassar exaggerare soleret æqualitatem, quæ esset in Societate, inter homines aliàs adeò inæ-

quales in nobilitate, Eruditione, & alijs dotibus Antonius ita se omnibus in agendo accommodabat quasi eorum esset minimus. Nec id fecit solùm cùm esset Nouitius; sed eandem rationem tenuit cùm studeret, cùm esset concionator, cùm Rector ac denique per totam vitam.

ORNAVIT illũ Deus magno & acuto ingenio adeoq; in litteris excelluit, vt per multos annos sacram Theologiam cum magna opinione profiteretur in hoc S. Ambrosij Collegio, in quo hæc scribo. Fuit etiam insignis concionator, nec minus in hoc munere, quã Lectoris excellens: & semper nihilominus adeò humilis, & nullius dignitatis studiosus, vt non minus exẽplo suo, quã verbis & sententijs concionaretur. Et audiui, quod cùm die quadam coram Rege Philippo secundo in Capella eius Regia concionem habuisset: dixerit Rex aliquibus magnatibus: sufficiens concio est, quod hunc Patrem videamus in suggestu. Et cùm ego Rector essem Collegij, vehementer ædificabar, & admirabar eius humilitatem, & subiectionem, quam in omnibus præ se ferebat.

COMMVNICATVS illi est P. Balthassaris spiritus, & magnum Orationis & Recollectionis desiderium; ideoque interdum spiritualia exercitia faciebat, cuius causa singulis ferè annis conferebat se ad Collegium Villa-Gartiense, in quo est Societatis Tyrocinium, ibique per octo, & quindecim dies manens, intererat exhortationibus, alijsque deuotionis Exercitijs, atque si Tyro aliquis esset. Id autem faciebat sæpè in festis Natalitiis, Septimana sancta, & in Paschate Resurrectionis: quibus diebus à lectionibus vacatur; & ut

mini-

minimum in generalibus ſtudiorum remiſſionibus; aut poſt longam aliquam peregrinationem, vt hac recollectione feruorem Spiritûs repararet, qui ſolet ſtudijs, & varijs negotijs relaxari. Fuit etiam huius Collegij S. Ambroſij, & Salmaticenſis Rector: quod officium cum tanta integritate, & Religioſæ Obſeruantiæ Zelo præſtitit, vt ſeueritatis notaretur; ac diceretur à multis, quòd ſubditos nimium premeret. Et quoniam ſubditorum filiorum Adam mos eſt, cùm Reges, aut Principes; cùm Iudices, aut Prælati, & Gubernatores eos premunt, id paſſioni, nimiæ ſeueritati, aut non rectè gubernantium intentioni tribuere, non verò Zelo boni eorum, qui ipſorum curæ ſunt commiſſi: voluit P. Antonius in vltima ſua ægritudine, ex qua obijt in hoc Collegio, in hac re ſatisfactionem dare. Nam cùm Viaticum acciparet; & ſtudioſi ac Patres ſanctiſſimum Sacramentum comitaremur, in omnium præſentia proteſtatus eſt coram Dño, quẽ tunc erat ſuſcepturus: quod in toto ſuo regimine nihil feciſſet quod nõ intelligeret eſſe ad maiorẽ Dei gloriã. Ex qua eius atteſtatione adhuc magis ego certũ habui, ꝙ aliàs certò mihi perſuadebã. Et nihilominus mortẽ timebat ꝓpter rationẽ Deo ipſi reddendã: & cũ hoc timore ei dicebat: ſi tu Dñe adeò eſſes erga me parcus, & tenax, atq; ego erga te fui: magna eſſet mea miſeria! cùm Pater quidã adeò timidũ eũ videret interrogauit, an cõſcientiæ remorſum ſentiret ob aliꝙ lethale peccatum in 40. annis, quibus fuiſſet in Societate. Cui ille reſpondit, Ieſu, quantum monſtrum hoc eſſet! Religioſum, & peccatum lethale? non eſt cur ea de re agatur. AEgrotantem illum viſitans

D. Ia-

D. Iacobus Sarmientus Accunnius, (qui nunc est Regis Catholici Legatus in Anglia) & interrogans causam tristitiæ, ac mœroris, quam præferebat: respondit, se valde solicitum esse de sua salute: cui D. Iacobus dixit: & id vestra Reuerentia timet? Respondit Pater Antonius, quid ergo timerem? si hoc non timeam. Sed placuit Domino D. N. timorem hunc ab eo remouere, & spem quidam certissimam suæ saluationis ei dare. Nam accepto Viatico, voluit solus remeare: & quamuis ex infirmitate adeò esset debilitatus, vt neque ipso lecto mouere se posset: erecto tamen medio corpore, & à puluinaribus remoto, mansit in oratione, quasi duabus horis corã Crucifixo valde deuoto, qui ibi erat; cum quo tanta cordis certitudine & affectu loquebatur, vt stuporem adferret cuidam Patri, per ianuæ rimas eum obseruanti. Oratione absoluta circa septimam horam matutinam Confessario suo dixit: hac nocte anima mea perueniet ad cœlum, vt Matutinas ibi cãtem. & cùm Confessarius diceret, medicos non existimare tam breuem fore terminum: ipse idem repetijt; & cùm quasi intra se ipsum loqueretur, hæc verba audiebantur: quid est Domine, quòd timeam: cùm mihi dixeris, quod me intra cor tuum habeas? si igitur intra cor tuum me habes, eamus quocunque volueris: nihil enim est mihi timendum. In crepusculo vespertino petijt extremam Vnctionem, & voluit totum Collegium adesse: & cùm non posset vocem extollere, submissè dixit Patri, curam eius gerenti, vt suo nomine veniam ab omnibus peteret de multis defectibus, quibus in vitæ suæ decursu, & illius ægritudinis eos scandali-

dalizasset. Et cùm Pater ille ab eo peteret, vt eius esset in cœlo memor: ille adeò iam de sua salute erat securus, vt dixerit: faciam, quia ibi non sunt ingrati. Et tunc cœpit submissa voce, & paulatim dicere: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* His & alijs similibus verbis dictis, animam suam Deo tradidit decima hora noctis eiusdem diei, quo dixit, se in cœlum iturum ad Matutinas decãtandas, magnã nobis spem relinquens, quod in reliqua parte noctis Stolam suam esset abluturus, vt posset cum omni puritate illas decantare, & recipere Palmam & coronam gloriæ, quam erat promeritus propter tam multa, quæ in sæculo reliquit, vt Christum sequeretur; & plurimum quod in Religione fecit, & laborauit, vt illi placeret.

CAPVT XXI.

QVA RATIONE SE AD EXhortationes præpararet, daret q̃ in eisdem operam, vt Tyrones magnam acciperent Instituti sui notitiam, æstimationem, & amorem.

QVAMVIS dixerimus de efficacitate exhortationum P. Balthassaris ad Nouitios, non erit absre, modum explicare, quo ad eas habendas se præparabat; & quodnam ordinariè esset earum argumentum ad eos docendos

cendos perfectionē, quàm in Religione quærebat. Præparatio eius nō tam in magno studio, quàm in multa oratione consistebat. eius enim erat opinionis, quod ratio in faciendis exhortationib' potius attendenda esset, vt necessariæ veritates magnam sensuque, quàm curiosis conceptibus, quæ cordi non adhærescū t, dicerentur. Quare non aliud studium adhibebat, quàm vt duas vel tres veritates acciperet, & orationi circa eas incūberet, benè eas perpendendo, ac digerendo, adhibitis etiam aliquibus sacræ Scripturæ, & Sanctorum sententijs, quas Deus in memoriam illi reuocabat ex multis, quas aliàs legisset: & tunc ex singulari prouidentia, earundem Dñm, & possessorem se esse videbat. Ita ipsemet fassus est in quodam indice, quē in suo libello scripserat, gratiarū, & beneficiorum à Deo acceptorum: & eas referens, quæ ad suum officium

„ erga Tyrones pertinebant, sic loquitur: Experto
„ sum intellectū, res, phrases, & modum eas propo-
„ nendi: quia suggerebatur mihi paulatim, quod ego
„ non potuissem cogitare; obseruato tamen eius pro-
„ uidentiæ præscripto, quo volebat, vt aliquam ego
„ diligentiam adhiberē, non tamen nimiam; nā hæc
„ potiùs mihi nocuisset. Hoc aūt ex eo deduco, quod
„ non mihi res communicet, nisi ipso tempore, quo
„ opus est; & ex fiducia inde in me iam orta, quòd sæ-
„ piùs hac ratione mecum est vsus. Hinc illud proue-
niebat (quod ego sæpè animaduerti) vt in Confe-
rentijs spiritualibus, in quibus ex tempore ad ea
respondebat, quæ proponebantur: maiori quadam
vi & spiritu loqueretur, quam in aliquibus exhor-
tationibus. Dum enim nos, quod cuique occurre-
bat, respondebamus: ille à Deo D. N. id ipsi inspi-

rantis

tanti obtinebat, quod esset respondendum. Quare cùm aliquis nostrum, qui id etiam animaduertebat, ab eodem Patre huius rei causam interrogaret: respondit: causa illa erit: quod in exhortationibus loquar ego; in Conferentijs verò ipse Deus. Hoc volens insinuare, quod quoniam Conferentiæ non inniteretur studio proprio, Deus inspiratione sua subueniret, vt illud suppleret: exhortationes autem haberent aliquid de proprio, hoc est studio, & industria, & sæpè potiùs dirigerentur ad docendum, quàm ad mouendum, id exigente ipsarum argumentum.

§. I.

AD CVIVS rei maiorem explicationem est aduertendum: Exhortationes, & Conferẽtias spirituales ad Nouitios, ad tres potissimum fines inter se tamen connexos dirigi, & ordinari. *Primus* est, plenè eos docere omnia, quę ad perfectionem Euangelicam iuxta Institutũ quod profitentur, eiusq; leges pertinent: ambulantibus enim per tale institutũ, culpa esset, illud ignorare, & cuius essent rationem reddituri, pudor esset illud non scire: cùm etiam regula Iuris dicat: *turpe est patricio & nobili viro ius, in quo versatur, ignorare.* Sed quoniam non satis est, quòd intellectus instruatur, ac de veritate conuincatur, eiusq; preciũ & æstimatio concipiatur: *Secundus* finis est, voluntatem permouere, & ad perfectionem, quã profitetur, ita efficaciter allicere, vt verè mutetur, statuatque generosè ac fortiter reijcere, quidquid ipsam impediebat; & aggredi, quidquid iuuat; vt voti compos euadat. Et ex hoc fit ad *tertium* finem transitus, ad applicanda scilicet practi-

practica media, quibus re ipsa perfectio hæc tineatur. Ad hos igitur tres fines simul P. Balthasar suas exhortationes dirigebat, quamuis aliqu do diutius in primo hærebat, quàm in secund & contrà maiorem in secundo vim ponebat, in tertio quàm in primo. Et sic Tyrones suos de iuuabat; commendans nobis circa eadem d præcipua capita magni momenti. Primum era studeremus in nostro Instituto ambulare, *Spir Corde & Practicè*. SPIRITV quidem, magni fa faciendo, tanquam rem à Deo datam, & tanq consilium ac directionem eius. CORDE com piendo magnum ad illud amorem, & affectu tanquam ad bonum adeò magnum, & quod ca nostra referat. PRACTICE, contendendo, vt ta vita nostra in omnibus nostris actionibus conformetur. *Secundum* caput erat, vt in eadem Instituti nostri via, & in rebus omnibus præo lis semper habeamus subijcere nos tribus Supe rioribus: Deo scilicet, Prælato, & rationi: quam uis hi duo ad eum reducantur, cuius consilijs dispositionibus acquiescendum semper est in na turalibus, supernaturalibus, & politicis. In quo finem ponderabat sententiam quandam, quam a diuerat, à quodam Fratre Coadiutore Ioanne Ni meno: (cuius postea prolixiorem faciem mentionem) qui rusticano quodã modo de tribu his Superioribus dicebat. Deus in cœlo; capitu lum in Ecclesia; Ratio domi: & omnes tres sun vnus: Deus enim est vnus, qui per se & per alios gu bernat.

Ex P. Natali

Cap. 40. 45.

AD HOS fines consequendos solebat exhorta tiones suas facere circa Regulas Societatis, magn

eas Spiritu explicans, quarum hic aliquas tantum insinuabo, quas ipsemet audiui, cùm essem in tertia Probatione. Et quamuis ipse iudicaret, non expedire, vt Nouitij, ipsius exhortationes describerent: quia existimabat id multis esse occasioni, negligendi eas in corde scribere, quasi satis sibi esset descriptas in charta habere: ego tamen nõ existimans me facturum contra eius iudicium, adnotabam in meo libello, quandam earum summam, quæ mihi pro memoria vsui essent. Illo igitur anno, vt Nouitij suum Institutum magni facerent, & valde ad illud afficerẽtur, cœpit exhortationes suas circa res magis insignes, quas illud complectitur; & ipse Societatis prærogatiuas, seu præeminentias apppellabat. Singulæ enim Religiones propria aliqua habent, quibus ab alijs differunt, & alias excellunt: harum igitur ipse quatuordecim posuit, quas valde fusè declarauit; & eo tempore valde floruerunt; neque ex eius parte vnquam fuerunt imminutæ. Ac propterea visum mihi est eas hic referre, eò quod simul quasi Elenchus, siue Index sint virtutum eius: quia, quod loquebatur, ex propria experientia deducebat. Et quamuis vnus aut alter ob suam imbecillitatem non assequantur tantam perfectionem, atque ipsæ regulæ proponunt, sicut etiam in ipsamet Euangelica lege accidit: non tamen propterea suam illæ excellentiam amittunt, nec desunt multi in quibus illa resplendeat.

§. II.

PRIMA prærogatiua est expropriatio Rerum, Locorum, & Personarum: RERVM, in vestibus, habitatione, & suppellectili, ita vt necessarijs tantùm sit contentus; nihil habés clausum, aut tanquam proprium: LOCORVM, vt non quærat mutationes nec prælationes, sed portam omninò claudat ambitionibus: PERSONARVM non admittendo particulares amicitias, quæ pacem turbant Communitatum. qui tribus his rebus benè exútum habebit cor suum: is erit verè pauper Spiritu, magnaque pace fruetur. Hinc *secunda* sequitur prærogatiua, VNIONIS scilicet, mutuæ inter omnes, cum magna charitate, & fraternitate; etiamsi multi illi sint, adeoque nationibus, complexionibus, eruditione, aliisque talentis, & facultatibus distincti: conseruantes æqualitatem in rebus omnibus, quæ cum tanta diuersitate haberi potest; siquidem vix vllum est priuilegium, vix vlla conceditur exemptio, solo titulo Officij, aut Eruditionis, aut similis eminentiæ; sed sola necessitate, & ægritudine, eam patientis. *Tertia* est VIRTVTIS opinio & æstimatio: ita vt sine virtute nullum talentum, nulla facultas naturalis æstimetur: nam etiam valde exornati magnis naturæ dotibus, si virtutibus careant: parui omninò fiunt: sed res in eo gradu in Societate habentur, quo apud Deum sunt; nec oculis tantum carnis aspiciuntur. Et hoc nomine valde perpendebat Pater Balthassar, quantum referret, exactè
a 2.Cor.5.14 seruare Canonem illum Apostolicum: a *Christus*

pro

pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: vt qui viuunt, iam non sibi viuant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundùm carnem. Quarta Prærogatiua est speciale OBEDIENTIAE votum, quo se Pontifici summo obstringit: & quidem in rebus adeò arduis, quales sunt proficisci, quocunque ille mittere nos voluerit, ad fideles, & infideles; ad hæreticos, aut rebelles, & obstinatos, etiam cum periculo vitæ amittendæ. Quod votum adeò gloriosum à Deo D.N. fuit inspiratum, tanquā his temporibus valde vtile & oportunum. Societas enim tunc nata est, cùm Lutherus cœpit debitam Ecclesiæ Romanæ obedientiam abnegare: quare æquum omninò erat, vt tota nostra Religio ipsi se dedicaret, vt eam tueretur, & sustentaret. Deinde, quòd cùm subditus facilem, & promptum Superiori se exhibet, ad obediendum: Superior delectatur, eidem aliquid iubendo. *Quinta* Præeminentia POTESTAS SEPVRGANDI, & à se dimittendi, quos videt in virtute non proficere: ne malo suo exemplo alijs noceat; & admissi cautiùs viuant: & hoc ipsum, quod alijs metum incutit: corpus hoc mysticum in sua perfectione & vita conseruat. *Sexta* est PRVDENTIA ac Discretio in externis pœnitentijs, & corporis asperitatibus limitandis: ne robusti paucas subeant; neq; debiles nimias. Quamobrem, etsi mortua siue scripta Regula pœnitentiæ constitutæ non sint; à viuente tamen, ipso scilicet Superiore præscribuntur: quia is nouit cuiusque necessitatem & vires: commendat verò omnibus continuum earum vsum, sicut ordinariè tantus erat, vt fræno

potiùs opus fuerit, quàm calcaribus: eò quòd sub-
iectorum salus ex earum excessu sensim debilita-
batur: præcipuè cum perfectissima omnium po-
nitentia, semper & in omnibus emineat, Abne-
gatio scilicet propriæ voluntatis. *Septima* et
quotidianus variarum POENITENTIARVM
in Refectorio VSVS, ob causas sæpè valde leves
suasque culpas ac defectus dicere, & easdem et
alijs priuatim, aut publicè audire: quæ res ex se
valde difficilis, & grauis: quam tamen praxis et
vsus cum gratia Dei facilem reddidit. *Octaua* est
CLARITAS CONSCIENTIAE, cum Superio-
ribus, & Præfecto rerum spiritualium, à quibus et
eisdem dirigantur: nolentes proprio suo iudicio
duci, etiam in rebus, quæ bonæ aliàs esse videntur,
nec erubescunt prauas etiam aperire, vt ad eas vi-
cendas adiuuentur. *Nona* AVVLSIO à Con-
sanguineis, ita vt aliqui crucem reputent, si in
patriam suam mittantur. Nam licèt torpescente
Spiritu, Carnis & Sanguinis amor reuirescat:
religio tamen ipsa adeò exactè illum muniuit: vt
auersionem quandam potiùs adferat, quàm appe-
titum id quærendi. *Decima* est, quòd expediti, li-
beriqúe sint à Suffragijs, & Electionibus ad Offi-
cia, ac Munia Societatis; neque ambire possint ma-
tus, aut extra illam vllas dignitates: omnium e-
nim horum curam à suis remouet Societas, vt eos
in maiori pace & humilitate conseruet; & om-
nem euellat discordiæ, ambitionisq; radicem: so-
lumq; attendant spirituali suo profectui. Et quidem
seuerius hoc in Ecclesiasticis dignitatibus resp-
ciendis seruatur: quas nullus potest admittere,
nisi Pontifex summus in Virtute Obedientiæ in-
bea-

beat : idque tum vt nos magis in humilitate conseruet : tum, ne optima Subiecta, quæ nos docere, ac ædificare reliquos debuissent nobis auferantur. *Vndecima* est LIBERTAS, qua Societas agit cum suis Tyronibus, quos mittit peregrinatum, & ad aliquas Missiones, cum facultate agendi cum proximis, ad sumendam de eis experientiam: credens, & confidens, vocatos à Deo, etiam extra priuatos parietes conseruari, ac tutos esse: Propterea enim dixisse Christum suis Apostolis, *vultis & vos abire?* quod si non sunt à Deo vocati, discedant statim; ne, si diutius maneant, discessio sit magis perniciosa. Nec tamen hæc libertas attentione, & custodia superiorum, & aliorum, qui ad id constituuntur vigilãtia caret: præter internam cuiusque custodiam, quæ semper renouatur per conscientiæ examen & orationem. *Duodecima* est, Excelsus FINIS nostræ Vocationis; & opinio ac nomen, quod Societas apud omne genus hominum, & nationes totius orbis habet: quæ, etiamsi vltima accesserit, non tamen est in acceptatione & applausu postrema; MEDIA item aptissima, quæ ad id habet: præsupposita bona & exemplari vita recursuque ad DEVM per Sacrificia, & Orationes: vt faciat nos cum tanta personarum varietate, rectè iuxta ipsius voluntatem, & pro ipsius gloria agere. Pro Magnatibus, & Eruditis habet eruditionem & doctrinam; pro plebe vsum Sacramentorum; pro pijs ac deuotis, Orationis exercitia; pro duris ac morosis habet, quòd eorum filios instruat; pro infantibus Christianam doctrinam, quibuscum quodammodo repuerascit.

Decimatertia est OBEDIENTIA, quæ in Societate cum his quatuor circumstantijs practicatur, quod scilicet sit Vniuersalis, quæ complectitur omnes res licitas, siue faciles sint, siue difficiles; siue honorificæ, aut viles: quòd exhibetur omnib. Superioribus, maioribus, & minoribus, siue talento præditis, siue non: quòd complectitur omnes suos gradus, affectum scilicet voluntatis, iudicij conformitatem, & plenam executionem; nec solùm quo ad rei propositæ substantiam; sed etiam quo ad modum & rationem agendo: quocunque tandem modo iubeatur, sit humaniter ac beneuolè; siue toruè & asperè; denique vt omnes, nemine excepto, obediant, etiam si subditus qualitates habeat, ac dotes generis, ingenij, eruditionis & similes, quibus ipse Superior careat. *Decimaquarta* & vltima est PVGNA & CONTRADICTIO mundi huius in ipsam Societatem: cum multis tribulationibus ac persecutionibus: quæ sunt ipsi valde vtiles, vt in humilitate conseruetur, ad Deum recurrat, & suam fiduciam in eius prouidentia ponat; imò ex eadem causa effectum est, vt illa magis dilataretur, & crescere, quemadmodum Ecclesiæ primęuæ euenit. Magis formidanda est occulta, & laruata persecutio, quæ prosequitur offerendo honores, & occasiones deliciarum: est enim hæc pugna periculosior, spectat illi ad cor aditus.

HAE sunt quatuordecim Prærogatiuæ, de quibus Pater Balthassar exhortationes suas ab initio huius anni habuit, fusiùs ac distinctiùs explicando, quæ in singulis continentur. quas etsi varijs Scripturæ diuinæ, & sanctorum Patrum sententijs exor-

exornauit, plurimi tamen fiebat Spiritûs feruor, & cœlestis quædam vis, quibus res huiusmodi docebat, exstimulans nos, ne à tanti Instituti nostri excellentia degeneraremus; & perfectionẽ, quam primi nostri Patres fuerunt secuti, ignauia nostra obfuscaremus.

CAPVT XXII.

PLVRA ALIA ACCIPIEBAT suarum exhortationum argumenta, ad pleniorem, & perfectiorem Tyronum instructionem.

CVM Nouitij sint instar infantium in virtute, opusq; habeant in rebus omnibus instrui, quæ pertinent ad Christianæ, ac Religiosæ vitæ Politiam, & cuiusque integram reformationem internam, quam solus Deus videt; & externam, quam vident etiam homines: hæc omnia Pater Balthassar accipiebat tanquam argumenta suarum exhortationum: vt impleret quod docet Apostolus: a *docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* ita inquam P. Balthassar oẽs suos Tyrones docebat omnia, quę illos scire oportebat: totam suã sapientiã, doctrinam, & industriã, quã Deus illi cõmunicabat, eò dirigẽs: vt illi pfecti euaderent in interiori & exteriori homine,

a *Ad Colos. 1. 28.*

ad imitationem Christi Iesu. de quo cùm duodecim esset annorum (quæ ætas Tyronibus respondet) dicitur : b *quod proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deũ & homines* : non quòd ipse in donis internis crescere; sed in externis eorũ signis, vt exemplo suo Tyrones doceret: vt sicut in ætate, ita etiam crescant in virtute, in cœlesti sapientia, in gratia, eiusq; donis, non solùm occultè, & coram Deo ipso; sed etiam apertè in actionibus externis coram hominibus: ædificantes eos modestia sua & virtutum exemplis.

a Luc. 2. 52.

§. I.

HAEC omnia licebit videre ex Catalogo quodam, quem fecerat rerum, quæ poterant esse aptum exhortationum argumentum: vt modò has, modò illas acciperet ad fastidiũ euitandum; delectandũ verò varietate diuersis temporibus, aut Auditoribus accõmodata. Catalogus hic siue Elenchus quadraginta quatuor capita, eaq; magni momenti cõplectebatur, quæ tamen ad minorem numerum redacta, hic proponere visum est, eò quòd simul sint tanquam puncta, ac documenta rerum, quibus ad integram nostram perfectionem opus habemus.

PRIMVM caput erat de modo vtiliter & fructuosè orandi, & vtendi aliquibus temporis reliquijs, quæ interdum supersunt; & nominatim de præsentia Dei Domini nostri. *Secundum* de modo fructuosè dicendi horas Canonicas, quatuor communes Ecclesiæ Orationes, & alias vocales; & legendi libros spirituales. *Tertium* erat Examinis Conscientiæ, tum Generalis totius diei; tum parti-

particularis de aliquo defectu aut vitio; & quanti fieri debeat non labi etiam in leues defectus; neque animum abijcere propter imbecillitates: quando ad eas euitandas fit quod fieri potest; nec valde anxium esse ob eas, in quas interdum labitur: sed spem ac fiduciam suam in Deum ponere, quod dignabitur eas reparare. *Quartum* de modo vtiliter confitendi, de cordis compunctione, & non negligenda omni pœnitentia, quam facere possit, euitato tamen indiscreto rigore; ac de spiritu, quo externæ pœnitentiæ, ac mortificationes fieri debeant. *Quintum* de bona ad Sacramentalem Communionem preparatione, & de communione spirituali. *Sextum* de propria mortificatione prauarum propensionum motuumque naturæ; ac sensuum custodia. *Septimum* de modo se habēdi in mensa; in recreationibus, & in conuersatione cum sæcularibus, & vniuersim ad moderandum nos ipsos in Colloquijs cum alijs. *Octauum* de humilitate & cognitione sui ipsius. *Nonum* de amore, quem erga Deum habere debemus; de charitate cum omnibus, de mutua tolerantia, de vitandis iudicijs temerarijs, & suspitionibus. *Decimum* de Paupertate, Castitate, & Obedientia; de Obseruantia Regularum, & indifferentia; ac de statione, ex qua Dei seruus expedire se debeat, ad aliquid operandum: hoc est statuere primum, quę sit Dei voluntas. *Vndecimum* de tribus familiaribus Christi Domini nostri comitibus, Paupertate, Dolore, & Contemptu: quod est aptum argumentum à media quadragesima, vsque ad finem. *Duodecimum* de spirituali profectu, in quo non tam nostræ industriæ ac diligentiæ, quàm Dei au-

xilio, & fauori fidamus, quem licebit ab eius benignitate sperare, cum non neglexerimus facere moderatè, quod in nobis erit. *Decimum tertium*, de fauoribus ac tribulationibus Iustorum; de tẽtationibus, & quo modo temporum inclementia, & asperitas sit ferenda; de Prouidentia Dei in his omnibus, & in suis puniendis. *Decimum quartum*, de pace quieteq; animę, ac varijs medijs, quibus illa obtinetur. *Decimum quintum*, de fructu & vtilitate, quam adfert familiaritas & colloquia cum seruis Dei; & aliquem habere, à quo dirigatur, quem pro regula habeat, cuius vel cogitatio, vel memoria ipsum reformet & contineat, & quantum conferat bonum exemplum, quatamq; vim habeat. *Decimum sextum*, de octo Beatitudinibus, de partibus virtutis, de Prudentia, & scientia Sanctorum. Hęc summa est rerum, ex quibus Sanctus ille vir argumentum sumebat suarum exhortationum. Cùm omnibus illis meritò studere debeant, & conari, vt valde dextri, & excellentes euadant omnes, qui volunt esse perfecti. Sed nominatim magnam vim ponebat in agendo frequenter de omnibus ijs, quæ pertinent ad abnegationem sui ipsius, propriæ voluntatis, ac iudicij: quare summo studio contendebat suis Nouitijs hanc curam & studium persuadere, admirandis hisce rationibus, quas proprijs hic
„ verbis reddemus. Ne confundamus (inquit) fa-
„ cultates: alioquin in nulla solidi & periti eua-
„ demus. Nam nisi quis suum tempus det Gram-
„ maticæ, manebit veteramentarius aliquis; nisi e-
„ iam suum dederit Philosophiæ, & alijs artibus,
„ nunquam eas assequetur: in eundem modum si-

si in Nouitiatu abnegationi vestri ipsorum; eique, quod vos ad profectum in virtutibus excitare possit, studeatis: eritis huius artis veteramentarij. Si enim cum ipsum cor est ab occasionibus expeditum & cupidum perfectionis, idque longo tempore, & auxilijs exemplisque multis, non comparetis vobis magnas virtutum facultates: quando illud erit alicui rei adstrictum, & in multas partes diuisum, nec tot habebit auxilia, sed plura impedimenta, & impingendi occasiones, quid de illo erit? hoc erit, velle prodigiosam quandam perfectionem sperare. & quemadmodum Eruditionis spiritus, est continuum scientiarum exercitium; ita spiritus Religiosi est ipsa religiosa vita; quæ si desit, mille defectibus abundabitis; & tanquam statuæ, oculos habentes non videbitis. Initium virtutis est abnegatio propria: a *qui vult venire post me* (ait Christus) *abneget semetipsum.* Resoluite vos Fratres aut fateamini, vos nolle incipere viam perfectionis; aut hinc incipite, quemadmodum vitæ Magister vos docet: b *abscondite* nunc (vt ait Dauid) *eloquia eius in cordibus vestris, vt* posteà *non peccetis ei.* Prospiciamus hoc tempore abundantiæ, pro annis famis & sterilitatis futuræ. Si Aegyptij oculos suos coniecissent in Iosephum, adeò sapientem, vt nosceret somnia interpretari, quod reliqui sapientes non potuerunt; & si attendissent, quantam ille diligentiam adhiberet in congregandis & recondendis frumentis, cùm ipsi ea proijcerent:

a Matt. 16. 24.

b Psal. 118. 11.

fortè

» fortè & ipsi fuissent imitati virum, spiritum De
» habentem. Ita nunc sunt inter vos viri, in quibus
» habitat Spiritus Dei: qui magno studio, & feruore
» colligunt ac recondunt frumenta spiritualia: imi-
» tamini illos: nõ enim vobis tam multa superfunt.
» Et cum illi adeò illustrati à Deo, id faciant: cre-
» dendum est, rectè & prudenter illos facere. Noli-
» te sistere, vbi alios videtis properantes. Ne existi-
» metis, tempus Probationis quasi vobis perire, si
» iamsi literarum studijs non incumbatis. Non enim
» amittitur tempus, dum aperitur fundamentum ;
» dificij, valde altè ascensuri; neq; iter faciens, tem-
» pus amittit, eò quòd det equis pabulum; aut scri-
» ba, eò quòd calamum aptet. Studere est intellige-
» re ac penetrare, quod ante non sciebas: hoc au-
» tem non fit absque lumine. Id quod communicat
» Dominus abundantiùs maioribus suis amicis, &
» cum ipso bona fide ambulantibus: qui res suas ita
» præscriptis temporibus faciunt, vt ea non per-
» turbent, aut confundant, propter affectum quo
» tenentur, vt votorum suorum compotes euadant.
» Diuidamus cum Deo tempus nostrum, idque in
» omnibus occasionibus & actibus publicis: & ipse
» lucem suam nobis impertiet; ad scientiam dese-
» rendam, sufficiat nobis quòd Dominus velit, nos
» attendere sanctitati: & tunc ipse scientiam lar-
» gietur ampliorem. Hæc omnia S. ille Pater dice-
bat, vt Tyronibus, & ijs qui studijs absolutis, in
Probatione versantur persuaderet, eo tempore
solum attendere ad studia virtutum, nec
vnam horulam fœlicis adeò
temporis abijcientes.

(***)

§. II.

§. II.

SED non ſatis habebat, quod interioris hominis reformationem, & mortificationem eis ſuaderet: ſed ea quoque tradebat, quæ ad exterioris reformationem ſpectabant, valde illis commendans virtutem modeſtiæ Religioſæ, quam dicebat hominibus Societatis valde neceſſariam, ob tres præcipuas cauſas. *Prima*: eò quòd ex inſtituto agerent cum proximis, ac proinde tenerentur eos ædificare, bonumque nomen apud eos habere: hoc autem obtinetur præcipuè modeſtia, & compoſitione hominis exterioris; non tamen affectata, ſed vera & religioſa; cùm igitur, qui in Societate ſumus: a *ſpectaculum* (vt ait Apoſtolus) *facti ſimus mundo, Angelis, & hominibus*: neceſſe eſt, vt idem Apoſtolus ait, b *prouidere bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* *Secunda*: nam reliqui Religioſi habitu ſuo, & cucullo ædificant, teguntq; aliquam immodeſtiam, ſi fortè in eam inciderent: at homines Societatis, qui faciem habent patentem, nec habitum alium, aut cucullum habent: horum loco neceſſe eſt, eos habere modeſtiam, qua exornentur, & componantur, quemadmodum matronæ Romanæ, eò quòd faciem apertam habeant, maiori indigent modeſtia, quàm aliarum nationum, quæ vultum tegunt. *Tertia*: eò quòd Societas etiam habeat ex ſuo Inſtituto orationem, & internam cum Deo familiaritatem; ad quam exterior modeſtia plurimum iuuat, vt quæ ſenſus contineat, & componat: per quos aliàs effunditur, & euaneſcit deuotio: Ac propterea eius modeſtia debet eſſe valde Reli-

a 1. *Corint.* 4. 9.
b 2. *Cor.* 8. 21. *Rom.* 12. 17.

Religiosa, & ex interna prouenire reformatione, & ex eo quod semper attendat, se versari in conspectu Dei sui, vt monuit Apostolus: c *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.*

c Philip. 4. 5.

IN hunc finem confecerat sibi quasi indicem omniũ actionum immodestarũ, quæ in viro Religioso notari possunt, quas sęculares, ciuiliũ morũ defectum appellant: & nominatim notat immodestiam, quæ esse potest in motibus capitis, frontis, oculorum, aurium, narium, oris, & linguæ, brachiorum, & manuum, genuum, & pedum, & reliquarum corporis partiũ; & in vestium gestatione. Deinde immodestias, quæ notari possunt in tẽplo, in choro, in Refectorio, in ipso cubiculo, & in omnib. officijs; quale est Sacrũ facere, vel audire; quando decũbunt, aut ex lecto surgunt; quãdo comedunt, aut sunt in Recreatione; & in quocumque alio loco; siue sint soli, siue cùm socijs. Item immodestias subditi erga suum superiorem, aut Religiosi cum reliquis; aut cum eunt per plateam, & alter alterum comitatur; aut cum sæcularibus agunt, in modo loquendi, ridendi, expuendi, tussiendi, manus, & corpus mouendi: reformandi enim sunt omnes hi motus, & danda opera, vt (quemadmodum S. Augustinus in Regula sua monuit) nihil in eis sit, quod non benè respondeat grauitati & sanctitati nostræ Professionis. Catalogum illum ego legi, & erant notati plus quã ducenti immodestiæ actus, & Vrbanitatis defectus, in quos poterat Religiosus incidere. Sed quod sint tot numero, & plurimi valde leues; ac domestici: eos non exprimo. Hos tamen insinuaui, vt appa-

appareat, quantam curam ille adhiberet in suis Nouitijs reformandis, etiam in rebus valde minutis. Ex quo oriebatur, vt illi tam rara modestia eminerent, vt obstupescerent sæculares: nec possent se continere, quin coram nobis id dicerent, (quemadmodum ego etiam tunc Nouitius aliquando audiebam) Deum glorificantes, quod hoc ornamentum seruis suis largiretur.

DENIQVE cùm non semper possimus viuos Magistros ad manum habere, qui suis exhortationibus nos ad perfectionem exstimulēt: valde suis Nouitijs commendabat lectionem librorum spiritualium iuxta Regulam nostræ Societatis: qui etsi ex se sint Magistri mortui, eis tamen vitam impertit Magister ille, qui essentia sua est vita, qui loquitur, & cor nostrum per eos docet: ac propterea nominatim commendabat aureum illum libellum Thomæ de Kempis, quem vulgò Mundi Contemptum appellamus. Cuius sententijs frequenter vtebatur in exhortationibus: eò quòd cordi adhærescant, Deusque illas imprimat bono affectu legentibus. Et cùm esset Visitator Prouinciæ Aragoniæ, fecit, vt in ea agnoscerent eius libri vsum: cuius emolumentum experientia illi perceperunt, inuenientes singuli, quacumq; ex parte eum aperirent, quod animę suæ conueniebat.

§ (*) §

CAPVT

CAPVT XXIII.

PRAECLARE GESSIT RECTORIS munus Metinæ, & in alijs Collegijs, & insignes eius ad gubernandum dotes.

QVAMVIS P. Balthassar Abulense Collegium per annos aliquot cum titulo Ministri, aut Vice-Rectoris gubernasset: Metinæ tamen primùm id muneris cum titulo Rectoris egit, & postea in alijs etiam Collegijs ostendens vbique insigne ad gubernandum talentum. Quod vt tutius obiret, studuit altas in humilitate radices iacere: ex qua oriebatur eiusmodi magna repugnantia, & horror talia munia obeundi, non ignaro seueræ rationis ab ijs, qui præsunt, exigendæ; & quod benè perpendisset onera superiorum: de quibus aiebat, quòd minimè omnium deberent suis corporibus indulgere; sed pro alijs in omnibus peius tractare. quo ad animum verò debere semper esse dolentes, mœrentes, & liquorum omnium curis plenos: quod si Officia suo benè, vt oportet, fungantur, referent à multis ex subditis murmura, & auersiones: quo ad Deum verò portare debent defectus, & imperfectiones subditorum, eorum ignauiam, defectionem, & omnia eorum peccata: ita vt non solum onus portent, si illi peccẽt; sed etiam si in virtute non proficiant.

ficiant. ex hac cogitatione, cùm ipse esset aliàs valde zelosus; suæque perfectionis studiosus; optaretque, reliquos esse perfectos: cœpit officium illud in initio cum aliqua seueritate; & affligebatur valde ex defectibus eorum, qui sibi essent commissi; quemadmodum euenire solet superioribus parum expertis: sed postea tamen maiori cęlesti lumine accepto, aduertit hanc esse potius impatiẽtiam suam, & cordis angustiam: ideoque oportere illud laxare, & assuescere, sustinere aliorum defectus; eisque compati potius, quàm indignari: vt sic Dei gubernationem, quantum fas esset, æmularetur, & in eum finem annotauerat sibi quiddam notatu dignum: quod à Patre Martino Gutierrio, quadam die audiuerat; cum suæ conscientiæ rationem ei redderet: qui etiam; cùm esset Rector, affligebatur valde ob aliquos suorum defectus. & cùm die quadam in Oratione de hoc suo labore lamentaretur, ostensus est illi orbis argenteus, in quo corculum erat exiguum valde, & quasi duabus sanguinis guttis submersum, & suffocatum: dictumque illi est; hoc est cor tuum, quod in parua aqua submergitur: & mox magnum aliud cor, valde latum illi fuit ostensum, dictumque: hoc est cor Dei, quod tot idololatrijs, hæresibus, ac sceleribus alijs, quæ sunt in mundo non affligitur; sed longanimitate magna opportunitatem expectat, copiosum fructum ab eis colligendi, qui nunc sunt improbi: tale autem esse debet tuum. Ex qua Visione valde mutatus fuit, & ex suis angustijs emersit: quem etiam Dominus noster consolatus est, reuelans

illi, omnes eos, quorum tunc curam habebat, pro prædestinatos. Huius ergo boni sui amici exemplo didicit Pater Balthassar, cor suum dilatare: cui etiam in Oratione Deus fecit eandem gratiam: (vt in Relatione sua superius posita ipse meminit) tantum ei subsidium & leuamen in gubernatione tribuens, vt non sicut prius nimiæ curæ ipsum raptarent, nec eius cor angustarent. Addidit item ei magnam officij huius opinionem & æstimationē, immisso sensu quodā interno in Dominica boni Pastoris & eius ouiū: qui fuit huiusmodi. magnus hic est grex, eiusque magna forma: Pastor bonus facit oues bonas: Quare magnum est beneficium, magnaq; gratia illis fit; q; tale illis Deus dederit. Quando populus Dei bonū habet caput, Regem, aut Prophetam: semper fuit bonus. Magnū onus imponūt sibi Pastores: quia verè sunt scopus, in quem omnes illorum oues oculos suos conijciunt, & in eorundem mores transformantur, sicut illæ Iacob in virgarum colorem. Hoc spiritu studebat P. Balthassar exemplar esse perfectionis toti gregi suo: adeoq; exactè officij sui regulas & obligationes expleuit, vt liceat de eo dicere, quod fuerit talis superior, qualem P. noster S. Ignatius in suis constitutionibus depinxit: & quamuis id satis appareat ex ijs, quæ superius diximus de Nouitiorum gubernatione: nunc tamen alia quædam addemus, quæ ad omnium gubernationem vniuersim pertinent: ex quibus non Prælati Religionum modò, sed Christiani etiam Dominij, ac patresfamilias discere possunt, domos suas gubernandi rationem.

2. Post Pascha.

ANNO. 1575. April. 17.

Gen. 39. 39.

§. I.

PRIMVM ſuis Orationibus Collegium totum ſuſtentabat, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus: res ſingulas prout quæq; erat, perpendens & æſtimans: virtutem, Sanctitatem ac Religionem reliquis præferens; ſubditos in virtute eminentes pluris faciebat, quàm doctos & nobiles magna habentes talenta, non tamen tantam virtutem. Et cùm aliquem deprehendebat non quidem Eruditum, ſed probitatis, & ſpiritus ſingularis, dies noctesque cum eo quodammodo conſumebat, vt eum ad profectum, & progreſſum iuuaret, vt inferiùs apparebit. Hinc oriebatur, vt vel modicum ſpirituale bonum pluris faceret, quàm quiduis temporale: ideò non patiebatur, vt quis rerum temporalium procurandarum cauſa, aliquid amitteret, aut vel punctum imminueret exercitiorum ſpiritualium. Cùm eſſet egeni cuiusdam Collegij Rector, habebat Miniſtrum valde ſolicitum, qui anxius ad ipſum currebat, ſignificans, quæ deeſſent, & neceſſe eſſet ſtatim proſpicere. Vir Sanctus reſpondebat, quàm anxius venit P. Miniſter: communicaſti ne id cum Domino Deo noſtro? reſpondebat ille, adhuc non habui tempus orandi: & tunc cum magna tranquillitate dimiſit illum, dicens: hoc debuit eſſe primum. eas ad cubiculum, & ora; & offeras tuam orationem, & poſtea reuertaris huc. Cogitas gregem hunc non habere Dominum? Dominum autem talem habet, cui non tam parui conſtitit, vt perire permittat. eas in pace,

& cogita, hoc non à tua induſtria pendere. Diſcedebat P. Miniſter, vt faceret, quod Pater præſcribebat: & ſæpè, quando reuertebatur, inueniebat proſpectum iam eſſe neceſſitati per media, iudicio ſuo prodigioſa: id promerente fidelitate, & fiducia ſui Rectoris in Deum, vt capite 16. eſt dictum.

HINC etiam proueniebat, vt quoniam experiebatur valde expedire, liberaliter dare ſubditis quæ erant corporalia, vt liberiùs illi ſpiritualibus attenderent, ideò liberalis valde, ac ſolicitus erat, vt omnibus daretur, quod ad cibum, & veſtitum erat neceſſarium. Quam ob rem ipſemet ſingulis menſibus, cum veſtium cuſtode ſingula cubicula viſitabat; & quærebat, quid cuique deeſſet, vt ei proſpiceret: id curabat ſcripto notari; & rationē poſtea exigebat, an eſſet exſecutioni mandatum. In Refectorio etiam curabat, vt toti communitati ſufficiens cibus daretur: eorū verò, qui mortificationis cauſa ſeipſos negligebant, maiorem ipſe gerebat curam; ægrotorum valde commiſerebatur, eisque indulgebat, attendens diligenter, ne quid eis deeſſet; & pro modica re, quam illis deeſſe aduerterat, grauiter eum reprehendebat, cui erat eius cura commiſſa: frequenter valde eos inuiſebat, & cùm aliquis erat in periculo conſtitutus, etiam noctu illum, cùm alij dormirent, viſitabat.

IN rebus omnibus toti communitati communibus Primus erat; in Oratione, in Examinib⁹, eundo ad menſam, diſcedendo ex recreatione, in purganda domo, & in ſimilibus occupationibus, ad quas omnes accedunt. Et quoniam mos eſt in Societate,

cietate, vt ſinguli deſignatum habeant diem lauādi, aut tergendi in culina: ille primo die menſis id ſemper faciebat, etiamſi reliquorum ordo non eſſet expletus: quo exemplo alios impellebat, ne vllo modo huiuſmodi occupationibus deeſſent, valde ſemper probauit, & laudauit ſequi ipſam communitatē, dicens, id valde placere Deo, ſuamque benedictionē ei in his actionib. impertiuiſſe.

CVM quis facultatē petebat ad Extraordinariam aliquā pœnitentiam faciendā, id ipſe iniungebat, vt in omnibus ſtuderet conformare ſe communitati, non quærens exemptiones aut priuilegia aliqua ſingularia; & vt ſtuderet in hoc ipſo cum ſpiritu præſtando excellere. Hoc verò ſingulare donū à Deo D.N. petebat, vt gratiā ipſi largiretur, eamq; corporis ſanitatem, quæ ſufficeret ad præſtādum, quod omnes in communitate præſtarent: & benignſſimus Dominus petitum donū conceſſit: nam, licèt ſæpe eſſet valetudinarius, diſſimulabat tamen imbecillitatē illam, vt cōmunibus actionib. non deeſſet: experiebatur nimirū, tales à Deo adiuuari, & in ſpiritu proficere; tēpusq; habere ſufficiēs, tū ad ſpiritualia exercitia, tum ad alia munia benè præſtanda. Addebatque: præſtare paulò minus etiam cum aliqua ſanitatis debilitate viuere, & ſequi cōmunitatem; quàm diutiùs viuere, aut integra vti valetudine. cū aliquib. ſingularitatibus, quæ alios offendūt, & moleſtè illas ferunt. Cùm ſemel P. Franciſcus Riberius, cuius poſtea faciemus mentionem, facultatem peteret emanendi vſque ad ſecundam menſam, eò quòd indigeret illo tempore pro ſtudio ad quaſdam diſputationes, quibus ipſe prœeſſe debebat: reſpōdit

illi P. Balthassar: pluris esse faciendum cum omnibus ad mensam accedere: nam sic etiam in ipso studio plus ipsum posse proficere. Paruit bonus subditus, & ex fœlici disputationis euentu animaduertit, quã rectè bonus P. Rector cõsuluisset.

ITA semper constitutus ac dispositus erat, vt opus nõ esset tempus, aut occasionẽ cum illo agendi captare: exterior vultus cum sancta quadãgenuitate suauis erat, & humanus, ita vt amabilem, ac venerabilem se exhiberet, & omnes filialẽ ergo eum reuerentiã cum amore coniungerent. Et licet interdũ speciẽ indueret seueritatis, vt subditos erudiret: mox tamẽ ad pristinã, & familiarem suauitatem redibat: ex altera etiam parte studebat suos in loco publico, & coram sæcularibus honorare, honorificè de eis loquens, & cũ eo respectu agens cum eis, quem singulorũ gradus poscebat. Contemplabatur subditorum suorum vultus, non fingens aliquẽ diu esse tristẽ, aut capite demisso incedẽs, dicens: in domo Dei neminẽ tristẽ incedere debere, sed lætũ: & potius excessum in lætitia dissimulabat, quàm in tristitia. compatiebatur ijs, qui vel ex debilitate in aliquem defectũ laberentur, aut durioris essent ingenij, quibus sæpiùs blandiebatur, vt tales defectus repararet. Ideoq; interdum quos tales nouerat, petebat à Prouinciali ad suum Collegium mitti; vt blanda sua directione eos rectificaret, ac lucraretur. Et hac ratione multos emolliuit, magnaq; charitate, ac dexteritate in alios permutauit: eius enim verba etiam feras videbantur emollire, ac cicures reddere.

CONSTANTISSIMVS erat in seruandis exactè, quæcũq; ipsius officium postulabat, etiã minutiss-

nutissima, neq; deponebat eius curã & solicitudinem vsq; ad diem & horam vltimã, quo illud perficiebat: vt ex hac re parua constabit, quæ indiciũ est eius curę, quam de rebus grauiorib. gerebat. Ad obseruationẽ regulæ Rectoris de visitãdis interdũ existentibus in oratione designauit sibi Feriã sextam, nec vllã prætermisit, etiamsi plures occupationes haberet; aut nocte pręcedente graui aliqua molestia fuisset affectus. Idq; adeò constanter seruauit, vt ipsa Feria sexta, qua discessit Villa-Garcia, vt esset Prouincialis Toletanus, discessur⁹ proximè post Orationẽ, visitauit tamẽ pro more omnia cubicula; nã probus superior nõ debet eo prætextu, quod breui officiũ suum exspirabit, aliquid de sua cura remittere, sed vltimo adhuc die æquè exactè, se gerere, atque cùm cœpit primò.

§. II.

PRÆDICTA omnia, & multò adhuc plura animaduertere licebit, in quadã sũma, quã sibi fecit, rerũ necessariarum, vt quis bonus esset Superior: quę omniũ eorũ, qui illũ nouim⁹, iudicio, est exẽplar quoddã, & viua imago eorũ, quæ ipsemet faciebat: estq; plus aliquid se ipsũ ita depingere; quã alios, vt tales sint, docere. ita igitur loquitur: *Primũ* Superioris munus est seruire animabus, pro quibus Christus mortuus est. & quidẽ seruire tanquã seruus suis Dominis propter Christũ: & in eo modico, quod propter Deũ fieri potest, magnę fœlicitati suæ tribuat, q̃ illi non attẽdat, quid ipsorum gratia Superior faciat; neque vt gratias ipsi agãt propter talia obsequia: vt eò puriora ipse Dominus acceptet, quò illa erunt minus notata, minoresq; gratiæ ab hominib. habitę.

Quare primùm ante oculos suos constituat, quo fieri ipsum Superiorem, non sit fieri Dominum, neque tradi ipsi homines, quibus imperet; Sed fieri Pædagogum Principum, & verè seruum filiorum Dei, quorũ curã gerat, eisq; seruiat, ac suum caput suũ collocet. Sic enim Dominus ille gubernauit, qui dixit, a *non veni ministrari, sed ministrare.* Et Ecclesiasticus monet: b *Rectorẽ te posuerunt, noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.*

a Matth. 20. 28

b Eccl. 32. 1.

DEINDE det operam, vt talem subditi de ipso opinionem concipiant, vt magna sua consolatione, ac fiducia se possint illi aperire; & intelligant, se in nulla re magis ipsi placere posse, quam si ad ipsum recurrant, pectusque suum totum aperiant, quantumcunq; debiles ipsi sint: nec propterea quidquam se apud Superiorem amittunt, cùm non sit æquum, quod vnde sibi cælum aperitur, melioremq; inducit in Dei oculis speciem & figuram, non etiam, eadem in eius ministri pectore & opinione remaneat. Agat sæpe cum eis de hoc argumento, quod est vtilissimum; monet Confessarios, & Concionatores: mille enim animæ pereunt, eò quòd non habeant animum, ad interius vlcus Superiori suo aperiendum.

TERTIO, illud etiam sibi ob oculos ponat, vt in humilitate cõseruetur: quòd Collegium valde sit cõpositũ, & iuxta leges nostras benè gubernetur: nõ tã esse industriæ suæ effectũ, quã ipsius Dei D.N. opus enim adeò excellẽs, quale est, quod tot homines benè subiecti sint, seq; ad terrã proijciãt, nõ hominũ est, sed eius Domini, de quo Dauid: c *ipso Domino sperauí, qui subdit populũ meũ sub me.* Qui velit cedros ad terrã deijcere, ferreis brachijs

c Psal. 143. 2.

opus

opus habet: & hæc dat ipsemet Deus, adeoq; fortia reddit d *sicut arcum æreum*. Quare qui melius nouerit causam suam apud hunc Dominum agere, fueritq; illi familiarior: peritior erit lignator & operarius: etiamsi sit alioqui balbutiens, Deiq; consilia euanescant ab oculis hominum, non valentium illa assequi. d *Psal.* 17. 35.

QVARTO, aggrediatur officium alliciens ad se omnium, qui sunt in Collegio, voluntates, signa edens solatij sui, quòd inter illos maneat: caueat tamen diligenter, ne qua particularis affectio in ipso notetur, in quam totum impingat Collegium. auspicetur etiam munus dissimulans imperium, & ordinationem per dies aliquot, ne displiceat hoc apprehendentibus, quod incipiat imperando tanquam Iudex aliquis aulicus: nunquam superbè, & imperiosè aliquid constituat; sed humiliter, & mansuetè, quasi per modum Cõsultationis: exempli causa, dicat, attende an hoc hac ratione benè fiat: hic enim quasi Consultationis modus, efficacior est ad persuadendum, quod velis, & sedandos animos perturbatos.

QVINTO, frequenter eos priuatim alloquatur; & interdum visitet in proprijs cubiculis; & quando illi ad ipsius accesserint, vt loquantur, iubeat intrare, etiam cùm est occupatus: vt ipsimet aduertant, quod non possit illos audire; & cũ dimiserit, bonis etiam & suauibus verbis vtatur; dum autem illi loquuntur, ne ipse, scribendo aut aliud quid faciendo, occupetur: ne videatur illos parui facere. *Ex sancto Basilio.*

SEXTO, deponat eas cogitationes, & consilia quæ impedire ipsum possunt, ab Officio suo rectè

præstando, & ab attendendo suis domesticis: ex-
pendat tempus in sua gubernatione; & hoc sit
continuum eius studium: exactè & actu illam ex-
ercere. Nam omnium deuotionum ac mediorum
sui & totius Collegij profectûs, hoc erit ma-
mè substantiale. Quamobrem ne sæcularium ne-
gotijs multum implicetur: plus enim popu-
proderit, si Religiosa ac perfecta subiecta e-
dederit, quàm si ipse illorum negotijs se im-
plicauerit.

SEPTIMO, det operam, vt in rebus omnibus
ipse sit primus, vt sic maiorem eius verba vim
habeant; & subditi, cùm in aliquo deficient,
non habeant, quò se excusent. Ita enim fa-
ens, explebit boni Euangelici Pastoris nume-
ros: de quo dicitur, e *quod cùm proprias oues e-*
miserit, ante eas vadit. Aduertat etiam diligen-
ter: ex propria ipsius reformatione, Inferio-
rum reformationem dependere: qui ipsam Re-
gularum obseruationem à Superiore tanquam
viua regula accipiunt: qui se secum in multis di-
spenset, in tali obseruatione, eò quòd ple-
ribus rebus sit intentus, non habent vim eius
exhortationes & verba; quia non facit, quod
dicit.

Ioan. 10. 4

OCTAVO, Boni consulat, quidquid à quoc-
que ipsi dicetur; vultu ipso & verbis gratum ani-
mum ostendendo: nam vel hoc solo, qui sunt
exulcerati, conquiescent; & ipse poterit in mul-
tis iuuari: & hoc ipsum sufficiet, vt ab omnibus
ametur.

NONO, seruet animi rectitudinem, & inte-
gritatem, ne alij insolescant, & fiant arrogantes.

Sed

Sed exhibeat simul viscera charitatis, vt cum rectitudine suauitatem coniungat; sitque sicut ille Dominus, quem Dauid f *dulcem & rectum* appellat: quamuis interdum, ne pax communis perturbetur, expedit cedere, ac dissimulare, quando subditus non vult præstare, quod debet; agendo cum illo, cum Spiritu amoris: & patienter sustinendo, quem DEVS sustinet: donec ipse dignetur illum visitare, & capacem reddere mediorum sui profectûs, quæ illi proponuntur. Sed non negligat tamen omnia, quæ potest media adhibere, quibus possit illum lucrari.

f Psal. 24. 8.

DECIMO in nullo casu, etiam vbi iustissima appareat causa, aliquem reprehendat iratus, donec seipsum priùs quietum reddat; & pacatum: sic enim licebit postea fratrem suum pacare: & faciliùs eum lucrabitur, si tolleret: quia ipsemet tandem agnoscet, suamque obstinationem improbabit, seseque subijciet, & ad pedes prosternet. Ratio autem cur non sit reprehensio adhibenda, cùm Superior est turbatus, ea est, quia Dei omnia mandata diriguntur ad charitatem, & cordis puritatem; cuius vtriusq; fit iactura, si permittat se ab indignatione, & auersione ferri. Nec in defectibus subditorum valde indignetur, nec suum ostendat defectũ & turbationem. In paruis rebus non sit valde seuerus, quasi ipse valde esset Iustus; nec frequens sit in reprehendendo: sic enim gubernatio redditur grauis ac dura; & ex frequentatione vilescit, nec sentitur dum adhibetur.

VNDECIMO, cũ subditus ex animi perturbatione resistit, contineat se ipse Superior, memor q; ille ipsius sit frater, mẽbrũ Christi, & imago Dei;

& quòd

& quòd sit à Dæmone irritatus. quare si ipse superior non sciat illum in illa occasione ferre, fieri potest, vt anima illa omninò pereat, pro qua Christus D. N. mortuus est. Vtatur igitur in illa occasione, benignitate, & misericordia, cogitans se quoq; huiusmodi imbecillitati esse subiectum, gratiasq; Deo agat, quod ipsi dederit authoritatem condonandi peccata: & hac ratione Deum ipsi grauiores defectus condonabit. Sit enim memor illius Apostoli sententiæ, dicentis: g Noli *vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quare etiamet tunc ad Deum, petens, vt vtrumque dignetur componere, & placare.

g Rom. 12. 21

DVODECIMO, moderata cum subditis cum spectio, bona est; sed nimia, est noxia: cōtristhit enim illos, & cruciat: cōtrà verò fiducia vnde illos obligat, vt & ipsi confidenter agant. Ostendat, se bonam de illis habere opinionem, & suo tempore etiam dicat, se res eorum probare. Et sic gubernabit eos suauiter. Hæc & similia alia documenta præbebat Superioribus ex propriæ experientiæ libro deducta, & ex intimis animi sensibus, quos à Deo in Oratione acceperat, ad hoc munus, vt oportet, præstandum.

(*)

CAPVT

CAPVT XXIV.

EIVS ZELVS, ET SOLICITVDO in promouendis studijs humanioribus, & bona Iuuentutis educatione, ac doctrina Christiana tradenda.

VNVM ex ministerijs, quæ Societas in Collegio Metinensi & in multis alijs exercet, est illud, vt iuuentutem illius Reipublicæ doceat literas humaniores, hunc sibi scopum in eis constituens, vt simul cum ipsis literis iuuentutem doceat bonos mores: vt à tenera ætate incipiant seriò Deo seruire, pro vt veros, ac perfectos Christianos decet. Et quamuis P. Balthassar Aluarius propter Officiũ Rectoris, quod ipse gerebat, magna cura, ac Zelo curaret reliqua omnia ministeria Societatis propria, exactè perfecteque administrari, qualia sunt conciones, Confessiones, morituris adesse, spiritualia Exercitia tradere, Carceres & Hospitalia visitare; & ipsas superiores Philosophiæ ac Theologiæ facultates, cùm in suo Collegio docebantur, tradere: (vt paulò post videbimus, dum referemus quæ Salmanticæ gessit) sed maiori multò cura attendebat huic ministerio tradẽdi humaniores litteras, quod etsi in oculis mundi non sit honorificum: apud Deum tamen est valde gloriosum;

& Ec-

& Ecclesiæ, ac Reipublicæ Christianæ (cùm mo
Societatis exercetur) est vtilissimum.

§. I.

CVRAM hanc & Zelum in tribus nomin
tim rebus ostendebat. *Primùm*, quòd vtile
magni hoc ministerium faceret: ideoq; ho
debat, eandem opinionem, & æstimationem om
nibus Societatis hominibus ita imprimere: vt al
illud cum animi voluptate exercendum adspira
rent: eosq; adiuuarent, qui re ipsa in eo iam occu
parẽtur. Et quamuis multæ graueſque rationes i
eum finem a Doctoribus afferantur, tantùm hic
insinuabo, quod Pater Balthassar sentiebat, dice
batque, exaggerans, quantum referat literarum
Eruditionem cum bonis moribus in tenera ætate
coniungere: tam propter ipsorum puerorum vti
litatem; quàm propter parentum, totiusque Rei
publicæ bonum. Nam pueris valde id expedit: eò
quòd & præsens & futurum eorum bonum ex eo
dependeat: illa enim ætas est instar mollis ceræ,
læuis tabulæ, aut chartæ mundæ; facilè enim illis
imprimitur, quod docentur siue in literis, siue in
virtute: idemque faciliùs postea conseruant,
iuxta illud Poetæ: Quo semel est imbuta re-
cens seruabit odorem testa diu: & illud Spi-
a Prou. 20. 6 ritus sancti prouerbium: a *adolescens iuxta vi-
am suam, etiam cùm senuerit non recedet ab ea.*
Corpus etiam ipsum multò aptius habent ad la-
bores & molestias tolerandas in ipsis studijs, &
pœnas propter ea subeundas: sunt etiam instar
terræ virginis, aut nouali, quæ primùm proscin-
dituri

ditur: cuius primi fructus sunt valde pingues & fertiles: & quamuis eueniat aliquando, vt adeptam virtutem negligant, faciliùs tamen ad eam redeunt: & sæpè memoria eorum, quæ in tenera illa ætate fecerunt, si ab eis adultiores degenerẽt, facit eos erubescere, & in seipsos reuersos, studiosiùs vitam instituere, cùm facti sunt viri.

PARENTIBVS quoque expedit, vt filij studiosi educentur, vt bonam ipsis & pacatam adferant senectutem: quare ipsimet optare deberent, & operam dare, vt tales haberent filiorum Institutores, qui ipsosmet parentes in hoc munere iuuarent: pudor enim est, quod parentes adeò sint soliciti de honesta filiorum tractatione in cibo & vestitu; & vt communes statûs & gradûs sui mores imbibant, & humaniores literas discant: tantoque studio diuitias multas pro illis thesaurizent: tam parui verò faciant, quòd studiosos mores non addiscant: quare vereri meritò possunt, ne pereant, graueméque ipsis senectutem adferant: quemadmodum panes, si, dum in furnum mittuntur, incuruentur: non est modus eos, postquam sunt cocti, rectificandi: & Sapiens dicit: b *qui delicatè à pueritia nutrit filium suum, postea sentiet eum contumacem.* b *Prou.* 29. 21.

REIPVBLICAE quoque valde interest, nã sapientes Studiosi fermentum sunt ciuitatis; & sal, quod illam à corruptione & periculis præseruat: c *vir pauper & sapiens* (ait Ecclesiastes) *liberauit per sapientiam suam vrbem* ab hostibus *vallatam.* Quam ob rem in vniuersale bonum Ecclesiæ & particularium Ecclesiarum decre- c *Eccles.* 9. 15

Seſſ 23 c. 18. Lateran. ſub Leone 10. Seſſ 9. de Reform. Colon. Moguntí.

decreuit ſacrum Tridentinum Concilium, (quod etiam ſtatuerunt alia Concilia:) vt ſingulæ Cathedrales & Metropolitanæ teneantur Collegia aut Seminaria erigere, in quibus adoleſcentes 12. iam annorum & vltrà, educentur in litteris & eruditione per aptos ad id muneris Magiſtros. Huiuſmodi etiam curâ cõmendarũt valde Plato, Ariſtoteles, alijque Philoſophi gentiles in vtilitatem & bonum ſuarum Rerumpublicarum; Et Plutarchus præclarum edidit tractatum de bona filiorum educatione, in quo ait: quemadmodum ſtatim atque naſcuntur infantes, neceſſe eſt corporis membra benè componere vt rectà & æqualiter creſcant: ita oportere eorum mores dirigere & componere, vt in bonos ciues euadant.

HAEC ſumma eſt rationum, quibus P. Balthaſſar hoc miniſterium valde commendabat, quod noſter S. P. Ignatius diuino Spiritu impulſus toti Societati maiorem in modum commendauit. Vt autem cum maiori ſuauitate noſtri illud exercerent, ſecũdum addebat, quod diximus excitando, & his alijſque rationibus animum addendo ijs, qui aut ad id muneris erant deſtinati, aut iam illi vacabant. Habebat enim magnam rationem commoditatum eorum, in omnibus locis publicis eos honore afficiebat: & quamuis inferiorum claſſium Magiſtri eſſent aliqui in Societate Tyrones, quos domi ipſe mortificabat, in claſſibus tamen ipſis eos coram diſcipulis honorabat, & volebat magni ab omnibus fieri, & vt par eſt æſtimari: eò quòd labor illorum ſit cum minori mundi huius applauſu, ſed cum maiori fructu. Et ſi, vt oportet, munus hoc præſtent, plures animas lu-

mas lucrantur, & ad Christum sequendum trahunt, quàm Concionatores eloquentia suarum concionum. Singularibus quoq; monitis, ac documētis eos instruebat, vt sua officia vtiliter præstarent; proponens eis ante oculos Societatis Institutum, & Scopum, quò illa tendit, propinare scilicet iuuentuti Christianas virtutes, simul cum lacte bonæ doctrinæ: ac propterea cupit eos iuuentuti Magistros præficere, à quibus doceatur, non minus dum illos conspicit, quàm dum audit; hoc est, qui non minus sanctæ suæ vitæ exemplo eam ad virtutem sequendam impellant, quàm scientia, & eruditione literis instruant. Pueri enim faciliùs mouentur ad sequendum quod vident; quàm quod tantùm audiunt: quare si Magister aliud dicat, aliud faciat; benè loquatur, sed malè agat: discipuli sequūtur malū, quod vident; parui facientes bonū, quòd ab illo audiunt. Huc spectat illa Plinij iunioris sentētia: filium tuū trade Præceptori, à quo mores primùm, mox Eloquentiam discat, quæ malè sine moribus discitur: & S. Bernardus de S. Malachia narrat, quòd cùm iuuenis esset, nunquam potuit persuaderi, vt cuiusdam Magistri scholam ingrederetur, eò quòd semel vidisset eum aliquid quod non decebat facientem. Quamobrem etiam P. Balthassar valde Magistris cōmendabat, vt attenderent, darentq; operam, vt discipuli præscriptum à Societate ordinem in ijs, quæ ad mores pertinent, exactè seruarent; qui ferè est idem cum eo, quem Tridentinum concilium seruandum proposuit in suis seminarijs: ad quod etiam iuuaret, legere Tractatum sancti Bernardi de ordine vitæ, siue de doctrina puerorum; & si-

Epist. ad Cārelliam Hispullam.

vbi suprà.

milem, quem edidit Gerson de trahendis puer
ad Christum. Ac deniq; ob oculos illis ponebat
ingens præmium, quod à Domino nostro tum in
hac vita, tum in futura poterant sperare: si enim
temporalis infantium educatio illi est accepta, d
d *Exod.* 1.20 remunerauit d *obstetrices AEgyptias*, eò quòd pu
eros, filios Hebræorum seruassent à morte, quam
Pharao Rex Tyrannus inferri eis iusserat: quan
tò magis remunerabit obsequia eorum, qui filio
rum Christianorum curam gerunt, quos in virtu
tibus educant: operam dantes vt eos ab spiritua
li morte, quam Dæmon eis inferre molitur, eri
piant?

AD confirmanda quæ diximus de cura & Zelo Patris Balthassaris, referam hîc Caput quod
dam litterarum, quas dedit ad Patrem Ioannem
Bonifacium, qui huic ministerio se dedicauerat,
in quo exercendo vltrà quadraginta annos cum
magno fructu perseuerauit, etiamsi Pater noster
Generalis illum in initio ad studia Theologica
(ad quæ non vulgare talentum habebat) inuita
ret. Nam pro humanitate illa sibi oblata gratias
agens, eam tamen non admisit: hac igitur occa
» sione Pater Balthassar hæc ad illum scripsit: So
» licitus eram de Electione à Patre nostro Genera
» li Reuerentiæ Vestræ oblata: sed magnum mihi
» fuit solatium, quod elegerit in isto ministerio
» pergere: in ea siquidem Professione cum maiori
» securitate R. V. operabitur suam & multo
» rum salutem, qua magis opus habet; quam
» Societas ipsa eiusdem Theologia; ad quam se
» ctandam, si desiderium altioris nominis, & Opi
» nionis impulerit, meminerit bonum esse, quod
iam

iam habet; illudque non debere à Religiosis quæri, sed se ipsos abijcere: quod si illud eis expediat, dabit illud Altissimus, qui nouit humiles erigere, & extollere: quare talis R. V. in Societate habebitur, qui reiecerit, quod multi solicitè quærunt: cùm illud in manibus suis haberet. Quod verò attinet ad hoc munus hic vel alibi præstandum, vt non nocet, si Superioribus proponatur, ita absque vlla comparatione est melius, in vno loco cum magno suo solatio conquiescere, donec Deus Angelum suum mittat, qui serui sui mutationem ad locum alium instituat: vt saltem sic, qui vita sua approbet vitam Christi D.N. qui vbicunque eum Patris sui ordinatio cõstituebat, ibi persistebat, donec ab eiusdem ore audiret *reuertere*, à quo prius audiuerat, e *fuge*. Hanc veritatem credat R. V. ab eo, qui ex corde illam in Dño amat; & qui pro eiusdem bono libenter eius præsentia caret; bonoq; nomine & auxilio, quod ex tali Patre Collegium hoc Metinense habere potuisset. Hoc dicebat P. Balthassar, eò quòd Bonifacius tunc Abulæ doceret: sed optaret Metinã migrare, vbi ille erat Rector, cupiens sancta eius gubernatione frui: fidelis tamen Consiliarius potius respexit bonum consulentis, quàm propriam vtilitatem; cupiens omnes Societatis operarios, munijs suis cum magno solatio, & quiete attendere in loco, in quo Deus illos collocauit.

e *Matt. 2. 13. 20.*

SED, vt ad institutum nostrum reuertamur, nõ satis habebat Pater Balthassar, quòd Magistros ipsos ad suum munus rectè præstandum exstimularet; sed specialem etiam curam gerebat ipsorum iuuenũ: quibus non solũ curabat fieri spirituales

exhortationes sextis Ferijs, iuxta Regulam
præscriptum, sed ipsemet interdum eas habebat
capacitati quidem, & necessitati eorum acco
modatas: sed cum eodem spiritu, quo eas ad
lios habebat: vt sic intelligerent, ad obtinendum
quod quærebant, non satis esse Magistros hab
bonos, eosq; multum laboris, ac industriæ ad
adhibere, nisi & ipsimet iuuenes magnũ animi
ac diligentiam adhiberẽt. ad quod valde illos
stimulabat, dicens: si vos tales eritis, quales me
tò esse debetis, nec ipsæ quidem stellæ pulchr
res & splendidiores in cœlo apparent, quàm vo
eritis in terra. eritis enim tanquam stellæ in m
die, quarũ si vel vnica in cœlo conspiciatur, m
do adfert stuporem: ætas vestra tenera, amabi
innocens, multisq; bonis referta, instar est sem
tis, virtute continentis arborum ipsarũ magnit
dinem: quam ob rem nunc discite, quod mag
vobis honorem, summam vtilitatem, perpetu
solatium est allaturũ. Conijcite oculos in puer
los veteris, & noui Testamenti, ab infantia bene
instructos, qui postea in viros valde sanctos ev
f Tob. 14. serunt. Tobias f *cùm esset iunior, nihil tamen pueri*
gessit in opere, ac propterea timorem, & amorem
Dei in medijs tribulationibus conseruauit. S. Ni
colaus, & S. Thomas ab ipsis maternis vberibus
liquot cœperunt pœnitentiæ & virtutis exer
tium habere: & par est vos etiam à tenera ætate
g 1 Tim. 4. 12. eandem viam aggredi. Et S. Timotheo scrip
Apostolus, ita grauiter vitam tuam instituas, ne
adolescentiam tuam contemnat; sed *fidem, & cha*
tatem erga Deum serua: *castitatem* & puritatem
erga te ipsum; humanitatẽ & integritatem in ve

bis & conuersatione tua erga proximos: quare ab illis verbis abstinete, quæ vel irā, vel impatientiā. aut turpitudinem redoleant; prauas Societates euitate, quæ sunt proborum morum venenum.

HVIVSMODI consilia ac documenta tradebat iuuenibus; quos vt recollectiores seruaret, magisque piè addictos ad Virginem sanctissimam redderet, valde fouit eius Congregationes, quæ tunc erigi cœperunt in hac Prouincia; & Villæ-Gartiæ vbi studia hæc valde florere cœperunt, ipso ibidem Rectore, assignauit illis Sacellum quoddam templi nostri; in cuius superliminari scribi curauit sententiam illam ex Prouerbijs: h *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Valde ego mirabar affectum eius ac deuotionem, quæ huic rei attendebat, cùm aliàs grauissimis alijs occupationibus grauaretur. h *Prou.* 31.29

§. II.

EODEM Zelo studuit etiam promouere munus tradendi pueris rudique plebi doctrinam Christianam: quod Pater noster S. Ignatius tanti fecit, vt, ne abiret in obliuionem, aut contemneretur, voluit nominatim eius fieri mēnionem in Votis solennis Professionis. Et constituit, vt Rectores Collegiorum primo muneris sui anno per dies quadraginta Christianā doctrinam traderent, pro bono subditorum, qui in eo Collegio sunt, exemplo, & ad sanctum hoc Exercitium magis excitandum; & ipsis Professis idem fuit constitutum: vt intra primum Professionis annum per quadraginta etiam dies illam trade-

rent, pro bono initio eius quod in Professio-
ſua obtulerunt. Quæ omnia illi fundamento in-
nituntur: quod huiuſmodi puerorum inſtructio
maximi ſit momenti: quam ob rem etiam ſa-
Seſſ.24.c.4. ctum Concilium Tridentinum Epiſcopis com-
miſit, vt curarent in ſingulis Parochijs ſaltem Do-
minicis & alijs feſtiuis diebus, pueros Fidei Ru-
dimenta doceri.

Hoc itaque Zelo permotus P. Balthaſſar, ma-
gni faciens hoc miniſterium, ipſemet (præcipu-
cùm eſſet Villa-Gartiæ) prodibat multis diebus
Dominicis ad veſperam cum pueris ſcholæ Pa-
chialis, & ſtudioſis Collegij, cantando doctrinam
Chriſtianam per plateas, aut iuuentutem ipſa-
ordine ſuo deducendo: & in ipſo foro, aut ad por-
tam alicuius Eccleſiæ valde ſuauiter pueris pro-
ponebat, eoſq; interrogabat doctrinæ Chriſtianæ
membra: ex quibus occaſionem ſumebat ſermo-
& exhortationem faciendi ad conſluentem pla-
bem. Obſeruaui aũt ego cùm interdum illum co-
mitarer, ſemper aliquod admiſcere punctum de
amore Dei, & Perfectione pro ijs, qui eiobtinen-
dæ ſtudebant: aderant enim ſemper aliqui tales in
illo Auditorio. Hoc ipſum etiã præſtabat in itine-
ribus, cũm in aliquib. locis aliquantulum hæreret.
Cũ Prouinciã Aragoniæ viſitaſſet, tranſiẽs per ſu-
patriam Cerueram, paucis diebus, quibus inea
commoratus, exibat cum campanula in manibus
per plateas, vt pueros colligeret, & Chriſtianam
doctrinam eos doceret, quòd cùm in loco illo
nouum valde & inuſitatum eſſet: omnes, qui illum
nouerant, mirabantur: quòd vir adeò grauis, offi-
cium exerceret adeò humile: quod tamen ipſe cu-
hum-

humile, sed excelsum valde iudicabat: ideoq; illud exercere non dedignabatur. Quare eò liberiùs illud etiam alijs commendabat, vt magna cum diligentia illud obirent, & ita singulis septimanis semel ad scholas puerorum accedebat, & Villa-Gartiæ mittebat nos binos ac pedites in diebus Dominicis ad vicinos pagos, vt inde ibi exerceremus: vt sic antiqui, & Tyrones ad Exercitium adeò sanctum valde afficerentur.

CAPVT XXV.

PROFECTIO EIVS ROMANA, & fiducia in Deum, qua se ad eam disposuit, diuinamq; Prouidentiam, & Angelorum custodiam expertus est.

CVM P. Balthassar esset Collegij Metinensis Rector, electus est Anno 1571. in Congregatione Prouinciali Procurator huius Prouinciæ, iuxta morem Societatis: quo singulis triennijs eligitur aliquis quatuor Votorum Professus, qui sit tot Religionis, Prudentiæ & experientiæ dotibus ornatus, vt Prouincia tota meritò possit illi sua negotia committere, vt præsens possit cum Patre nostro Generali ea tractare; ac deliberare, an necesse sit Generalem Congregationem cogere ad vniuersale totius Societatis emolumentũ, cumq; ipse

aliquot ante dies, suspicaretur, se eligendum, valde id timuit: tum, quòd videretur sibi parum aptus ad eius muneris exsecutionem: tum quòd vereretur, ne profectio tam longa ipsum distraheret; ac in feruore Spiritûs, quẽ habebat, torpesceret. In his ergo angustijs recurrens ad Deũ D. N. obtulit se illi, ad quæcunque de ipso statuere vellet, & nominatim ad ipsâ profectionẽ. Fingebat sibi hoc munus instar alicuius ingẽtis arboris, ad quã in humeris portãdã se obtulit, nec ramusculũ, nec foliolũ aliq; eius deponens. Tũc (vt in suo libello ipse notauit) infudit illi Deus tantam internã claritatẽ, vt omnes præcedẽtes tenebras expelleret; & animi debilitates exueret, & sequẽtes
„ has veritates doceret. Si Deus te educit, quid times profectionẽ aut hostes? magnã potiùs gratiam existimare deberes, q; velit ipse Deus tua operari. Quid Moyses perdidit ex eo q; fuerit aggressus, quod ei Deus imposuit, ipse verò tantopere horrebat? & quid est id velle refugere, nisi in eã animi abiectionẽ incurrere, quã Deus in ipso Moyse reprehẽdit, & nolle eũ tibi imperare (& in illã animi imbecillitatẽ, quam ostendit Ierem. cùm dixit: a *A, A, A, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum*? cui respondit Dñs: ego sum, qui ad loquendũ te eligo, & tu nõ scies loqui? & cũ Deus quẽpiam in re aliqua constituit, cui desit peritia ad eam præstandam: Deus eam infundit: si virtus desit, negabit ne illam ei? Moysi deprecanti Officium, quod Deus illi iniungebat, dixit: b *quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum aut surdum, videntem aut cœcum? nonne ego*? multũ lucratus est Moyses quod aggressus esset ex

a Iere. 1. 6

b Exod. 4. 11.

Obe-

Obedientia, quod Deus iniunxit, siquidem ad tã-
tam cum Deo familiaritatem peruenit, qua bea-
tior fuit in terra, & omnibus eius Regibus illu-
strior, sapientior & sanctior. commissum sibi ne-
gocium, fuit illi singularis beneuolentia & fauor
apud Pharaonẽ & eius magnates; & quod Deus
illi esset comes, rectitudo ac securitas fuit in eius
peregrinationibus. Et mox orta in animo meo est
magna interior fortitudo, & fiducia, quod esset
mecum idem futurum, si cum amore & ex Obe-
dientia profectionem illam susciperem: & ita il-
lam ex eo momento acceptaui, & commendaui
Domino, eiusq; Sanctissimæ matri, & Sanctis Pe-
tro, Paulo, & Iacobo Apostolis, & Sancto Anto-
lino: petijq; supplex Spiritum Instituti nostræ So-
cietatis: Qui iter imperat, ipse transitum securum
reddet. Iacobo Patriarchæ in medio itinere, &
cùm valde incommodè haberet, ostendit se Deus,
cælosq; illi aperuit, & fauorem suum promisit;
& qui ex domo paterna discedenti tot contulit
beneficia; ad eandem redeunti, non iam soli vt
prius, sed cum magno comitatu, iterum apparuit:
& mutans illi nomen, tutum reddidit à violentia,
& inuasione, quam à suo fratre timebat. Et quid
Abraham amisit ex eo, quod ex terra sua exierit,
vt obediret Deo? quid Ioseph, eò quod fuerit à
proprijs fratribus venundatus, & humiliatus in
Aegypto? Hæc omnia sunt P. Balthassaris verba, à
Deo ipsi inspirata, vt magnum animum fiduciam-
que conciperet de Prouidentia diuina, si profe-
ctiones, aut Officia admitteret ex Obedientia.
Quare cum magno verborum pondere dicere so-
lebat: excelsum & compendiosum omnium no-

„ ſtrarum neceſſitatum remedium eſſe, diliger
„ Deum, & procurare diligenter illi placere: nam
„ ſic poſſe nos illi fidere: adeò enim ipſe Iuſtos dili-
„ git, vt nolit eos eſſe ſolicitos, aut curam habere
„ de ſuis commoditatibus; ſed vt totam ſuam cu-
„ ram in eam conijciant, quam ipſemet Dominus
c Matth. 6. „ illorum gerit: & propterea illis dixit: c *quaere-*
33. „ *primùm Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur*
„ *vobis.* Si quem habereris amicum adeò vobis ad-
„ dictum, vt in veſtri gratiam veſtiret holoſericis
„ veſtros famulos, eisq; ſplendida exhiberet conui-
„ uia: aliquod ne dubium poſſet vobis ſupereſſe,
„ an vellet ille tantundem vobis præſtare, ſi indi-
„ gereris? non certè. At hoc eſt, quod dixit Chri-
d Matt. 6. „ ſtus D. N. ſi d *Pater veſter cæleſtis lilia agri tam*
28. „ pulchritudine *veſtit, vt nec Salomon in omni gło-*
„ *ria ſua ſic fuerit coopertus*; & ſi auiculas ipſe alit
„ in obſequium hominis: an dubitare licebit i-
„ dem ipſum præſtiturum vobis, quando eo in-
„ digebitis? ô modicæ fidei homines, iſta enim i-
„ nimi veſtri defectio infidelium potius eſt
„ propria, quàm Chriſtianorum: *Scit enim*
„ *Pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indi-*
„ *getis.*

HVIVS Dei Prouidentiæ magnam P. Balthaſ-
ſar experientiam habebat, quâ in ſua fiducia val-
de confirmabatur. Quare loquens de ſuis profe-
„ ctionibus dicebat: experimur Deum non depo-
„ ſuiſſe noſtri curam in diſpoſitione itineris ſingu-
„ lorum dierum, ita enim deducebamur, quaſi à
„ duce Angelo, cum ea itinera non præueniſſe-
„ mus, neq; in eis conueniens alimentum nobis de-
„ eſſet: quamuis particula aliqua crucis Chriſti no-
bis

bis obtigerit in laboribus & hospitijs, & in vsu rerum, quæ erant propriæ pauperum.

SED vbi maximè hanc Prouidentiam est expertus in rebus omnibus corporalibus, & spiritualibus, fuit hæc profectio Romana: in qua Deus plenè præstitit, quod promiserat. Nam faciens iter per Gallias, vbi hæreses insolenter feruescebant; & vbi postea tres alij graues Patres huius Prouinciæ, idem tenentes iter capti fuerunt, & crudeliter ab hæreticis habiti, vt paulò pòst videbimus. Ab his, inquam, omnibus periculis Deus eum eripuit, desiderium q; impleuit, quo tenebatur Sacrum Missæ quotidie celebrandi. Sciuit, & potuit magnum in omnibus suis spiritualibus Exercitijs ordinem seruare; & maiori diei parte, aut etiam toto dum in itinere pergeret orationi vacabat: & Pater Franciscus Vasquius (satis in hac Prouincia, ob singularem suam prudentiam & eximium ad conciones talentum, notus, qui simul cum eodem Patre, tanquam Bœticæ Prouinciæ Procurator proficiscebatur) aduertit, quotiescunque eum aspiciebat, esse recollectum, & quasi in Dei præsentia constitutum; & idem seruauit in ipsa vrbe, in qua noluit distrahi excurrendo ad videnda curiosa, quales sunt multæ in Vrbe antiquitates: Sed tempus, quod alij in ijs rebus consumebant, expendebat ipse in prolixa oratione apud Sanctorum corpora, quos visitabat. Et quoniam adeò rara præbebat sanctitatis exempla, effecit Deus, vt omnes illum honorarent, ac venerarentur. Optabant illũ ibi manere, vt Rector esset Magisterq; Tyronũ: iudicãtes benè collocatũ fore in capite illo orbis,

eum

eum qui caput esset inter Tyronum Magistros, qui tunc essent in Societate. Sed vir sanctus stationem illam adeò publicam fugiens, demissè excusauit se. defectum prætexens, quem suæ Prouinciæ esset allaturus. Ideoque P. Franciscus Borgius, tunc Societatis Generalis, cuius insignis sanctitas & spiritus toti mundo valde est nota, illum permisit redire: tantiq; illum fecit, vt non solùm multa ad vniuersale Societatis bonum spectantia cum eo conferret; sed interna etiam, & spiritualia, studendo penetrare, quantum Deus rerum illarum ei communicasset.

IN reditu etiam internæ eius perfectionis experimentum accipere voluit P. Iacobus Mironus, Assistens eiusdem P. Generalis Francisci Borgij, qui Pij V. Pontificis iussu veniebat in Hispaniam cum Cardinali Alexandrino eius Nepote ad grauissima Ecclesiæ negocia, cui P. Generalis cùm non posset ipsemet omnes Hispaniæ Prouincias visitare, constituit P. hunc Mironum, Lusitaniæ Visitatorem, cuius antea fuerat Prouincialis. Hic, inquam, Pater constitutus Superior omnium è Societate, qui tunc illud iter in Hispaniam faciebat, præ alijs affectus fuit valde ad P. Balthassarem, ob insignem eius sanctitatem: apud quē valde contendebat, vt socius eius esset in illa Visitatione: quod tamen ille demissè valde recusauit, asserens, se magno desiderio teneri ad quietem suam Metinensem redeundi, vt odore illo recrearetur, quem Probatio ex se afflaret, per Nouitiorum feruorē: nam id plurimùm conferre ad excitandam animam à torpore: & Officium Magistri Nouitiorū aptissimum esse omnium, quæ sunt in Societate, ad red-

ad reddendum hominem sanctum. Hoc responsum audiens Pater Mironus experiri voluit, & clarius cognoscere virtutem P. Balthassaris, & ita illi dixit, vt benè attenderet occasionem illam, qua eius tunc esset socius, magni esse momenti: nam posse illum variarum Prouinciarum cognitionem & notitiam acquirere; & cùm ipse Romā cum Patre Generali reuerteretur, maneret, tanquam Superior & Visitator omnium. cui P. Balthassar subridens respondit: O mi Pater, si scires paruam meam ad huiusmodi officia propensionem, & repugnantiam, quam ad illa sentio; & quanto pluris faciam per totam vitam in aliquo angulo ad odorem Nouitiatus manere: non me ad talia officia inuitares; quo responso accepto, miratus P. Mironus destitit à sua petitione.

SED audiamus rarum quendam casum, qui in reditu ex vrbe, transeunti per Gallias ei euenit; in quo paternam suam Prouidentiam Deus ostendit, ex ingentibus eos periculis & laboribus eruens. Nam exeuntes post prandium ex quadam ciuitate, & ituros ad aliam quatuor milliaribus distantem, aliquis eos monuit, ne viam Montanam tenerent, eò quòd ibi essent grassatores; sed per quædam prata & lacum, siue paludes aquis plenas, per quæ loca tutò pergere possent. Peruenientes igitur ad prata, & aquam ingressi cœperunt bestiæ, quibus insidebant, mergi vsq; ad ventrem: & iudicantes, impossibile fore tantum spatium, quod supererat ita pertransire: siquidem initio aqua esset adeò profunda, vt timentes lamam aliquam, quæ necessariò videbatur ibi futura, hærerent omnes dubitantes, quid facerent: &

tunc

tunc vocem audiuerunt pueri cuiusdam adripa existentis ac dicentis: quod non bonam viam tenerent; sed vt declinarent ad semitam, quæ erat circa lacum versus montem. Sed inceperunt dubitare, an fortè Deus illis hoc significaret, ac propterea expediret, semitam illam tenere; an forte puer ille submissus esset à Prædonibus ad illos decipiendos, quod re ipsa ita erat. quare ex Dei inspiratione decreuerũt inceptum iter tenere, quibus augeretur timor periculi imminentis, cùm viderent per eundem lacum venientem quandã nauim in qua multi erant remiges, rubris vestibus induti: quo recedẽtes à parte montis versus ipsos nauigabant: quare etiam timebant, ne illi essent prædones quos volebant vitare: qui aduertentes, ipsos nõ tenuisse semitã, veniebãt, vt liberius ipsos in medijs aquis spoliarent. Sed timor hic mox euanuit: quia viderunt, illos ad terram descendisse, & in alio itinere progressos. Solùm itaque timebant, ne fortè adhuc aberrarent: qui metus, quò vlteriùs progrediebantur, eò magis crescebat: adeò, vt cùm medium circiter milliare per aquam essent progressi, iudicabant, temerarium esse, vlterius progredi; & ita decreuerunt per eandem viam retrocedere. Sed tunc viderunt Equitem valde splendidum venientem versus ipsos, per eandem viam, qua ipsi venerant; & ita per aquam currentem, atque si per terram curreret, qui ad ipsos perueniens, humanissimè eos salutans dixit: vt ipsum absque vllo metu sequerentur, nam se optimè tenere viam, & ipsos saluos deducturum. Acquieuerunt ipsi, adeoq; celeriter perrexerunt, vt ante solis occasum ex lacu exiuerint.

rint. Et tunc Eques viam illis indicauit ad locum, quò peruenire cogitabant, nec amplius quàm medio miliari inde distantem, nec vllum esse periculum aberrandi. post quæ verba, omnibus videntibus, Eques euanuit, & aduerterunt, eum neque vlterius progressum esse, nec retrocessisse per aquam, nec ad vnum, nec ad alterum latus declinasse. Quare omnes agnouerunt singulare Dei beneficium, & aliquantulum hæserunt, gratias illi agentes. Aliqui fauorem diuinum hunc tribuebant sanctitati P. Mironij, quæ verè erat magna, & ille maximè instabat, vt per lacum progederentur. Alij verò tribuerunt P. Balthassari, & continuæ eius orationi: par est autem credere Dominum nostrum vtrique fauorem hunc exhibere voluisse, quorum oratio, vtpote valde iustorũ fuisset adeò benignè in eius conspectu exaudita, adiuuantibus tamen etiam orationibus reliquorum sociorum, cum ipse Saluator dixerit; e *quando duo vel tres consenserint super terram de omni re quamcunque petierint*, eam obtinebunt *à Patre cælesti*. Sed non licet dubitare, Orationem P. Balthassaris, & fiduciam; quam de diuina Prouidentia ille habebat, magnum locum habuisse in fœlici hoc euentu, quãvoluit Deus nũc ostendere, quẽadmodũ fecit in alia huic simili occasione, cùm ipse P. rediret ex Visitatione Prouinciæ Aragoniæ, vt postea videbitur. Nec dubitari potest, quin Eques ille fuerit Angelus Dei, habitu dissimulato: cum Angelis Custodibus hoc munus inter alia valde conueniat, iuxta illud Dauidis: f *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem*

e Matt. 18. 19.

f Psal. 90. 11.

pedem tuum. In his autem omnibus ex eo con-
mor, quod tunc temporis P. Balthassar singular
habuerit erga SS. Angelos deuotionem, vt app
ret, ex singulari quodam sensu, quem 22. Decem
ipsiusmet anni 1571. quem ipse his verbis re
„ Cùm essem in oratione matutina hoc in me
„ dium Deus ostendit, quod ego singularis eius
„ uoris loco habui. quod scilicet singulariter vi
„ me inclinauerit ad Reuerentiam Angelorum,
„ ius scilicet qui Beatissimæ Virgini Incarnation
„ filij Dei annunciauit; & eius, qui ipsi Christo
„ sionem in horto oranti eum confortando pra
„ xit; & eius, qui æterno Patri Sacrificium al
„ quotidie præsentat; tanquam medium æstima
„ nis & reuerentiæ his ministris habendæ. Item
„ de propendi ad tres alias eorum Societates,
„ scilicet, qui Christo D. N. oranti, pugnanti, &
„ facienti astiterunt; & in eisdem tribus rebus
„ Iustis assistunt; Angelis item meorum officio
„ Custodi animæ meæ, & particularibus Patrum
„ Fratrum, qui meæ curæ cõmittentur. Et ab ea
„ ra agnoui me teneri ad particularem eorum
„ uerẽtiam, ex Obedientia Domini, credens ipsi
„ omnibus illis me commendasse speciali suo
„ & imperio. Cùm igitur S. hic vir adeò fuerit A
gelis piè addictus; & ei, qui Christum D. N. in
itineribus ducebat, & nunc iustos ducit in ipso
profectionibus: non mirum est, si aliquis eor
venerit ad eum in hoc itinere ducendum, & in
liquis, ita vt singulorum dierum itinera ita exp
dita haberet, quasi Angelus aliquis ea dirigere
vt suprà retulimus.

SED non decet præterire absque magna con-
deratio-

deratione duos titulos, sive nomina hîc ab ipso insinuata, ob quæ tenemur ad hanc deuotionem, & reuerentiam nostris Angelis exhibenda. Vnus titulus est, eò quod Deus D.N. id velit, ac præcipiat; quemadmodum enim diuina eius Maiestas Angelis suis mandat, vt nostri sint Pædagogi, & custodes: cui vt obediant, id faciunt cum summo amore, ac diligentia: ita etiam iubet, nos eos amare, venerari, eisq; tanquam Magistris nostris parêre, sequentes ipsorum directionem, & inspirationem in vtilitatem nostram tendentem. quemadmodum Princeps, qui iubet Pædagogum sui filij curam gerere, etiam iubet filium eidem obedire. Alter titulus est, ob ingentia bona quæ ab ijsdem Angelis accipimus, quæ maiora sunt, quàm cogitatione assequi possimus: quare lege gratitudinis tenemur eos diligere ac venerari, tanquam insignes adeò nostros benefactores. Quare omnes idem Angelo nostro dicere possumus, quod Tobias dixit suo, scilicet Raphaeli à quo mirabiliter deductus fuit in quadâ perfectione: g *Si me ipsum tradam tibi in seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Et quid mirum quod terrestris homo, tanquam seruus obsequatur cœlesti Principi: cùm ipse existens Princeps cælestis, dimittat se, vt Pædagogus & Custos sit hominis terrestris?

g Tob. 9.3.

(***)

T CAPVT

CAPVT XXVI.

VISITAT DOMVM LAVRETA-nam; & fert secum Exemplar Imaginis S. Luca depictæ; & magnam ostendit erga Virginem sanctissimam, aliosq; Sanctos deuotionem.

DVo fecit P. Balthassar in hac sua Romana profectione, in quibus magnam ostendit deuotionem erga Virginem Sacratissimam, per quam singularia à Deo Domino accepit beneficia, quemadmodum alii Sancti, qui eidem Virgini piè addicti fuerunt: ea enim suprema hæc Virgo tanquam collum mystici Ecclesiæ corporis, per quod, ipsa intercedente, caput eiusdem corporis Christus D. N. magnam cœlestium donorum copiam fidelibus suis largitur, ijs præcipuè, qui in vitæ puritate, in doctrina & scientia spiritus eminent, cùm feruenti Zelo animas iuuandi: qui a *quasi stellæ firmamenti fulgent in perpetuas æternitates.* Ex his stellis corona illa conficitur Reginæ cælestis, per b *mulierem* illam in Apocalypsi significatæ, quam S. Ioannes vidit, habere *in capite suo coronam stellarum duodecim*: nam quemadmodum boni discipuli iuxta Apostoli sententiam, c *gaudium* sunt *& corona* sui Magistri, ita hi Sancti sunt corona Sacratissimæ Vir-

a *Dan.* 12. 3.

b *Apoc.* 12. 1.

c *Philip.* 4. 1.

mæ Virginis, vtpote omnium Magistræ, à qua inspirationes, & stupenda sensa accipiunt, eorum, quæ in eius obsequium facturi sunt. Et quamuis d *Draco* ille *magnus habens capita septem, cauda sua traxerit tertiam partem stellarum cæli*; contendatq; etiam illas trahere, quæ sunt in corona huius Virginis: illa tamẽ viriliter eas defendit, profundas e *mittens in suis electis radices*. Et qui teneram, substantialem, ac permanentem deuotionem erga eum gerunt, pignus magnum (teste S. Anselmo) habent, quòd sint de numero prædestinatorum, de quibus ipse Saluator ait, quòd f *non rapiet eos quisquam de manu eius, & de manu Patris eius*: ac proinde nec ex corona dulcissimæ suæ matris. Vna igitur harum stellarum fuit Pater Balthassar, qui ab ipso Tyrocinio, singulari deuotione fuit supremæ huic Virgini addictus, cuius Officium tanta animi teneritudine recitabat, vt Pater Gaspar Astetus eius Connouitius, simul idem Officium cum eo recitans, obstupesceret, videns eius spiritus consolationem, & eleuationem, cùm ad aliquos versus perueniebat: in qua deuotione adeò semper proficiebat, vt infernalis ille Draco, rabie quadam actus, quod in eo tantam videret deuotionem; omnem conatum adhibuerit, vt illum deijceret, ac prosterneret, horrendas illi tentationes suggerens, vt à familiaritate cum Deo & Sanctissima eius matre deterreret. Et cùm Pater in oratione existens, hunc hostis conatum animaduerteret, dixit ei Dæmon apertè: remitte tu, & ego remittam; præcipuè, vt istam deuotionem dimittas, quam habes in istam mulierem,

d *Apoc.* 12.4

e *Eccl.* 24. 13.

Lib. de excellentia Virgi. c. 4.

f *Ioan.* 10.28

quam Mariam appellant. Ex quo apparet, quàm
esset grata Deo viri huius oratio; & quanta eiusdem ad Virginem Sacratissimam deuotio, quam Sathanas tanto odio prosequebatur. Sed hoc ipsum amplius Patrem exstimulabat, ad perdurandum, & amplius in ea crescendum, nullam prætermittens occasionem, quæ ad eum progressum occurreret.

HINC factum fuit, vt cum in profectione Romana magna animæ suæ consolatione sancta loca visitasset ipsius vrbis, & aliarum Ciuitatum, per quas transire contingebat, valde cuperet etiam visitare sanctum locum Lauretanum, in quo est ipsamet domuncula, in qua Sanctus Gabriel Angelus Virgini Sanctissimæ annunciauit Incarnationem filij Dei, & altissimum hoc mysterium in eius purissimis visceribus est peractum, & vbi illa cum suo sponso Sancto Ioseph, & Sacratissimo suo filio, postquam natus fuerat in Betlehem, & in templo Hierosolymitano præsentatus, mansérunt, antequam in Aegyptum fugerent; & post reditum ex Aegypto per multos annos. quæ domus miraculosè fuit per Sanctos Angelos Lauretum, vbi nunc est, translata, habeturque iure optimo, quasi vnus ex locis sanctissimis, qui sunt in orbe; & ita frequentatur ab omnibus piè eidem Virgini addictis, à qua ibidem magna beneficia & fauores accipiunt: & Pater Balthassar accepit, quàm diu ibi cum solito suo feruore, & Orationis continuatione hæsit: & quamuis ipse id occultauerit, sicut multa alia: possumus tamen aliqua deducere ex ijs, quæ idem Pater paucis post annis

annis insinuauit, cum Vallis-Oleti, quasi ad Extremum, ex graui quodam morbo decumberet. Cùm enim Pater quidam illi ostenderet Sacratissimæ Virginis, & gloriosi eius sponsi S. Ioseph imagines, suaderetque vt glorioso illi sancto se commendaret, respondit ægrotus, optimè dicis: sic enim hæc Domina (indicans Virginem sanctissimam) mihi dixit. Pater autem ille admiratus ex tali responsionis genere, accessit ad socium itineris eius Romani, fratrem scilicet Ioannem Santium (hominē magnę Religionis & Orationis quā hauserat ex sancti huius Patris continua familiaritate tam in illo itinere, quàm postea longo tempore, & tunc erat eius Infirmarius) eumque interrogauit, an aliquid sciret de P. Balthassaris deuotione ad S. Ioseph. Cui frater ille respondit: quodam die mane, postquam Pater in Lauretana domo suam orationem habuisset, cùm exiret extemplo dixisse ipsi, magnum se concepisse affectum deuotionis ad gloriosum Sanctum Ioseph. Ex quo facilè intelligitur iuxta responsum nunc prædicto Patri datum, Angelorum Reginam singularem aliquam gratiam in domo illa sua Patri fecisse, ac tanquam Magistram ea illum docuisse; quæ ad eius salutem & perfectionem multum referrent: & inter alia commendasse deuotionem ad Sacrum eius sponsum: id quod satis apertum indicium est, Patrem multò maiorem deuotionem ad Sacratissimam ipsam Virginem habuisse. Nam quemadmodum, quos ipse Dei filius amat, eosdem impellit ad suæ matris deuotionem, in signum amoris, quem habent in ipsum; & vt ea via proficiant:

ciant: ita eiusdem Domini mater, quos amat, monet, & hortatur, vt concipiant erga suum sponsum S. Ioseph affectum, ac deuotionem, testem amoris, quem erga ipsum habent; & vt deuotio erga vtrumque perfectiores illos reddat.

ALIVD quoque fecit Romæ Pater Balthassar, ad fouendam suam deuotionem erga Angelorum Reginam, cuius imaginem, cum filio Dei in vlnis suis exactissimè depinxit deuotissimus Sanctus Lucas Euangelista, quæ etiamnum seruatur in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris in Vrbe. Pater autem Franciscus Borgius, cùm esset Generalis nostræ Societatis ob singularem in supremam hanc Principem affectum & deuotionem, cùm plurimum apud Summum Pontificem authoritate valeret, eiusque fauorem experiretur, obtinuit facultatem, vt eius imaginis exemplar exactissimum & ad viuum pingeretur; ex quo ipse postea alia multa fieri curauit, quæ ad varia loca deferrentur: vt hæc deuotio in omnibus locis crescceret. Horum exemplarium vnum valde elegans obtinuit Pater Balthassar, secumque tulit ad suam in omnibus periculis protectionem. Et cum Metinam, vbi erat Rector, peruenisset, curauit, pulchrè exornatam in sacello quodam eleganti & capaci collocari, vbi Tyrones ad exhortationes audiendas, & alia exercitia spiritualia peragenda conuenire possent; & sic omnes conciperent magnam erga Beatissimam virginem deuotionem, per quam, obtinerent perfectionem, suæ vocationis propriam. Quod Sacel-

lum

lum frequenter ipſe viſitabat, prolixas in eo coram Sacratiſsima Virgine fundens preces; & interdum totas noctes ibidem manens: ex quo ſuperiùs poſiti ſequebantur euentus. Nec his contentus geſtabat ſecum paruam eiuſdem Virginis Icunculam, in ſignum magni erga illam amoris; & tanquam tutum ſcutum aduerſus tentationes. quemadmodum euenit illi, cùm per ſeptem integras horas in eam oculos ſuos confixit, ne alias mulieres aſpiceret, vt ſuperiùs eſt dictum. Singulariter autem colebat ipſius Virginis ſacratiſſimæ feſta, feruentiori ſe oratione ad ea præparans, in quibus ſingulares etiam experiebatur viſitationes, & fauores internos: quorum vnum tantum hic ſubijciam, quem in ſuo libello ipſe refert, ſic dicens: quodam die Conceptionis Virginis ſacratiſſimæ duo ſum interna ſenſa expertus: alterum fuit, in quo ſupplex Dominum oraui, vt cor mihi poſt tot annos, adeò ad ipſum conuerſum daret, quale Sanctiſſimæ ſuæ matri dedit in primo inſtanti ſuæ Conceptionis in mundo. Alterum fuit, vt quandoquidem ſe ipſum nobis dans, etiam æternum ſuum Patrem, ac dulciſſimam ſuam matrem nobis dedit; cum hac gratia det etiam aliam, vt ſcilicet nos ipſos eiſdem tradat; vt & æterno eius Patri, ac dulciſſimæ matri eam reuerentiam amoremque quem par eſt, exhibeamus. Et ſiquidem S. Ioanni dixit: ecce mater tua; & matri: ecce filius tuus: & ex tunc diſcipulus eam tanquam matrem ſuam habuit: ita nunc eandem det nobis in matrem: Hæc duo ſenſa valde infixa habuit cordi

ſuo, & vt fidelis filius talis matris ſtuduit non ſolum per ſe ipſum eam honorare, eiq́ue obſequi dire; ſed etiam, vt alij idem facerent, contendit.

MVLTVM ad hoc illi contulit magna familiaritas cum P. Martino Gutierrio, qui fuit vnus ex ſtellis ſplendentibus Coronæ ipſius Virginis, ob ſingularem in eam deuotionem, quæ ſæpius illi apparuit, & ſemel quidem gratias ei agens ob quandam quæſtionem, quam ille iuſſerat tractari, in magnum ipſius Virginis honorem: in quam rem etiam P. Balthaſſar operam ſuam contulit; valde cupiens, fœlicem eius exitum habere. Nam cùm Pater Magiſter Ioannes Auila, author libri, qui inſcribitur, AVDI FILIA, in Bætica pro Concione dixiſſet: gratiam Virginis Dominæ noſtræ maiorem eſſe, & copioſiorem, quàm omnium Sanctorum ſimul, tam Angelorum, quàm hominum, qui fuerunt, & erunt: existimantes prædicti Patres, hanc ſententiam (quæ veriſsimum eſt) ad magnam de Virgine Sanctiſſima opinionem, & æſtimationem concipiendam multum conferre, egerunt cum P. Franciſco Suario, (qui tũc ſtudia Theologica priuatim repetebat, viro rari ingenij, nec minus quàm illi ad Beatiſſimam Virginem affecto) vt quæſtionem quandam conſcriberet, in qua oſtenderet ipſe ſententiam illam valde eſſe probabilem, & Sanctorum doctrinæ, rectæque rationi conformem. Fecit tunc P. Suarius, quod præclari hi viri petebant, cum illorum magna approbatione: ſed poſtea eidem quæſtionem fuſiùs amplificauit, & locupletauit in ſecundo ſuo Tomo in tertiam partem

S. Thomæ,

S. Thomæ, vbi magni sui ingénij ac deuotionis vela fœliciter expandit, ostendens & firmans ac extollens gratiam, & excellentias sacratissimæ Virginis. *Disput. 18. Sect. 4.*

AEQVVM etiam erit, sancti hujus viri pietatem, ac deuotionem in ea profectione perpendere; non solùm erga S. Ioseph, quæ fuit magna; & erga Angelos, de qua proximo capite diximus: sed erga reliquos etiam Sanctos, quorum sepulchra visitauit, ac veneratus est, supplex eorum petens intercessionem: quam etiam habebat, ad Sanctum, cuius ipse nomen gerebat; & ad Patronos Regni aut loci, in quo manebat; & ad alios ex impulsu Dei. Cum quibus dicebat, duplici ratione agi, quemadmodum cum intimis & familiaribus alicuius Principis: aut loquendo scilicet cum eis, & orando, vt pro nobis intercedẽtes, à Deo quod optamus nobis obtineant; aut memorialia & petitiones eis offerentes, in quibus sermo fiat non cũ eis, sed cum ipso cœli, terræque Principe: vt libentiùs ille per eorum manus, quam per nostras admittat: & hac ratione orationes offerrimus Pater Noster & Aue Maria, & similes, quasi memorialia, quæ illi diuinæ Maiestati tradant, & vtroque modo egit Pater Balthassar cum Sanctis, à quibus magnos obtinuit fauores, & beneuolentiam, vt videre licet in ijs, quæ scripta reliquit, in quibus insinuat spiritualia sua sensa: nam ad finem eorum, admirans ingens bonum, quod repẽte adeò sentiebat, non suis meritis, sed Sanctorum intercessioni illud tribuebat, in cuius celebritate, Ecclesia, aut loco sibi dabatur; gratiasque pro ea humanitate & fauore illis agebat. Cuius rei hoc

tantum Exemplum subijciam, quod euenit die
mo quinto Octobris, Anni 1574. euigilans cu
quodam die manè dulcis valde, ac suauis cu
quadam cogitatione, ac sensu, qualem nunquam
in sua vita fuerat expertus, agnouit, quid fu
nima aliqua cum Deo, & quid sine illo. Et cùm
Cap. 39. quod senserat, explicuisset, (quod in Capi
de Humilitate reddemus) hæc subiungit: cog
„ tans, cui nam ego singularem hanc visitationem
„ deberem, incidit mihi Sanctus Millanus, cui
„ erat festum illa die; (qui cùm esset Pastor
„ quodam somnio mutatus omninò est, & sanctus
„ effectus) cui ex Dei gratia ante aliquot annos
„ valde fui addictus, ac piè deuotus. Recordatus
„ iam fui matris Mariæ Diatiæ, insignis Dei fami
„ læ, valde mihi Abulænotæ, quæ in eiusdem Sancti
„ templo requiescit. Et statim gratias egi diuinæ
„ bonitati, eiusque Sanctis, quòd ita benignè
„ præuenerit immeritum.

DENIQVE magnam Deus seruo huic suo Re
uerentiam dedit erga res omnes ad Sanctos, eo
rumque sanctuaria reuerentiam: nam cùm de
f Psal. 71. 14 quadã meditaretur verba illa Psalmi: f *honorabi
le nomen eorum coram illo.* Hæsi, inquit, sopitus,
hoc est, magna animi suspensione admirans, cùm
attenderem, rationem & modum illum respectus
ac reuerentiæ, (si ita loqui fas est) quam illa ma
gni Dei & Domini nostri maiestas ad seruos suos
habet, & cum illis agit; etiam cum illos suorum
defectuum monet, aut propter eos reprehendit,
didici ergo ab illa maiestate, magna eos reuere
ria prosequi. Et iterum dicit: Sanctos esse tanquam
luminaria multa coram sanctissimo Sacramento,
& re-

& radios veri Solis Iustitiæ; stellas firmamenti; torrentes magni fluminis fluentis ex sede Dei; palmites vitis Christi D. N. de quibus nunquam loquendum nobis esset sine lacrymis, eò quòd mala nostra vita, qua ab illorum moribus degeneramus, illos confundimus: & meritò deberemus erubescere, quòd aliquæ teneræ & imbecilles Virgines tantũ habuerint cordis & animi, vt excellẽter adeò saluarentur; nos verò tam procul ab eis retroque maneamus.

CAPVT XXVII.

MANET IPSE LOCO PROuincialis Romam cum duobus alijs Patribus proficiscentis: qui capti fuerunt ab Hæreticis, pro quorum redemptione multum ille laborauit.

VM P. Balthassar in Metinensi Collegio quiete illa adeò sibi chara frueretur, venerunt Anno sequenti noua de obitu Patris Generalis Francisci Borgij, sanctæ memoriæ: propter quam causam necesse fuit, Prouincialem Congregationem haberi, in qua pro more Societatis tres eligerentur Romam profecturi, ad noui Generalis Electionem. Ea Congregatio facta fuit Burgis, in qua

ANNO 1573.

qua præter P. AEgidium Gonzalium Abulen[sem] Castilliæ tunc Prouincialem, electi sunt duo [illi] antiqui, Sancti, valde spirituales, ac prudentes [Pa]tres, & in animarum gubernatione valde peri[tos] & exercitati, Martinus scilicet Gutierrius Do[mus] Professæ Vallis-Oletanæ Præpositus, & Ioannes Suarius Præpositus domûs Burgensis: [et] tunc P. Balthassar Aluarius mansit Vice-Prouin[cialis], cum magna totius Prouinciæ delectatione & satisfactione: erat enim valde notus, & ch[a]rus, & magni ab omnibus fiebat. Fecit officium suum iuxta omnium expectationem & opinionem & omnes cupiebant, venire ipsum ad sua Colle[gia], vt res suas cum illo communicantes consola[rentur], ex magnoque eius spiritu fructum ca[perent]. Sed breui tamen tristitia valde noua [in] Prouinciæ venerunt, quòd scilicet tres illi Pa[tres] cum fratre Coadiutore, qui illis ministrabat [no]mine Iacobus Derius, cùm per Gallias transire[nt] capti essent in Cardellach ab Hæreticis Bann[iti]. Cuius infortunij monitus est P. Balthassar [his] literis, Patris scilicet Ioannis Suarij, cuius sty[lus] semper fuit grauis, concisus, ac sententiosus; [et] Patris Prouincialis AEgidij Gonzalij, qui q[uum] esset vulneratus, fuit in scribendo breuior, [ne]que retulit ad literas sui socij. P. Martinus Gu[]tierrius non scripsit, quia statim in custodia ob[]. Existimaui ad rem fore, si vtrasque literas [] subiungerem: tum vt obseruentur varij modi [] rationes, quibus diuina Prouidentia, in suorum Electorum gubernatione, vtitur: hos permi[]tens incidere in grauia pericula: illos verò [] eisdem præseruans: tum etiam, quod pertinet [] ad [illos]

ad historiam Patris Balthassaris, ad quem fuerunt datæ.

Literæ P. Ioannis Suarij ad Patrem Balthassarem Aluarium.

NON est ignara R. V. consilij amicorum mercatorum, vt iter nostrum per Galliam dirigeremus, quod etiam fuit Victoriæ confirmatum, aduentu D. Francisci Reinosij; & Gallarethæ, vbi vidimus Gabrielem Fonsetium; ac denique Sangerij, cùm iam quinquaginta milliaria in Gallia confecissemus, ex profectione Francisci Retanij, qui omnes per Galliam transiuerant. Sed placuit Domino nostro his Patribus benè merendi occasionem offerre, & mihi patiẽdi, cùm eorum video afflictionem. Moniti fuimus, esse prope viam, quãdam Lutheranorum Arcem, à qua tamen nos per quatuor milliaria discessimus: illi autem per suos exploratores intellexerunt, quatuor Ecclesiasticos Hispanos illac transire; accurrerunt ergo sex illorum Equites benè armati, nosque interceperunt, & comprehendentes ab ipsa via ad quasdam syluas nos deduxerunt, & exspoliarunt, auferentes modicam illam pecuniam quam Lugdunum vsque habebamus. Inde nos ad quorundam amicorum suorum Arcem deducunt, vbi secundò fuimus examinati; & vestibus, libellis, & quibusdam scriptis, quæ anteà nobis reliquerant, spoliati; imò & ipsæ bestiæ puluinaribus, catenis, & stapedis: etiam Breuiaria, ac Diurnalia, Cruces, Imagines, Rosaria, & Reliquias nobis abstulerunt, eaque, non vt par erat;

erat; sed indignissimè, pro more suo tractarunt. Deus me ab intellectûs cœcitate dignetur liberare: quæ valde temerè æstimat, & contemnit; amat ac detestatur; sequitur, ac persequitur bonum tanquam malum, & malum tanquam bonum. Det lumen det illis, vt tenebras deserant, in quibus cæci ambulant: quam apti fuissent Catholici! melius illis fuisset in Ecclesiæ Obedientia vitam agere. Inde nos ad arcem suam præproperè deduxerunt: quorum aliqui nos præcedebant, alij sequebantur, & alij in medio nostri pergebant, verbis nos afficientes iniuriosis, exstimulãtes, & baculis impellentes ipsas bestias, imò interdum etiam aliquem insidentem. Nos interim in ipso itinere defessi fuimus, Deo nos commendantes: & calamitatem illam ac vitam ei offerentes. Agebant inter se, etiam vt audire possemus, an vellent nos occidere, an lytrum quærere? Alij dicebant, permittamus illos redimi; alij: nihil tale, sunt enim Hispani, & Sacerdotes: quorum Rex, occasione nuptiarum suasit Regi nostro, vt Principes nostros, ac Duces occideret; &, nisi huiusmodi Sacerdotes essent; Religio nostra (ita enim suum errorẽ appellant) augeretur, & floreret. Si Inquisitio Hispanica nos comprehẽderet; nullo pretio vellet dimittere. Hic dicebat viginti ego ducatos darem, vt aliquem illorum haberem, quem statim occiderem: ille, ducentos ego, ob similem causam. Cùm ad Arcem peruenimus magni, parui, & medij, viri & fœminæ, etiam pueruli nos interrogabant, an Sacerdotes essemus, an Monachi, an Canonici, an aliquis nostrum esset Episcopus: omnibus autem, quòd verum erat respondebamus,

cum

cum tolerantia, & subiectione tanquam captiui: quisq; illorum iniuriam aliquam, aut contemptũ obijciebat, prout Deus illis permittebat. Fuerunt nihilominus duo viri, & duæ fœminæ, qui compassi sunt nobis dicentes: Deum iussisse, exerceri charitatem erga peregrinos, siue amicos, siue inimicos. Capitanei, præmissa consultatione, decreuerunt, nisi magna summa pro vitæ nostræ conseruatione sibi offerretur, nos occidere. Aliqui quasi occultè ad nos venientes, id significarunt; & paulò post vocamur ad ipsos Capitaneos, vt nobis id apertè diceretur. Nam sola spes magnæ illius sũmæ illos detinuit, ne nos interficerent. Petebant quatuor millia ducatorum, & P. Prouincialis obtulit quadringentos; sed quidam illorum, qui nos cõprehenderant, audiens tã paruam pecuniẹ summam, deduxit P. Gutierrium & me ad quãdã arcẽ, minitans nobis, quod vellet nos ex eius summitate præcipitare. Alius furiosè gladium nudans P. Prouincialem cæsim & punctim percussit: voluit tamen Deus, vt vulnus non multum penetraret, gladio ad latus declinante: & ita vulneratum ad eandem turrim deduxerunt; & in ipso itinere alius minatus eidem est ictus similes prioribus. Cum illo ducebatur Frater Derius, qui quòd ei fuisset compassus idem etiam in turri sustinuit: in qua nos, quasi per quinque horas reliquerunt, excitato tantillo igne ex stramine; & inter quosdam pauperes rusticos illius Regionis etiam Captiuos; erat nobis solatio cum illis esse, cũ videremus eorũ fidẽ, patientiã, & cõstantiã. Cõmẽdauimus nos Deo, Beatissimæ Virgini, Angelis, & alijs Sãctis. Tũc cẹpimus cõsultare, quid nobis esset faciendũ.

Ali-

Aliquis dicebat, non agamus de Redemptio
præstat mori tanquam Christianos, Sacerdotes
hostes Hæreticorum: alius his addebat: tand
aliquando nobis est moriendum, & fortè bre
nec fortè tam oportunā occasionē in vita nos
inueniemus; & vtinam ipsi non obtulissent co
ditionem illam pecuniariam; nam certè occa
est præclara: sed denique non ego sum prome
tus dulcem aliquam & honorificam mortem. D
creuimus tandem, vt offerremus, quod videre
iustum pro redemptione: ne ob miseriam c
pecuniam nos interficiant: quo facto superest
ri pro Christo, cui vitam nostram offerrem
Tandem post multas propositiones & respo
peruenit redemptio ad mille minimum coro
tos, computatis expensis & profectionibus: & l
co coronæ Martyrij deduxerunt nos ad hospi
vbi assignarunt cubiculum vnum, lectum, chir
gos & victum. Non videbatur illis pro quat
hominibus, nostris chartis, & mulabus quar
sufficere eam summam; quia mercator quid
non procul inde captus, pro seipso solo obtul
rat plus quàm mille coronatos: sed primus eor
furor iam remiserat: aduertebant enim vtilio
sibi fore illas pecunias; quàm si furorem suum
nobis exequerentur. Sed & nobis non est vis
fore valde graue Prouinciæ hoc lytrum pro no
stra libertate, & vita: præcipuè cùm istic mul
sint piè nobis addicti, qui bonam partem cens
antur in hunc finem oblaturi. Sed aliud eue
maioris doloris argumentum, quod certè plur
mas lacrymas à me deduxit, quam longo tempo
fleuerim, DEVS illas à me dignetur acceptare

Ho

Hoc autem fuit, quod P. Martino Gutierrio superuenit ingens lateris dolor, ex quo intra dies quinque obijt. Non potuimus illi administrare Sacramenta, nec Missam, & Vigilias dicere, cùm sepeliremus. P. Prouincialis iacebat prope in lectulo quodam ad terram, valdè etiam ex vulnere suo afflictus: Frater Derius & ego illis ministrabamus, non iuxta desiderium nostrum, sed pro vt ibi licebat, subuentum P. Gutierrio est terna sanguinis emissione, & elegmatis siue lambitiuis, & ille exspuebat optimè, in magna copia, sed materiam nigram. Quartò die adeò melius sensit se habere, vt mihi diceret: ex decem partibus morbi videri sibi non superesse nisi vnam. Cùm ergo lætior esset, magnamque spem salutis concepisset, petijt, ostendi sibi, quæ exspuisset: & videns, esse nigra, statim iudicauit imminere sibi mortem. Communicauerat illi Deus ante dies paucos, magnum internum sensum huius veritatis, quod nullum sit bonum, nisi quod est æternum; neque malum, nisi quod æternùm durat: & tunc incidit ei magna quædam animi lætitia, quam, veluti illa sese oblectans, manifestabat, dicens: Sitire, & tantum haurire, vt tibi satisfaciat? ô quid erit! Incepit illi pectus intumescere, & oculi frangi, lacrymulâ decidere: & hora decima noctis, quintæ diei animam exhalauit: quam spero, rectà peruenisse ad cœlum, ob eius magnam virtutem, & insignem doctrinam, bonumq; vitæ exemplum, quod præbuit in Ecclesia, & Societate; & ob fidē, patientiam, & constantiam, quam in hac occasione ostendit: quia tandem obijt suam sequens Obediētiā, præmissa generali totius vitæ Cōfessione;

 & aper-

& apertè confitens coram hæreticis & Ecclesiæ Catholicæ hostibus, se esse filium eius, & sacerdotem in ea: mortuusque est vinctus ab ijs, qui illum detestantur, & persequuntur. vtinam anima mea eò perueniat, vbi eius esse existimo. Solatio mihi erat eius comitatus, speranti DEVM malo me liberaturum propter illum. Eius moribus magnæ mihi fuit desolationi timenti, Deum in pœnam meorum peccatorum illum nobis ablaturum. Suggerebam ei interdum, quædam de DEO, ac de altera vita, quasi oportunè eam memoriam illi reuocarem: Sed fateor me erubuisse, & quadam teneritudine affectum, dum suggererem. confeceram cruculam ex particula ceræ, quę superfuerat: quam illi ad manus dabam vt cum cruce & candela moreretur: dixique animæ commendationem ex paruo Diurnali, et spolijs relicto; & iacui ad eius latus vsque mane absque vllo timore, & potiùs securissimus, & consolatus. Sepeliuimus eum prope quoddam templum, vbi Crux quædam esse solebat, cum lacrymis & orationibus secretis; quia nec nos aliud poteramus; nec homines illi tulissent. Reuerentia Vestra cum charissimis nostris Patribus, & fratribus nostrum hunc defectum supplebit, oblatis Sacrificijs & Orationibus, & aliqua solennitate Exequiarum adhibita Salmanticæ, aut Vallis Oleti: quæ omnia benè ipse est promeritus. Ego postquam Deus ad locum Catholicorum me deduxit, feci quod potui in meis exilibus Orationibus & Sacris quoad licuit. Significaui eius mortem hic, & scripsi Romam, & ad Prouinciales Galliæ, & Belgij, vt suffragia pro illo

illo curent. Etsi enim confidam, illum his suffragijs non indigere: non tamen propterea decet debitum Officium à nobis negligi: & ille in eo loco est, vbi gratum se exhibere non negliget ijs, qui sancta intentione hæc fecerint. Discessus meus inde talis fuit: inuenerunt inter alia scripta schedam crediti siue Cambij, vt Lugduni traderetur P. Gutierrio, aut mihi, aut P. Prouinciali: quorũ alter iam obierat; alter curando vulneri suo attendebat: quare solus supereram, cui pecunia numeraretur. Miserunt ergo me, vt acceptam illis mitterem, aut adferrem. Discedentem comitati sunt me cum quodã suo itineris Duce prope duas Lutheranorum arces. Trãsiui per duo loca, in quibus hærebant milites Catholici; sed adeò pecunijs egentes, vt transeuntes deprædentur, & spoliatos occidant, ne deprehendantur: placuit autem Deó ob suam misericordiam & R. V. orationes: vt quoniam nostra captiuitas iam innotuerat; & pactũ, vt ego pro lytro reddendo proficiscerer: constituerent apud se, permittere me transire donec pecunia accepta reuerterer. Inueni Patrem Edmundum Galliæ Prouincialem; & Rectorem Rotomagensem, decem miliaribus à Cardelach, vbi capti fueramus. Inuenimus tandem, Deo auxiliante per hos Patres lytrum pro nostra libertate. iudicarunt autem ijdem Patres, me non esse aptum, vt illud ferrem; ideoque ipse P. Rector Eques, & quasi Nobilis aliquis armatus discessit heri, qui cùm sit Gallus, linguæ, & itinerum, Patriæq; morum peritus, speramus fœliciter eum rẽ totam perfecturum: & habituros nos hic post nostram Captiuitatem lætũ Pascha: & Deo adiuuãte,

V.que R. sacrificijs & orationibus id impetrate, posse nos Romam adhuc tempestiuè peruenire: cùm sit viginti tantum dierum iter. Deus dignetur ità rem dirigere ad maius ipsius obsequium & gloriam. Amen. Lugduni die 10. Martij Anni 1573.

Literæ Patris AEgidij Gonzalij ad Patrem Balthassarem Aluarium.

IN his reddam R. V. rationem exitûs nostri Captiuitatis, nam de eius initijs non est quod referam, cùm intelligam P. Ioannem Suarium de eo plenè scripsisse. Vsque ad P. Gutierrij morbum quidquid patiebamur adeò erat iucundum, ac dulce, vt magna voluptas videretur, externas illas molestias ferre, cum quibus tanta aderat interior lætitia, ac iucunditas. Morbus qui ab ipso primo die valde periculosus videbatur, cœpit nobis solitudinẽ quandam ac tristitiam adferre. Sed quamuis ipse ęgrotus apertè ominaretur suã mortem, quã ipsa ægritudo satis indicabat: non tamen existimassem, Deũ afflictis tantam additurum desolationẽ, nec tot simul incõmoda deglutiẽda, vt ego aiebam, præbiturũ. Nec scio in viginti retro annis, me aliquid magis optasse, quàm nunc huius Patris sanitatẽ; nec grauiùs aliquid tulisse, quàm eius mortẽ. Plus dolor potuit, quàm ego, vt ordinariam moderationẽ superarit, mihiq; persuadeo, quemcunq; huius spectaculi spectatorẽ, comiturum fuisse lacrymas nostras, quæ etiã ipsos hostes ad cõmiserationem impellebant. Paulò plus, quàm quinquaginta horis Deus hunc Patrẽ ad se voca-

vocauit, generaliter confessũ: sepultus fuit prope Cardellachum, vbi nullum erat Religionis vestigiũ. Sequenti die P. Ioannes Suarius discessit Lugdunũ: & nos hic hæsimus, ego ex vulnere meo in lecto, vbi ex ingenti fętore cuiusdã mulitis grauiter læsi, aucta mihi est febris, & accessit fluxus: vnde notabiliter fui debilitatus. In septimana sãcta surrexi: solatium nostrum erat ascendere sub tectum, vt nos paululum colligeremus, & spiritu interessemus officijs, illius temporis, ac pietati populi Christiani: videntes interim in hospitio illo à mane vsq; ad vesperam vorãtes carnes, & perpotantes absq; vlla tã sancti tẽporis memoria: & ita transegimus dies illos, vsq; ad secundũ Paschatis diẽ ad noctem, quo tẽpore cęperunt augeri labores nostri & calamitates: timebatur.n. obsidio illius loci ab hostib⁹; & videbatur, quasi dies esset nouissimi Iudicij, ex ijs quæ illa nocte, & duobus sequentibus diebus ibi gerebãtur. nos aũt, si locus fuisset obsessus, non aliud quã mortem ipsam exspectabamus. Ideò reliquerunt nos, qui nostri cubiculi curã gerebant, & qui vulneri meo medebatur. Cibus noster erant Castaneæ, & caseus; & post hosce dies in magnis delicijs habuimus bouinam salsam, quotidie timores & præssurę renouabantur, vsq; ad Dominicam Quasi modò, in qua fuit quies, & vulnus meũ, quod iam intus ex concreto purè cõputruerat, iterum aperuerũt, vt curatio de nouo inciperetur. Statim aũt ad initium Aprilis iudicabant Capitanei, nihil se à nobis habituros: ideoq; furiosè ad me venerunt, vt significarẽt, se velle nos interficere: quare sæpiùs de nostra morte consultarunt, per dies aliquot; donec

quatuor tantùm dies nobis prescripserunt, in quibus certi ipsi de nostra redemptione fieri possent, nec vllus inuentus fuit, qui etiam oblato pretio, ex Arce exire, & Rotomagum ire vellet: vt quid fieret, intelligeret: nullas enim literas illic acceperant, nisi vnas à P. Suario. Feria sexta omnem spem humani subsidij deposueramus, ob summas difficultates, pecuniam per tot milites securè asferendi. Et tandem nuncius venit à Rectore Rotomagensi, quo Capitaneus, & qui decreuerant nos interficere fuerant placati, fuit autem dies nona huius. quo tempore, siue malitia, siue ignorantia Chirurgi, femur meum concepit quoddam Apostema, ita vt vix possem incedere; & subsecuta est febris cum magna debilitate. Et tandem voluit Dominus noster, omnes difficultates vincere, ac die decima quarta Lytrum peruenit, non sine magno periculo. & die sequenti lætam omnem faciem nobis ostenderunt: & ipse Capitaneus cum quibusdam alijs nos deduxerunt, & aliquam partem itineris sunt comitati, scientes iam apertè me Religiosum esse Societatis, quos illi, magnos suos reputant hostes. Et vt nostrũ solatiũ aliqua noua calamitate diluueretur, Frater noster Dervis (qui pedes cõfecerat quasi duo milliaria) ob temporis æstum, & itineris defatigationem cœpit ita debilitari, vt omnes redderet valde solicitos, quia locus erat valde securus. Sed Deus breui eũ confortauit, vt potuerimus pergere, vsq; ad vndecimam noctis horam per montes & valles, in nullo loco hærentes ob imminentia pericula, & cum ingenti vulneris mei dolore. Feria 5. ambulauimus tutò per loca Catholica, & Feria 6. mane peruenimus ad loc

ad hoc Collegiũ, vbi iterũ mihi vulnus aperuerunt, vt nunc tertiò curaretur, nam pollex manus satis profundè per illud intrare potest: ideoque cogor hic hærere, vt saner. Non scribo R.V. quas disputationes habuerim cum Ministro in Cardellachio, quas non potui euitare. Ipse legit Cõstitutiones nostras, Regulas, & vitã P.S. Ignatij, quam in fine mihi restituit. Et propter hos libros, & literas P. Ioannis Suarij, postq ãà nobis discesserat, apertè ei dixit, me esse de Societate Iesu. Sit Deus in omnibus benedictus, multũ procul dubio nobis profuerunt apud Deũ Orationes totius Prouinciæ, siquidẽ nos adeò benignè suauiterq; tractauit. mihi aũt crux quidem & pudor est, quod cùm sim inutilis, adhuc sim alijs adeò grauis. Non licet nunc esse prolixior: quia adhuc nocet si scribam. Toti Prouinciæ, cuius semper sum memor, sæpiùs me commẽdo; idemq; facit Frater Derius. Deus omnibus sanctum suum concedat amorem. Rotomagi 22. Aprilis. 1573.

HÆC sunt horum duorum sanctorum virorum literæ, quos his calamitatibus Deus voluit exercere; sed ex eisdem eripuit, vt ad labores alios non minus graues disponeret. Sed sanctum Patrem Martinum Gutierrium voluit hac occasione remunerare, educens eum non solum ex ferreis compedibus; sed etiam ex carcere corporis ad cõfitendum sanctum nomen eius, & fœlici beataq; eius visione fruendum, quam tantoperè cupiebat. Mortis etiam ratio fuit eius desiderio conformis, instar scilicet Martyrij, quemadmodum testatur ipse Pater Ioannes Suarius: eò quòd prouenerit ex ictibus, & percussionibus, malaque tractatione

hæreticorum, Catholicæ fidei hostium, quam ipse publicè profitebatur. Cùm enim P. ipse Martinus debilioris esset complexionis, quàm alijmalius incurrit detrimentum; & cùm esset Beatissimæ Virgini addictissimus, illa eum præuenit ad hanc pressuram. nam propè locum, in quo fuerunt capti, descendentes ex suis iumentis, accesserunt ad quoddam sacellum Beatissimæ Virginis, quod in ipsa via erat, vt orarent. Et ibi illa ei reuelauit fore, vt intra dies octo moreretur. Nec post mortem eum deseruit. nam, cùm die Sabbathi secundâ hora matutina obijsset, ingressa est in cubiculum fœmina quædam gallico habitu induta, sed honestissimo, cũ tamen transiuisset prope ipsos milites, & custodiã Gallorũ Hugonotorũ: & locuta est cum P. Ioanne Suario (qui hæc retulit) eumque interrogauit lingua, quam Pater intellexit: num alicuius mortui corpus ibi haberent, & an esset decenter coopertum: cumque verè non esset aptè tectum, eduxit illa mundum linteamen, quod gerebat sub axilla, & illud honestè, valdeq; cõmodè inuoluit, suamq; benedictionem ei impertiuit: & Patri gratias ei agenti, & aliquã solutionem offerenti respondit: non propterea veni, & statim euanuit. Omnes autem, qui eam viderant, persuaserunt sibi, eam fuisse Virginem sanctissimam, aut certè ab ea missam in subsidium seruorum eius viuentium, & necessitatem defuncti. Sepelierunt eum extra Oppidum prope quandam Crucem, quæ stabat è regione cuiusdam templi. Fuit autem DEI Prouidentia, vt memoria loci, in quo fuit sepultus, non omninò euanesceret; nam post triginta annos Pater Iacobus Turrianus exaf-

ex affectu ac deuotione erga sanctum hunc virum Romam proficiscens Procurator suę Prouinciæ Peruanę, rransiens per Galliam, valde egit cómendauitque Patribus Societatis, qui erant in Collegijs propinquioribus Cardellachio, vt inquirerent diligenter sancti illius corpus: quod illi ita solicitè præstiterunt, vt verè certis signis ac testimonijs illud inuenerint: patriq; Turriano ex vrbe redeunti illud tradiderunt, qui secum in Hispaniam tulit Anno 1603. tradiditq; P. Alphonso Ferrerio Prouinciæ huius Castellanæ Prouinciali. Et quamuis Salmaticense Collegium valde illud optaret, eò quòd sanctus vir per multos annos fuisset ibi Rector: adiudicatum est tamen domui Professæ Vallis-Oletanæ, vbi erat Præpositus, cùm electus fuit ad profectionem Romanam: vbi sanctum corpus cistæ plumbeæ inclusum collocatum fuit in supremo summi Altaris gradu ad partem Euangelij, & superpositus est lapis cum hac latina inscriptione: Patri Martino Gutierrez Almodouar, huius domus Præposito, singulari pietate, virtute ac doctrina viro, in carcere apud Hæreticos Cardellacij in Gallia Narbonensi vita functo, Anno 1573. ætatis 49. Atq; huc inde translato Anno 1603. amoris ergo Patres DD.

§. I.

SED ad historiam nostram redeamus. Statim atque P. Balthassar has literas accepit, constituit, vt necessaria pecunia pro eorum redemptione quæreretur. Et quamuis quicunque alius fuisset Prouincię superior, magna id cura fecisset:

(tanta enim est in Societate charitas, vt non solùm tantorum Patrum causa, quorum vita toti illi valde expediebat; sed cuiuscunque fratris Coadiutoris magna fuisset adhibita diligentia, etiamsi tota propterea Prouincia debuisset debito onerari) At P. Balthassari fuit res hæc facilior, & expeditior ob notitiam & amicitiam, apud Metinenses & Burgenses potentes ac diuites mercatores, qui suam correspondentiam cum Lugdunensibus habebant, quibus facillimum erat pecuniam assignare pro lytro Patrum soluendam. Nec defuit diuina Prouidentia in hac occasione, nam precedenti anno ingressi fuerant Societatem Nouitij duo insignium facultatum, qui ex sua hæreditate liberaliter obtulerunt tria millia ducatorum: tot enim necessarij censebantur ad rem omnino expediendam. Hac expedita diligentia, contendit Pater Balthassar properanter Burgos, vt negocio huic finem imponeret: & inde statim expediuit Fratrem Bartholomæum Vvaezanum adhuc Nouitium, sed gallicę linguę peritum: qui seculari habitu indutus, ne agnosceretur & ab Hæreticis caperetur, profectus est, secum habens schedas Cambij Lugdunum: vbi solutum id fuit de quo pactum fuerat; & Patribus prospectum de ijs, quæ ad suum iter prosequendum erant necessaria.

§ (*) §

CAPVT

CAPVT XXVIII.

GRAVES MORBOS ET ALIAS valetudinis difficultates hoc tempore patitur: in quibus insignem patientiam & perfectionem ostendit.

QVONIAM P. Balthassar magnā præ se ferebat resignationem, & in rebus omnibus cum diuina voluntate conformitatem: necesse erat eum probari in rebus aduersis: vt contemptus aliquos, & contra suum honorem iniurias & alias corporis pœnas, & calamitates ferret: nam S. Bernardo teste: non satiatur animus vanitate, neque corpus voluptate. Qui autem perfectus esse vult: vtramq; vincat oportet; quæ vt ad terram penitus proijciatur: permittit Deus, euenire opprobria, quę multum conferunt ad obtinendam humilitatem; ac proinde facilè expellunt vanitatem; mittit etiam ægritudines, ac dolores, quib. patiētia perficitur; excluditur verò voluptas, quā appetit sēsualitas. Voluit igitur D.N.P. Balthassarē opprobrijs & contēptu exercere, vt perfectè ac solidè humilis euaderet, vt postea videbimus; & morbis ac doloribus, vt esset perfectè patiens: Incepit autem ab his citius, vt crescendi in virtutibus occasionē ei præberet.

nam,

a 2.Cor.12.9 *nam, vt* Apostolus dixit: a *Virtus in infirmitate perficitur.* Cùm autē dicitur VIRTVS, nulla in particulari expressa, significatur morbos Iustis occasionem esse in omnibus crescendi, & ad earum perfectionem perueniendi, quæ ex splendore quem tunc emittunt, agnoscuntur, & manifestantur, ad ipsius Dei gloriam, & fidelium ædificationem. Hoc autem maximè præstant duo morborum genera; quæ valde efficaciter solideque afflictos expoliunt: quidam sunt ferè continui, ita vt semper ægrotum malè afficiant dolore & poena aliqua: non tamen cogunt iacere in lecto; aut Officia, & ministeria sua propterea intermittere, licèt grauiter, & molestè illa præstent: alij sunt grauiores, magisque acuti, qui interdum euenium, & aliquo tempore perdurant, in quo magis exercetur, perficitur, & agnoscitur ægrotantis patientia & mansuetudo; resignatio, & Obedientia; & charitatis præstantia, atque perfectio, præcipuè cùm morbi adeò importunè veniunt, vt consilia, ac directiones Officiorum impediant; aut etiam vitæ finem minentur, cum maximè in illa floreret: & vtroq; hoc genere exercuit Deus Patrem Balthassarem: & ipse in vtrisque insignem ostendit resignationem, & conformitatem cum voluntate diuina.

INPRIMIS, in grauioribus morbis tanta erat eius patientia, vt & medici, & ipsi Infirmarij obstupescerent; nam, quemadmodum Iob suis doloribus dolorem augebat, saniem testâ radendo: ita hic doloribus dolores addebat; nam, vt supra insinuauimus, cùm amarissimam sumebat purgationem, diutiùs eam in ore, quasi os abluens, retinebat;

nebat; & cùm maiori inappetentia laborabat, se ipsum cogebat ad comēdendum, vt se mortificaret. Et vbi alij licere existimant (sicut reuera licet) in tali occasione leuamen aliquod quærere: ipse nouum aliquem cruciatum adinueniebat, dicens cum eodem Iob: b *quis det, vt qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me! & hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti.* b *Iob 6.9.*

MAXIMAM pressuram suæque virtutis experimentum habuit in ægritudine, quam hoc eodem tempore Vallis-Oleti passus est, post expeditum negocium Burgis, de quo proximo capite est dictum: cuius nonnulla indicia & præsagia habuisse videtur: eius enim socius retulit, eum cùm in eam ciuitatem rediret, eamque à longe viderer magno animi sensu dixisse verba illa nostri Saluatoris ad suos discipulos, cùm suæ passionis calicem bibiturus ascenderet in Hierusalem: c *ecce* inquit *ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur*: & ita euenit. adeò enim grauiter morbus eum premebat, vt tanquam mortuus iam relinqueretur, iacto linteamine super faciem, & volebant Sacristanum monere, vt quasi pro defuncto pulsaret. Sed placuit Deo, vt miraculosè rediret ad vitam, quia exaudiuit plurimas, valdeque feruentes orationes, quæ pro eius salute, & vita, non solum in domo nostra; sed in alijs etiam Religiosorum Conuentibus huius Ciuitatis, à quibus id petitum fuerat, fundebantur; adiuuantibus quoque multis pijs sæcularibus, qui omnes commiseratione tangebantur ob tantum totius Prouinciæ detrimentum, si in tali occasione tali viro, à quo illa guber- c *Luc. 18.31.*

naba-

nabatur, priuaretur. Aliqui fœlicem hunc eius tum tribuerunt sancto Extremæ Vnctionis Sacramẽto (quòd piè admodum susceperat) cuius virtus est sanitatem & vitam impertiri si ita expedit, etiã cùm naturaliter apparet impossibile. Nec defuit Prouidẽtia diuina in humanis medijs præsenti necessitati accommodatis applicandis. cum enim superior domus tam exiguam iam haberet spem de vita ægroti: iussit, Infirmarium, Ioannem scilicet Santium fidelem eius socium, ire dormitum, vt à prolixo labore requiesceret aliquãtum; qui cùm iaceret in lecto, vehementes quosdam sensit impulsus, quasi diceretur sibi, Surge, & præbe aliquid ægroto, vt comedat: cui adeò vehementi impulsui cũ resistere non posset, surrexit, voluit aliquid ægroto præbere, quod comederet: sed medici ipsi prohibebant, dicentes, id fore ad mortem illi accelerandam: sed Infirmarius tantam interna vehementiam sentiebat ad faciendum quod cupiebat, vt redierit ad Superiorem, à quo facultatem impetrauit præbendi aliquam subitaneam, quam præparatam iam habebat, ægrotanti; qui statim atque eam sumpsit, cœpit paululum respirare, & melius habere; donec sensim Deus ab illo periculo eum liberauit: in quo tamen periculo magnam vir sanctus lætitiam præ se tulit, ortam ex plena conformitate voluntatis suæ cum diuina; & magna saluationis suę securitate ac fiducia, quam Deus illi communicabat. Quare dicebat, se mortem non timere; nec rem vllam sibi molestiam adferre; aut cor suum creaturæ alicui adstrictum habere: sed potius sibi persuadebat, totum suum negocium fœliciter esse

expe-

expeditum. At Prouidentia diuina satis tunc sibi esse existimauit, hanc ægroti voluntatem adeò resignatam: quare vitam illi produxit ad multa præstanda, quæ ipsius essent obsequij. Nec illud quidem molestiam aliquam ægrotanti adferebat, quod aliquid propter suam mortem Prouinciæ defuturum esset: hanc enim curam & cogitationem, sicut reliquas, diuinæ Prouidentiæ relinquebat, tanquam huius vineæ Domino, cui facile est, si aufert vnicum eius procuratorem, alium substituere, qui eandem curam gerat.

Ex hac ægritudine, qua Vallis-Oleti laborauit, orta est postea Quartana febris Salmanticæ, quæ & prolixior, & molestior esse solet ob internam tristitiam, & afflictionem, quam solet melancholicus humor adferre: quas tamen molestias adeò ipse patienter, & modestè ferebat, vt cùm die quadam valde grauiter in ipso Paroxismo laborantem grauis quidam Pater visitaret, eiusque vultum compositum adeò ac serenum videret, ei dixerit: impossibile est, R. V. non affici magno dolore: cui ægrotus respondit, quasi nihili faciens, quod patiebatur: perinde est: quasi diceret: idem est mihi pati, aut non pati; vehementi laborare quartana, aut liberum esse ab ea: non enim aliud volo, quàm quod vult Deus: in cuius voluntate totum meum solatium consistit. Nihilominus cùm adeò esset prudens, & proximorum ædificationis Zelosus, ne quid faceret, aut diceret, quod eos posset offendere, operam dabat, ne quis ipsum visitaret tempore, quo febris illa

erat

erat vehementior : ne fortè ex humore illo me-
lancholico verbum aliquod minus ſuaue exci-
ret, quàm aliàs conſueuiſſet: potius volens, cu-
ſolo Deo agere, & in illis anguſtijs ab eo ſolo
latium ſuum habere.

AD hæc, ex grauibus morbis, & prolixis pe-
grinationibus, ac continuis laboribus, quos
ſuis Officijs ſuſtinuit, ortum eſt, vt valetudo
bilis ſemper eſſet, & continuos quoſdam mo
haberet, Vrinæ, Renum, Podagræ, & alios fi
les ſatis graues ob diuturnitatem : quos ipſe
ſolùm patienter tolerabat ; ſed ita etiam diſſi
labat: vt nec domeſtici, aut certè pauciſſimi
quid tale in eo animaduerterent : accedebat e
ipſe, ad omnes Communitatis actiones, & Of
ciorum, ac miniſteriorum ſuorum, atque fi
tale pateretur : id quod magnæ virtutis indic
eſt. Imperfecti enim, etiam ſine cauſa aliqua,
letudinis ſuæ defectus facilè produnt, vt hum
nũ aliquod ſolatium obtineant; aut, vt ſibi in
geatur; & laus honorue deferatur; optantes, v
lij ex commiſeratione commoditatem aliq
ſibi adferant, aut magni ipſos faciant, eò quod
liquid patiantur; & cùm non præbetur ipſis, q
optant, ſequuntur murmurationes, & quere
ſuisq; ſingularitatibus alijs moleſtiam adfer
& domum ipſam perturbant. Viri autem perfe
huiuſmodi valetudinis defectus, tegere ſtude
donec ipſi ſe manifeſtent, & vultus eos ipſos pr
dat; aut remedij alicuius ſumendi cauſa, nec
ſit eos aperire; aut vt imperfectum, ac debile a
quem, exemplo ſuo ad tolerantiam animet.
vbi nihil horum exigit, vt tales defectus aperi
nullam

nullum alium testem habere volunt eius quod patiuntur, quàm Deum à quo & solatium & consolationem exspectant; honoriq; sibi ducunt, talia pati, vt ipsi placeant.

CVM præterea spiritualis crux ex opprobrijs ac doloribus conficiatur: gloriabatur, quod aliquid tale semper pateretur, dicēs: si ligneam crucem, cui Christus D.N. fuit affixus, propterea veneramur, quod sanctissimum eius corpus illam contigerit: cur non veneremur viuam laborum eius crucem, quę etiam cor eius penetrauit? & quēadmodum vel minima crucis illius particula magni fit: ita, aiebat, quemuis laborem aut dolorem siue magnum, siue paruum, quem Deus nobis mittat, esse magni faciendum, & quoscunque afflictos videbat, hæc verba frequenter repetebat: arboris sanctæ crucis nec foliolum permittere debemus decidere in terram.

ACCEDIT, quòd cùm P. Balthassar adeò esset Zelans, & eminens in ministerijs erga proximos, voluit Deus, quiddam illis addi, quod ea exercentis sanctitatem valde extollat: vt scilicet & præclarissima quæque præstaret, & simul tamen plurima & grauia pateretur. Mirabilis procul dubio est, & stupenda vita Iustorum, qui semper in aliquo lecto iacent, feruntque valde patienter, sicut Euangelicus ille Lazarus, graues dolores, vlcera, aliosue cruciatus: sed optandæ magis sunt ægritudines illæ, & valetudo ita affecta, quę ita hominem affligunt, corpusq; continuè cruciant, vt vires nihilominus relinquant, vt pro Ecclesiæ bono & animarum salute possint laborare. quod fecerunt clarissimi aliqui sancti, quales fuerunt San-

ctus Timotheus Episcopus & Martyr, de quo ius Magister S. Paulus ait, quod d *frequentes* pateretur *infirmitates*; nec tamen propterea cessabat à grauibus occupationibus & laboribus Euangelicæ prædicationis. Et sancti Gregorius, Bernardus, & Franciscus, qui adeò in vtroque excelluerunt, vt non sciam, quid potius admirer, an quod plurima sint passi, strenuè adeò propter proximos laborantes; an, quod tales labores præstiterint tam grauia perferentes. vtroque autem simul insignes coronas sunt promeruit; tulerunt enim duas cruces, aut certè vnam ex duabus partibus confectam: pati scilicet graues morbos ac dolores; & simul maximos ac difficilia opera præstare, quæ magnos semper labores coniunctos habent, in peregrinationibus, profectionibus, defatigationibus, persecutionibus, calumnijs, & alijs tribulationibus; & præterea, quod huiusmodi sit occasio, in qua suæ charitatis erga proximos perfectionem, & excellentiam ostendant: dum, ne proximis in aliqua necessitate constitutis subueniant negligant, propriam sanitatem suam contemnant, & vitæ periculum subeant. Siquidem, teste S. Thoma, meritò debet spiritualis proximi vita propriæ corporali; & solatium animæ, eo indigentis, quieti proprij corporis etiam lassi ac defatigati præferri. Hæc omnia præstitit Pater Balthassar, vt ex ijs quæ retulimus facilè constat: ostendit enim insignem suam charitatem in proximos: cùm etiam ægrotus visitaret proximos ægrotantes, qui spiritualis solatij causa eum accersebant, tunc enim ipse eos accedebat, etiamsi pro-

d 1. *Timot.* 5. 23.

prius morbus grauaretur: (vt in casu superius commemorato euenit) ne vel in puncto, charitatis suæ perfectio minueretur.

HINC etiam oriebatur, vt ægrotis, & valetudinarijs valde compateretur, vt qui experientia nosceret, quid esset ægrotare, & imbecillem valetudinem habere: Nam talis experientia maximè generat huiusmodi compassionem. propterea enim Apostolus de Christo D. N. dixit: e *non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia.* quare eos frequenter visitabat, verbisque lætis ac iucundis consolabatur; magnaque cura studebat, omnia illis necessaria, & quæ leuamen, & iucunditatem adferre possent, administrari: cupiens tamen, omnes diuinæ voluntati in ijs, quæ patiebantur, esse conformes; non dantes locum querelis, quas adinuenit, sibique fabricat caro, apparente aliquo maioris pietatis prætextu. Quare cùm ægrotum quendam ex nostris visitaret, feruentem valde operarium, & conquerentem ac lamentantem, quòd in lecto iacens, nec orare posset, nec Sacrum facere; confessiones excipere, nec alia ministeria præstare, quæ sanus faciebat. Pater ei sic respondit: pluris facit Deus, quod quis eum per mensem sustineat ac toleret; quàm quòd in huiusmodi ministerijs per integrum annum illi seruiat. Et ita instructum magisque animatum reliquit; & quidem iure: nam cùm Deus vult Religiosum ægrotare, nihil ille tunc facere potest, quod eius diuinę Maiestati magis placeat, quā benè tolerare, quod ille mittit; & propterea, quòd ille mittat. Solet enim hoc

e *Heb.* 4. 15.

magis esse meritorium: eò quòd sit magis purum, & à propria voluntate, inaniq; fine ac terrenis voluptatibus exutum: quæ facilè operibus illis miscentur, quæ sani præstant. Deniq; hæc cum diuina voluptate conformitas, illius erat in omnibus morbis solatium: inter alia interna sensa, quæ in suo libello adnotauit, hæc erant verba scripta:

„ dicat ægrotus animæ suæ, quantumuis hæc febris
„ corpus adurat, non volo sine illa esse: si ita Deo
„ placet: & hac ratione consolabatur, & exhilarabat
„ ægrotos verbis, & literis, valde ad rem ab
„ psos datis, vt inferius dicetur.

CAPVT XXIX.

FIT RECTOR COLLEGII SALMANTICENSIS, dat q; operam vt litera cum spiritu coniungantur; magnumq; in Fratribus nostris studiosis feruorem excitat.

ANNO 1574.

LECTO nouo Societatis Generali P. Euerhardo Mercuriano, mansit Romæ P. Aegidius Gonzalius factus Assistens, qui Prouincialis erat huius Prouinciæ Castilliæ, in quo munere successit ei P. Ioannes Suarius; Pater verò Balthassar factus est Rector Collegij Salmanticensis, licèt prius fuisset nominatus Prouincialis Prouinciæ Toletanæ: sed ex illo morbo

morbo Vallis-Oletano adeò mansit debilis, ac tam difficilè conualuit: vt iudicatum fuerit, eum vires non habiturum oneri tanto pares: ideoque visum, vt Salmanticæ esset Rector: quò profectus est ad initium anni 74. Sed cum hinc eius imbecillitas, inde verò seueritas, qua proprium corpus tractabat, esset adeò nota: in ipsis patentibus Rectoris expressum fuit, vt in ijs, quę ad propriam tractationem in victu, vestitu, & somno pertinebant, sub aceret iudicio Patris Michaelis Marci, qui tunc in eo Collegio docebat Theologiam, eratque in literis, Religione, & Prudentia vir eminens: cuius cura & attentio, etsi aliquid efficit, ne Pater Balthassar nimium in abstinentijs, vigilijs & alijs corporis asperitatibus excederet: non tamen tantum valuit vt non multò plura præstaret, quàm eius sanitas, & corporis vires ferre possent: supplente scilicet spiritus feruore, quod corpus debile ferre non potuisset: quod tamen multis morbis superius indicatis luit.

CVM igitur ferè omnes, qui in illo Collegio erant, ipsius fuissent aut Tyrones, aut spirituales filij Metinæ, aut aliàs cum ipso familiariter egissent, magno omnium applausu est exceptus, quare cum magna omnium consolatione, profectuque communi, & mutua animorum coniunctione (cùm aliàs valde multi essent, vtpote in Collegio totius Prouinciæ maximo) fœliciter gubernare cœpit; & commodiùs dictamina illa, siue documenta gubernationis, quæ superius retulimus, constituere potuit; nominatim verò singularem adhibebat curam, vt studiosi

diosi nostri literas cum Religionis spiritu coniungerent: quo nomine adeò feruentes ad illas exhortationes habebat, ob insigne donum & talentum quod à Deo acceperat; vt omnes adeò essent feruentes, atque si in ipso Tyrocinio versarentur, circa mortificationem, inquam, orationem, & exactum in omnibus spiritualibus exercitijs ordinem, sine detrimento tamen exercitiorum literarum, quę ea moderatione tractabatur, vt spiritum non suffocarent: & si quis nimium se dederet deuotioni: etiam illum retrahebat, vt literarum studia non negligeret.

§. I.

VALDE igitur in suis exhortationibus curabat illis persuadere, aliquas veritates magni momenti: quarum præcipua erat, quòd referret plurimum, spiritum cum literis coiungere, & virtutem cum scientia, dicens: hæc duo sunt sicut illæ duæ arbores, quas Deus plantauerat in medio paradisi, Arbor scilicet Vitæ, & arbor Scientiæ; & sicut duo luminaria, quæ toti mundo lucent, vnum maius, & alterum minus; & sicut vestimentum duplex, quo mulier fortis induit suos domesticos aduersus frigus nauium, malitiam scilicet, & ignorantiam: & sicut spiritus duplex, quem ab Elia discedente Elisæus sibi dari petijt, quē S. Bern. appellat intellectum & voluntatem siue affectum. Hæc sunt tanquam duo Ecclesiæ testamenta, Nouum & Antiquum, Lex, & gratia; & tanquam duæ rotæ, quæ trahebant currum gloriæ Dei, in quibus erat spiritus vitæ.

Serm. 6. de Ascens. Domini.

vitæ; & quemadmodum duæ sorores Martha, & Maria, quæ mutuò se adiuuant, & cohabitant in eadem domo, nam quemadmodum Martha Mariæ sororis auxilium petebat: ita doctrina, quæ per ratiocinationem ad res multas & varias effunditur, opus habet spiritu coadiuuante, qui id præstat in multis rebus. Nam *Primùm* dat illis authoritatem: Quemadmodum enim (S. Gregorio teste) *quando vita contemnitur, etiam doctrina vilipenditur*: ita è contra, magni fit illius doctrina, cuius vita probatur. *Deinde* dat eis etiam vitam, nam (vt ait Apostolus) a *litera* sola *occidit*; *spiritus autem viuificat*, & b *scientia* sola *inflat*; *charitas autem ædificat*. Et *Væ*, inquit Sanctus Augustinus, *scientiæ, nisi ei dominetur charitas*; Et Dauid Domino dicebat: c *bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me*, & idem S. Augustinus alibi, *amate*: inquit, *scientiam, sed anteponite charitatem*. *Tertiò* dat eis efficacitatem, vt persuadeant: possibile esse, quod docent: doctrina enim audita, & opere non perspecta, difficilè addiscitur; sed si in paxi cernatur, statim fit facilis. Propterea Apostolus Timotheo dixit: d *attende tibi, & doctrinæ: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*. *Quartò* constantiam dat, & diuturnitatem in docendo: nam deficiente spiritu, caro defatigatur, & vires debilitantur.

a 2 *Cor*. 3. 6.
b 1. *Cor* 8. 2.
c *Psal*. 118. 66.
d 1. *Timoth*. 4. 16.

Ex his aliã deducebat rationem, quam etiã valde commendabat: quod scilicet spiritus plurimũ iuuet ad fidem literis adhibendam. *Primum*, quia

conſcientiam à culpis mundat, vt Deus, cuius ſcientia eſt donum, mundæ animæ illam communicet. Et Religioſus, (inquit,) qui aditum ad ſacras litteras quærit, laboret potius in declinandis peccatis, quàm in euoluendis commentarijs; in euellendis prauis propenſionibus, quàm in videndis codicibus: vitæ enim puritas (vt ait Caſſianus) aperit oculum, reſpicientem Deum: & oculum, cui Deus ſe non abſcondit, etiam res eius non effugient; nec hiſtoriarum eius occulta.

Lib. 5 c. 33. & 34. & Coll. 14. de ſcientia ſpirituali.

OPERAM quoque dabat, vt Orationis Exercitium illis perſuaderet, tanquam medium aptiſſimum ad ſcientiam, dicēs: non minus orando, quàm ſtudendo ſciri, & in literis profici: expertus enim erat, quantam ſcientiam Deus ipſi communicaſſet per Orationem, vt ſupra eſt dictum. In quem finem aliquoties repetebat exemplum à Caſſiano relatum de Abbate Theodoro, qui puritate cordis plus ſcientiæ acquiſiuit, quàm lectione multa & ſtudio, &, cum quendam ſcripturæ locum poſt longum ſtudium non intellexiſſet; tradens ſe orationi, eum eſt perfectè aſſecutus.

ETIAM conabatur perſuadere, mortificationem & ad ſcientiam acquirendum, & ad ſpiritum multum valere: ſi eam exercerent maximè in ijs, quæ ſtudiorum eſſent propria, ad vincendas difficultates in eis occurrentes, & nominatim in his ſequentibus. *Primum*, in vincendo tædio, quod incidit tempore, quo ſtudendum eſt, ac deſiderij ſtudēdi tempore, quo id prohibetur: quale eſt tēpus orationis, examinis, & ſimilia. & ita animad-

uer-

uertent: neminem ſequi Chriſtum ſine cruce, nec declinando ad ſiniſtram propter tædium; neq; ad dextram, propter deſiderium, ſub prætextu, quod debeant oppugnare, aut defendere. *Deinde*, in vincenda repugnantia ſeſe humiliandi, ad interrogandum ipſum Profeſſorem, aut Condiſcipulos; ad argumentandum, aut defendendum, aut reſpondendum interroganti. *Tertiò*, vt non ſe ad altiora extendant, quàm oporteat, aut ad alia ſtudia; quàm quæ profitentur: curioſitatem potiùs quàm vtilitatem quærentes. *Quartò*, vt Maiorum ac Profeſſorum conſilijs ac directioni ſeſe accommodent, non verò propriæ; huic ſtudio; & non illi; hic & non ibi; hac ratione, & non illa; his rebus, & non illis; his libris, & non alijs: nam hac ratione proficient meliùs, iuxta mentē S. Auguſt. dicētis: *non parua ſcientia eſt, ſcienti coniungi: ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis.* Eſtq; ignorantia, & mera deceptio multorum, qui obeunt quidem occupationes Obedientiæ: ſed modum ac directionem eius prætereunt. *Quintò*, vt non excedantur limites Religioſæ modeſtiæ in oſtentanda ſua Eruditione; aut in quærendo, quod eis non committitur, qualia ſunt hæc argumenta, hi Actus, hæ Cathedræ; aut in acceptandis occupationibus ab obedientia impoſitis, quas ipſi refugiunt. *Sextò*, vt conſtanter ſint diſpoſiti ac parati ad ſtudia deſerenda, quando iuſſerint Superiores: ſi enim Deus, illorum eſt cauſa: quomodocunque ille de eis conſtituerit, pax erit, & tranquillitas. Et idem eſt ad obeundum miniſterium hoc vel illud; hic vel in alio loco, ad Superioris arbitrium: hoc enim eſt boni ſpiritus indicium,

In Pſal. 36. Conci. 2.

quo ad Religionem accessistis, ita enim Magistri vestrum imitabimini, de quo dicitur: e *Exultavit vt gigas ad currendam viam*; secutus nimirum in omnibus, sui Patris obedientiam.

e *Psal.* 18. 6.

QVARE, vt Exercitia literaria, & spiritualia se mutuò non impediant, pacificum, tranquillumque eorum medium est, ea aggredi ex voluntate Dei, cuius opera se mutuò non turbant, aut impediunt; sed tenet ipse suas vias, quibus ipsum amantes, & obedientes locupletet. f *Ego*, inquit, *in viis iustitiæ ambulo, & in medio semitarum Iudicij: vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Magnum quid est, (inquit) Theologiam scire; sed quod in ea maximè excellit, est nosse ita vitam suam componere, vt in nulla re discedat ab eo, quod Deus vult. Qui valde anhelat & anxius est, vt sciat; dicat sibi ipsi: mihi neque possibile est, neque expedit prodire ad volādum, nisi Deus me deducat: & tunc mihi non deerit, quod nunc, ne ipsius voluntati desim, negligo. Vt autem volatus hic aliquando mihi sit possibilis & vtilis, aliud habeo aptissimum medium, attendere scilicet, vt interim non recedam ab eo, quod eius diuina voluntas à me requirit: & hoc est supremum quod ego addiscere possum: cuius contrarium non scientia est, sed ignorantia; non est ambulare in luce, sed in tenebris, & S. Augustinus suadet: *nos igitur, quod nescire nos Dominus voluit; libenter nesciamus: satis enim nobis esse debet, quod ille ita velit, vt id nos libenter amplectamur.*

f *Prou.* 8. 20.

Præfat. in Psal. 6.

§. II. In

§. II.

IN eundem finem, ſpiritum cum literis coniungendi, tradidit ipſe ſcripto aliquot documenta, quæ Studioſi noſtri ad manum ſemper haberent: quorum ſummam hîc ſubijciam: additis tamen aliquot verbis ad maiorem eorum explicationem, vt quicunque negotium hoc literarium tractant, eorum vſum in promptu habere poſſint. Vita, inquit, & exercitatio ſtudiorum Societatis eſt ex ſe valde quieta, & apta, vt rectè & ordinatè ducatur, &, ſi velint, poſſunt ſemper eſſe benè occupati, nec tamen mergi. Quare maioris culpæ reus erit, qui, vbi tantus eſt ordo, non ita vixerit. ad id autem iuuerint hæc documēta. *Primum*, dent operam, vt cor habeant valde quietū & expeditū ab omni anxietate ſtudendi; & propterea feſtinādi in rebus ab obedientia iniunctis: nam contrarium, cùm omnes valde impedit; tum ipſos ſtudioſos maximè; eſtque cauſa, cur actiones cum illa feſtinatione, minùs rectè fiant, ipſumque cor maneat ineptum ad orationem & familiaritatem cum DEO. Curent etiam, vt in anima ſua virtus & Religio optimum habeant locum; pluriſque eas faciant, quàm literarum Eruditionem: quæ ſine illis plus nocet, quàm proſit: hunc enim ſenſum eſſe Societatis, oſtendunt eius Regulæ. ita fiet, vt optimum tempus ſpiritualibus rebus tribuant; eaſque exactè valdeque perfectè, ac primo loco faciant: certò ſibi perſuadentes: nihil ſe propterea de Eruditionis incremento amiſſuros, iuxta illud Bonauenturæ: *Scientia, quæ pro virtute deſpi-*

In Spec. Diſciplinæ c. 7.

despicitur per virtutem postmodum melius innitur.

STVDEANT puram intentionem in suis studijs, in lectione, & alijs exercitijs literarijs habere: hæc enim facit, vt illa sint Religiosa. Homines sæculares per studia sua quærunt magnum nomen, dignitates, diuitias, & huiusmodi alios sæculares fines: at boni Religiosi his omnibus aditum præcluserunt; nec in suis studijs aliud quærunt, quam vt apta fiant instrumenta, quorum doctrina, vitaque exemplari homines Deum agnoscant, ament, eique fideliter seruiant. Hæc doctrina est, quam nostræ Constitutiones exigunt: quæ in eum finem est dirigenda, vt studijs ac ministerijs nostris animas Deo lucremur: hic enim est scopus ac finis præstantissimus, qui esse potest in terra; & (vt S. Dionysius ait) *rerum diuinarum diuinissimus*, quem Christus D. N. dum venit in mũdum, respexit: hoc enim insinuauit, cùm dixit: a *manifestaui nomen tuum hominibus.* &, cùm sit adeò excellens, simul est ijs, qui eum respiciunt, vtilissimus, de quibus Daniel dixit: b quod *fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates*, & S. Paulus scripsit Timotheo: c *attende tibi & doctrinæ: hoc enim faciens & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*

a *Ioan.* 17. 6.

b *Dan.* 12. 3.

c 1. *Tim.* 4. 16.

AD HOC iuuerit, offerre frequenter studia sua Deo: nec illa vnquam inchoare, nisi præmissa flexis genibus Oratione: cùm enim Deus velit, petamus à se gratiam, ad proficiendum in studijs: æquũ est, id frequenter ac demissè facere; studendo etiam nimietatem mortificare, quæ profectum & intentionis puritatem impedit; ita vt nolint sese ante tem-

tempus ostentare. Ideo enim (vt S. Bonauentura aduertit) iussit Deus in Leuitico: d *quando ingressi fueritis terram promissionis, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum; poma quæ germinant, immunda erunt vobis; quinto autem anno, comedetis fructus, & poma quæ proferent.*

De informatione Nouitiorum. c. 15.

d *Leuit. 19. 23.*

CVRENT præterea, ne temporis particulas, quas orationi dare poterunt, amittant; & si quid præterea opus erit ad spiritualem suam reformationem, nõ negligant: aduertentes, quòd licèt designatum habeant vnius horæ tempus pro Oratione, id sit, quâ sunt studiosi, non quâ superbi, aut alijs spiritualibus defectibus subiecti: hi enim curare debent plus, & plus temporis orationi tribuere; & oportunè, importunè apud Dominum nostrum agere, donec tales defectus omninò exuant: plurimum enim refert Societati, & multò adhuc amplius nostra ipsorum: vt perfecti euadamus.

AVSPICENTVR studia, magno illa feruore cum spiritu coniungentes: nam ordinariè, quale initium fuerit, talis progressus erit, & finis: ita vt, si initia sint tepida, etiam reliqua tepescant; si aũt feruentia, reliqua quoq; futura sint talia. Vehementer aũt horreant, feruorem inceptum remittere: ne contra se audiant tremendam illam Christi vocem, ad quendam ignauum: e *habeo aduersum te* pauca, *quod charitatem tuam primam reliquisti.* Quod si Deus aliquid contra nos habet: quomodo non trepidamus? quid igitur si multa habeat, eò quòd remiserimus aliquid de Obedientia, Humilitate, Patiẽtia, & Charitate, reliquisq; virtutib?

e *Apoc. 2. 4.*

SVM-

SVMMO studio attendant ad charitatis, mutuæq; coniunctionis conseruationem: cuius causa sex hosce defectus nominatim fugiant, tanquàm valde perniciosos: habere scilicet strictam & particularem cum aliquo amicitiam, præcipuè quàm tota cõmunitas notet; murmurare, conqueri de Magistris, quod prolixi sint, aut nimis breues; obscuri, aut superflua tradẽtes: Opiniones sequi suis Magistris contrarias, res est odiosa; id autem alijs manifestare, quasi Magistri sui opinionem contemnendo, res est intolerabilis. Quodcunque indicium, vel insinuatio, quasi Magistri solutio illis non satisfaciat, est contra ædificationẽ; multoq; magis si apertè id dicatur: quia videbũtur id sentire & grauiter ferre, ob læsam suam famam, quasi non potuerint satisfacere. Tenuis erga aliquem Professorẽ amor, eiusq; manifestatio est valdè perniciosa; sed multò adhuc magis certum quoddam genus factiuncularum, qua vnum Magistrũ alteri præferunt, edito aliquo manifesto eius indicio.

DENIQVE cùm quisq; ex parte sua fecerit, quod poterit circa studia, & scientiam acquirendam: relinquat Prouidentiæ diuinæ studiorum, & exercitationum suarum exitum, conseruata cordis pace & tranquillitate, etiam cùm non fuerit adeò fœlix: quod non erit adeò difficile, si in suis studijs solum Deum quærant. Si ego (inquit Dominus) causa sum eius, quod quæris, quocunque modo tibi eueniat contentus eris & pacatus; præstat autem sui curam habere; quàm, se neglecto, edere miracula.

De Imitatione Christi.

HAEC monita scripsit P. Balthassar, suisq; fratribus studiosis tradidit, ad quorum praxim inducendam

cendam adhibebat media ſuauia quidem, ſed efficacia, & proportionata; ſummam adhibens vigilantiam & curam, vt omnes domeſtici ſuas leges exactè ſeruarent, totumq; tempus præſcriptũ ſuis exercitijs tribuerent, non ſolum Orationi & Examini Conſcientiæ, reliquiſq; ad ſpiritum ſpectantibus; ſed etiam literarijs, quibus nihil ſubtrahi permittebat, impoſitis etiam pęnitentijs ijs, qui rei eſsẽt, ſiue Magiſtris, ſiue diſcipulis. Et quoniam, quæ ad corpus ſpectant, etiam iuuant ſpiritualia; magnam quoq; rationem habebat, ne quid ex neceſſarijs illis deeſſet, vt omnem huius rei curam deponerẽt. Et diebus recreationi ſiue remiſſioni deſtinatis, exirent ad cãpos ac ſe recrearent, conſeruandæ ſanitatis cauſa: vt ſic refectis viribus, recenti feruore ad ſtudia redirent. ſingulis menſibus conſcientiæ rationem ab eis exigebat; frequentiùs alloquebatur, quando aliquam illorum neceſſitatem agnoſcebat; excitabat, & animabat tam in rebus deuotionis, quàm ſtudiorum, dans illis aliquod indicium opinionis ſuæ, & æſtimationis de eorum laboribus: & in rebus omnibus adeò ſe Patrem erga illos oſtendebat, vt ab omnibus amaretur, eſſetq; venerationi. Quare omnes valde confidenter ad eum accedebant in ſuis neceſſitatibus; & in omnibus, quę ad animarũ ſuarum bonum pertinebant. Quidam ex his ſtudioſis Frater, (quod ipſemet factus poſtea Sacerdos retulit) cùm vrgeretur grauiſſima deſperationis tentatione, nullum aliud inuenit aptius remediũ, quàm ad cubiculum ſui Rectoris ipſa media nocte confugere: in quod repentè in tenebris ingreſſus eius brachia arripuit, & tremere fecit.

Exci-

Excitatus P. Balthassar quæsiuit, quis esset? Se
Frater tentatione sua turbatus, hæsit aliquan
lum antequam responderet; & postea nomen su
prodidit. Tunc Pater valde quietè ac pacatè di
xit: quid ergo mi Frater quæris tali hora? qui re
spondit: Pater morior, & rectà tendo ad Infe
num. Quo audito, Pater commiseratione eius ne
cessitatis motus, iussit illum sedere: & satis di
cum illo mansit, donec suauibus & efficacibu
eius verbis omninò tranquillitati restitueretu
Frater. In hunc modum, quietos & pacatos
reddebat eos, qui aliquibus tentationibus a
gitabantur, quemadmodum de Nouitijs est de
ctum.

DENIQVE suis exhortationibus tam comm
nibus, quàm priuatis, reliquisque medijs, quę su
uiter & fortiter adhibebat, coniunxit Salmantic
substantialem Tyrocinij Metinensis feruore cu
studijs literarum, quibus aliàs illic attendebatu
cuius testimonium esse potest, quod peruenien
ad illud Collegium Procuratore Indiæ Orienta
lis, & Insularum Iaponensium, cum facultate P
nostri Generalis, vt aliquos inde secum accipe
ret, qui ad missionem illam adeò gloriosam, &
arduam sese offerrent: extraordinarium eis fe
uorem Dominus noster communicauerit ad eam
petendam, contemnentibus Patriam, Consangui
neos, Amicos & alias commoditates, se ipsos au
tem exponentibus innumeris periculis, quæ ma
terraque cœptum illud insigne habebat, ad loca
adeò distantia, ad gentes barbaras, ac feras: & nisi
numerus fuisset præscriptus, desolatum fuisset to
tum Collegium, adeò instanter & importun
omnes

omnes contendebant sancta quadam æmulatione alter alterum vincere, allatis rationibus à singulis, ob quas alijs essent præferendi. Et cùm tot fuissent vocati, quinq; tamen soli ad eam missionem sunt electi, alijs patientiam habere iussis; facta tamen spe quòd oportuniori occasione essent exaudiendi: & sic omnes quieti & tranquilli manserunt, tanquam Obedientiæ filij: & in feruore spiritûs, vt antea, progressi sunt.

CAPVT XXX.

NOTABILIA EXEMPLA duorum Fratrum studiosorum valde feruentium, Ioannis Ortunij, & Francisci Cordubensis.

QVI insigniores fuerunt in feruore spiritûs ex P. Balthassaris exemplo & auxilio fuerunt duo Fratres, Philosophiæ studiosi: qui recens ex Tyrocinio venerant, simul cum suo Magistro Oiedio, qui fuerat Collegialis in maiori Collegio Conchensi, & Philosophiæ in illa Vniuersitate Professor, qui Anno 1571. fuerat Societatem ingressus simul ferè cum omnibus suis discipulis: qui etsi omnes singularis erant virtutis, illorum tamen duo singulari ædificatione totum Collegium facilè superarunt: quorum heroicas virtutes perspectas habuit præ-

dictus Pater Oiedius eorum Magister, quas mihi aliquoties retulit, & postea etiam scripto dedit, & visæ sunt mihi dignæ quæ huic historiæ inserentur, non solum pro honore Patris Balthassaris, qui fuit eorum Magister spiritualis; sed etiam vt exemplorum adeò illustrium memoria id efficiat nunc in religiosis studiosis, quod faciebat dum illi viuerent in eis, qui illos intuebantur.

Frater Ioannes Ortunius.

PRIMVM locum demus Ioanni Ortunio, de quo ego ipse Patrem Balthassarem in quadam exhortatione audiui dicentem se nunquam legisse in vitis Patrum Heremicolarum res grandiores, quàm in hoc Fratre vidisset: cùm Metinæ, vbi fuit eius Tyrocinij Magister; tum Salmanticæ, vbi eius fuit Rector literis operam dantis. Ingressus est Societatem, cùm esset viginti annorum, cum multis alijs anno septuagesimo primo, inter quos raro sanctitatis exemplo eminebat toto tempore Tyrocinij: sed multò adhuc ampliùs breui illo tempore, quo superuixit cùm Philosophiæ operam daret Salmanticæ. Erat præclari ingenij, magnamque curam in suis studijs ponebat; ita tamen, vt non punctum remitteret de feruore virtutum: ipso enim opere facilè ostendebat, se multò pluris facere virtutes, quàm Eruditionem. Nominatim autem excelluit in Obedientia, & Mortificatione, tam interna, quàm externa, cum quadam modestia

destia, & adeò exacta ac immutabili morum cõpositione, vt manifestum faceret testimonium admirandi sui quieti, compositi, & valde mortificati spiritûs. Erat tunc Collegij Subminister Pater Ioannes Rodrigius, vir sanctus, valde taciturnus, seuerus, pœnitens, & summè obediens in omnibus, quæ Pater Rector illi committebat, vt benè suo munere fungeretur. Commiserat ergo illi, vt Fratres studiosos tam Theologos, quàm Philosophos; (& hos maximè, quia erant quasi Nouitij) benè exercet in mortificationibus, & abiectis Officijs. Bonus ergo Subminister ex sealiàs ad huiusmodi exercitia valde propensus, accepto hoc Obedientiæ stimulo, valde diligenter ei satisfacere studuit. quare cùm omnes in varijs occasionibus, tum multo ampliùs Ioannem Ortunium (de quo maiorem habebat opinionem) extraordinarijs exercebat probationibus. Expectabat ad portam scholæ, donec lectio absolueretur; & inde statim Fratrem prædictum, & Franciscum Cordubensem, (de quo paulò post dicemus) vocatos, mittebat ad culinam, vt ollas & scutellas lauarent, & alias similes occupationes obirent: quæ quotidie pro illis seruabantur: ad quas multò lætiori vultu, quàm ad audiendas lectiones accedebant; nullis querelis, aut tergiuersationibus; ita vt nec insinuarent quidem, vt sibi liceret recens auditam lectionem repetere. Et quamuis Professor hoc sentiebat, & pro suis discipulis agebat, ne tali tempore occuparetur: illi tamen nihil aliud curabant, nisi vt obedirent, seque magna animi quiete & lætitia mortificarent.

IOANNES Ortunius adeò excelluit in hoc, vt eius Obedientia videretur prodigiosa: ad erat syncera, ad nutum, exacta, ac perfecta: vt recensendis Exemplis apparebit. Quodam vespere in Hyeme, cùm esset ingens tempestas venorum, & niuium, Pater Ioannes Rodrigius crepusculo vespertino offendit Ioannē Ortunium in quodam transitu versus paruam Collegij aulam; dixitque illi, Ioannes, exspecta hic, donec ego reuertar: habeo enim aliquid tibi iniungendum. Transiuit Pater, sed ob alias occupationes oblitus est, quid Fratri illi dixisset. At bonus Ortunius, atque si fuisset saxum immobile, nec ad punctum inde se mouit, etiamsi ingenti frigore & vento ac niuibus grauiter offenderetur. nona erat iam hora noctis, & cùm nec ad primam, nec ad secundam mensam venisset: aduertit hoc vnus ex condiscipulis, retulitque suo Magistro. adhibita est diligentia per totam domum, vt scirent, vbi esset: & non inuenerunt. interrogarunt etiam prædictum Patrem Ioannem Rodrigium, an fortè aliquid de illo sciret: qui, oblitus quid Ortunio dixisset, respondit: se nihil de eo scire. Redeunt iterum, vt illum quærant: & tandem valde tardè in eodem transitu illum inuenerunt, frigore valde affectum, pedibus niue coopertis; quem cùm Magister reprehenderet, & quæreret quid tali tempore & hora ibi faceret? magna pace & tranquillitate respondit: Patrem Ioannem Rodrigium iussisse illum ibi expectare, donec reuerteretur; &, quia necdum reuersus erat: ipse exspectasset. Obstupuerunt omnes ad exactam

adeò

adeò Obedientiam: &, omni dubio procul, nisi inuentus fuisset, mansisset vsq; mane cum magna animi sui lætitia.

IN area eiusdem Collegij erant tunc quidam lecti cum floribus, distributi à Patre Ministro inter studiosos, vt vnusquisque in suo tres aquæ situlas quotidie spargeret: quo flores (quia erat æstas) recentes conseruarentur. Quadam igitur hebdomada cùm multum pluisset, nihilominus Ioannes Ortunius quotidie in designato sibi lecto tres aquæ situlas aspergebat, in conspectu multorum adstantium, monebat illum eius Magister, eò quòd in tantis pluuijs ipse adhuc lectum illum aspergeret: cui ille magna cum modestia & humilitate respondit: Pater iussus sum tres situlas aquæ quotidie hic spargere; nec dictum fuit; vt si placeret, abstinerem. Admiratus Pater sanctam sui discipuli sinceritatem in obediendo cœcè, tacuit.

SED multò adhuc magis idem Pater obstupuit raram eius obedientiam in alia occasione. Audiebat cum nostris studiosis Fratribus Philosophiam Sacerdos quidam magnæ virtutis & exẽpli; sed valde rudis & exiguæ adeò memoriæ, vt lectio, quæ per vnam aurem ingrediebatur, per alteram exiret. Commisit Ortunio Professor, vt quotidie finita lectione, eam cum hoc Sacerdote repeteret; & quantum posset, iuuaret, vt eam caperet: fecit hoc Frater extraordinaria cura ac diligentia, perseuerantia, ac amore, respondens illi ad omnia interrogata, quandocunque interrogaret, cum incredibili charitate, & nullo vn-

quam impatientiæ, aut tædij signo edito, etiam si apertè satis aduerteret: laborem suum esse inutilem; & absque vlla spe, quòd ille esset aliquid profecturus. Et cùm Professor Omnium interrogaret: quomodo sibi cum socio succederet? solùm respondebat: ille facit, quod potest. Omnes mirabantur tantam eius tolerantiam: nam alij condiscipuli tertio die defatigabantur repetitione lectionis cum eo, sed Omnius constans erat & infatigabilis in ijs, quæ facere iubebatur.

SED non præteribo, quod ei tunc euenit, quod ostendit, quanti ipse faceret ac veneraretur, quidquid vel vmbram haberet Obedientiæ. Sedebat initio renouationis studiorum ad sanctum Lucam, super quosdam lapides, vt suam lectionem repeterent: quos videns Superior, dixit lepidè: *in mensibus erratis, super lapidem nõ sedeatis*; ille qui adeò Obedientiæ studebat, verba Superioris ita seriò accepit, vt ex tunc, vsque ad finem Aprilis, etiamsi socius super lapidem sederet, ipse potiùs staret: cùm autem mensis Maius cœpit, ipse quoque sedebat: & cùm aliqui hoc nosserent: mysterium ab eo exquisierunt: quibus sincerrimè respondit: Patrem Rectorem dixisse, ne in mensibus, quorum nomina habent R. super lapidem sederent; ac propterea se vsque ad initium Maij non sedisse.

HANC eandem veritatem, & exactam rationem tenebat in omnibus rebus Obedientiæ, etiam minimis: sæpiùs enim euenit scribenti, cum vel ordinaria campana, vel nomine Superioris ad aliquid aliud vocaretur: & statim ingrediens

cui id licebat, chartamque videns, in qua ille scribebat, inuenit inchoatam literam, nec absolutam, vt celeriter, & sine mora, iuxta regulam iret, quò vocaretur. Hinc etiam ratio illa orta est, adeò exactè faciendi examen particulare de vno solo defectu pro more Societatis, obseruatis omnibus eius documentis vsque ad minimum, adnotandi & conferendi defectus vnius diei cum altero; quod obseruauit etiam in extrema ægritudine, vsque ad diem præcedentem ipsam mortem. semper enim habuit libellum, in quo eos notabat, absconditum, ne quis illum videret: in quo voluit P. nostrum S. Ignatiũ imitari, de quo idem scribitur. valde.n. magno honori cõmodoq; sibi ducebat, quod vestigia sequeretur S. Fundatoris, quẽ D.N. tanquã Ducem ipsi dedisset.

QVID verò dicemus de ijs, quæ ille in Extremo suo morbo egit, ac perpessus est? habuit.n. occultũ quoddam vlcus cum ingenti cruciatu, quod prohibebat ipsũ sedere quod per dies aliquot occultauit: tum quòd non vereretur tantũ periculũ, atq; reuera erat: tum quòd ob insignem suam honestatem erubesceret Chirurgo illud ostendere. Dolor cogebat illum, aliquod signum edere, vt in schola nõ posset rectus sedere, sed quasi ad vnum latus: quod Professor aduertẽs, causã requisiuit: cui ille respõdit, esse quẽdã tuberculum in loco sessionis: tũc Professor replicauit: ꝓpter vnũ tuberculũ sic sedebis? cui Ortunius, optimè dicit, inquit, R.V. quare ꝑ tres sequẽtes dies, etiãsi graues dolores sẽtiret, rectè sedit, nullo indicio suos dolores ꝓdẽs: sed malũ adeò creuit, vt iussu Superioris oportuerit medico, & Chirurgo locũ ostẽdere; q̃ videtes,

ſtatim agnouerunt ingens imminere periculum. Et cùm malũ ad interiora valde penetraſſet, horrendas carnificinas, & cruciatus adhibuerunt: ipſe verò tanquam ſaxum quoddam, nec manum cruciantis refugiebat, nec doloris vllum ſignum edidit, aut queſtus eſt: omnibus ſtupentibus heroicam adeò illius patiẽtiam, & animi fortitudinẽ omnibus ipſum viſitantibus lætum ſemper vultu oſtendebat, & placidè ac iucundè reſpondebat: ſum in manibus Dei, faciat mecum iuxta ſanctiſſimam ſuam voluntatem: nec metuo de manu eius mortem, nec dolor me terret. Tandem peruenit ad extremum ſuorũ laborum; & apertè eſt illi dictum, nullum ſupereſſe remedium. Gauiſus eſt S. Frater, mortis ſuæ audito nuncio. Fecit Confeſſionem generalem P. Stephano Oiedio Profeſſori ſuo, copioſas fundẽs lacrymas ob ſua peccata, quæ tamen adeò erãt leuia, vt Confeſſarius affirmaret, non ſolũ ſe non inueniſſe vllũ peccatum lethale, aut de quo, ꝓ tale fuiſſet poſſet dubitari; ſed neque peccata venialia grauia malitiosè, & aduertenter facta: cũ tamen in flore eſſet tunc ſuæ iuuentutis, vt qui 23. ætatis annum non excederet. Peracta Confeſſione, magno cordis affectu, & lacrymis P. Rectore petijt, vt iuberet, aliquid ſimi importari, ſuper quem poſſet exſpirare: nam magnũ ſibi fore ſolatium, quod poſſet videre ſe mori iuxta merita grauiſſimarum ſuarũ culparũ. His & aliis valde inflammatis amoris Dei affectibus, cùm reliqua Sacramenta ſuſcepiſſet, ſpiritum ſuum Deo reddidit, cũ ea ſuauitate, & pace, quàm ſancta eius vita fuit promerita, quæ verè fuit admirabilis: eius ſilẽtium perpetuum, charitas erga omnes ingens

ingens, honestas, & puritas Angelica, etiam dum se indueret & exueret; tanta erat conscientiæ eius puritas, vt eius Magister, & alij etiam attentè obseruantes an defectum aut imperfectionem aliquā in eo deprehenderent, nihil tamen tale animaduertere potuerint. Ad solatium autem domesticorum habuit P. Balthassar quādam exhortationem de heroicis sancti huius Fratris virtutibus, de quibus dixit, quod superius insinuauimus: quæ non minorem adferebant admirationem, quam quæ de sanctis Patribus in Eremo existentib. referuntur. Sed cùm Deus noster idem sit semper, nec manus eius sit abbreuiata, non adeò mirandum est, quòd & nunc adeò sit liberalis in gratijs ac beneficijs erga feruentes suos seruos, quemadmodum fuit in sæculis præteritis. Si enim voluerimus ipsius gratiæ cooperari, efficiet ipse in omnibus, & per omnes, qui se disposuerint, res verè admirandas, & infinita sua magnitudine & bonitate dignas.

Frater Franciscus Cordubensis.

SOCIVS Ioannis Ortunij in Tyrocinio & in Philosophia fuit Franciscus Cordubensis filius Ducis Cardonæ & Segoruæ, Marchionis Comarensis: qui cum fuisset Vniuersitatis Salmanticensis Rector, Deusq; eius cor tetigisset, ingressus est Societatem eodem Anno 71. fuitque Metinæ in Tyrocinio sub P. Balthassare, & postea Salmanticæ eodem Rectore, vbi Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit. Ab ipsis initijs valde sibi cordi accepit, ad perfectionem anhelare:

adeò autem ipsum eius cor & viscera spiritus Societatis penetrauit, vt sæpe diceret: omnia quæcunque essent in Societate, valde sibi esse accommodata. In primis exercitijs, quę fecit, tantum solatium & animi tranquillitatem dedit ei Dominus, ex eo quod talem vitæ statum elegisset, vt venienti ad ipsum visitandi causa Magistro Stephano Oiedio, (qui erat Collegialis in Collegio Conchensi, cum quo arctam aliàs amicitiam colebat) nec potenti sibi persuadere, Franciscum adeò esse contentum, & pacatum sicut præ se ferebat, Franciscus, vt certum eum redderet, ac deceptionem illam ei retegeret, cùm aliàs non soleret iuramentum, etiam cùm esset sæcularis, adhibere: tunc tamen adhibuerit, dicens: adeò sum contentus, mihique certò persuadeo, hoc vitæ genus mihi maximè expedire ad profectum, & salutem meam: vt quamuis nunc mihi offerretur summi Pontificis dignitas, & quidquid mundus mihi dare potest: non tamen hoc genus vitæ pro illis commutarem, sed omnia (vt ait Apostolus) tanquam stercora & scoriam arbitrarer; ob quod responsum ipsemet Magister, qui iam à Domino pulsabatur, constitutus, idem vitæ genus arripere. Exercitijs finitis impositũ illi munus est triclinij parandi: tantumq; erat eius solatiũ & feruor, vt flexis genib. scopis illud verreret; pauimentum oscularetur, & proprijs lacrymis rigaret, permouens omnes aspicientes ad magnã deuotionẽ. Excelluit valde in abnegatione & mortificatione sui ipsius; & vt magis profundæ humilitatis radices iaceret, horrebat quidquid mundus magni facit; tegebat quidquid alicuius

honoris

honoris occasionem ipsi adferre posset; offerebat autem se ad omnia, quæ maioris contemptus sui causa esse possent: & prudentia quadam plus quàm humana cum hoc faceret ad se humiliandum, & abijciendum: ita rem dissimulabat, vt non aduerteretur ea ipsum facere ex virtute, & studio; sed quasi nesciens, aut non potens aliter facere; vt etiam hoc magis contemneretur: cuius rei notabilia aliqua exempla subijciemus.

VT se mortificaret, valde delectabatur inseruire coco, non solùm cùm esset Nouitius, sed etiam cum studeret. Diebus festis, & consuetæ remissionis studiorum facultatem petebat eundi ad culinam, vt iuuaret in verrendo, & lauandis rebus culinæ, in præparandis cibis: nam ego, aiebat, multum didici in hoc Officio, cum essem in sæculo; & vellem meam artem hic benè collocare, vt seruis Dei aliquis bonus cibus præparetur.

CVRAM quoque bestiarum & iumentorum libenter suscipiebat, vt pabulum, & reliqua necessaria illis ministraret, dicens, se etiam esse artis huius peritum. Peruenit tunc temporis Salmanticam Pater quidam in equo valde debili vlcerato, & læso, quem fere decreuerant tanquam inutilem, liberum ad campos dimittere. Sed ipse cum P. Ministri facultate recepit in se equi curam; cuius vulnera ipsemet abluebat, ac diligenter medicabatur: & conduxit pratum quoddam ex altera parte pontis, vt aliquo tempore ibi maneret: petijt facultatem, vt eo deduceretur; & concessa est in eo sensu, quòd aliquis domesticus famulus duceret: sed ipse tantam videns se humiliandi oportunitatem, accepit gale-

Is tunc erat P. Gundisalus Abulensis.

galerum, & pallium detritum assumentisque plenum, & magnam quandam vacerram sub brachio, & funem, & bonam copiam stupæ in manibus, & equum ex capistro: ac deduxit per mediam ciuitatem cum prædictis instrumentis, ita detectis, vt omnes viderent: transiuit propter Vniuersitatem eo tempore, quo multi Collegiales et scholis exibant; qui omnes subsistebant, aspicientes, & stupentes tantæ nobilitatis virum, & eiusdem Vniuersitatis aliquando Rectorem ita ambulare, cum tanto gaudio & vultu iucundo ac subridente. Hac igitur ratione equum illum duxit ad pratum cum insigni triumpho de vanitate & pompis sæcularibus; & cum maiori gloria, quàm Imperatores de suis hostibus per totam Vrbem triumphare consueuerant. Superior, cùm id intellexit, reprehendit eum, quòd eam viam tenuisset: sed vir sanctus, qui singulari arte & gratia suæ humilitatis actiones tegere nouerat, valde pacatè illi respondit: mi Pater, ego, quia valde sum ignauus, cogitaui, qua via rectius, & breuius ad talem locum ire possem; & ideò talem elegi.

SED vlterius progressa est eius humilitas, nam cùm præstantis esset ingenij, & præclari iudicij, simplicem se tamen faciebat, & studio stulta aliqua dicebat, vt talis haberetur. Cùm deberet in Triclinio concionem habere pro more fratrum studiosorum, mouit in ipsa concione dubium circa quoddam punctum vitæ illius Sancti, de quo erat concio; dixitque: duo exemplaria librorum, qui inscribuntur Flos Sanctorum, in eo puncto dissentire. Et cùm respon-

ſpondendum eſſet, quid ipſe de ea diuerſitate ſentiret, dixit: ego verò accedo ad exemplar Flos Sanctorum Cæſar-Auguſtæ excuſum, eò quòd characterem habeat craſſiorem, & melius illum aſſequar. Et quamuis Auditores ſubriſerint, ipſe valde pacatus manſit, quaſi iudicio ſuo vlteriùs progredi non potuiſſet; ſed ita locutum, ſicut reuera ſentiebat. Et, vt magis ipſe in humilitate exercéretur, permiſit Deus, vt quidam ex ſtudioſis non intellexerit ſpiritum, quo ſeruus hic Dei ducebatur; ſed perſuadens ſibi, eum reuera eſſe adeò ſimplicem, atque præ ſe ferebat: ideò valde ridebat; eiusque actiones aliàs quaſi ſtultitias irridebat, tribuens illas intellectus hebetudini, & ineptitudini: nec in eius præſentia ab huiuſmodi irriſionibus abſtinebat. Sed Franciſcus verè humilis, commodam hanc in humilitate proficiendi, & ſimul charitatis exercendæ occaſionem non prætermiſit; ſed ſtudebat diligenter ei indulgere, eumque honore afficere, à quo ita contemnebatur. nam cùm ipſe menſæ miniſtraret, curabat optimum ferculum, quod ferebat, ei porrigere, & quando ad quotidianam recreationem ſe conferebat, aut ad hebdomadariam, cum exeundum erat ad campos, ſemper Franciſcus ad Fratrem illum accedebat, vt alicuius contemptus occaſionem captaret. Et cum eius Profeſſor Pater Oiedius id obſeruaret, quæſiuit ab eo: quid hoc ſibi vellet, quòd ſemper accederet ad illum Fratrem; totque daret indicia ſingularis cum eo amicitiæ, non ſine nota alicuius

cuius singularitatis. Et cùm valde illum vrgeret, vt facti sui aliquam rationem redderet; quia sibi persuadebat, id non fieri sine aliquo mysterio: tùc Franciscus respondit, causam eam esse; quòd Frater ille, & benè ipsum nosset, & pro meritis tractaret: at R. V. (inquit) & cæteri multum me honorant, quasi ego aliquid essem: quod nullum mihi adfert emolumentum: at iste Frater melius me agnoscens, eo loco me habet, quem ego promereo, irridens me & res meas: & hoc plurimùm mea refert, ac propterea cum eo mihi meritò agendum, vt soleo. Quo responso obstupuit eius Professor profundam sui discipuli humilitatem.

ALIVD quiddam Magistro ac discipulo euenit, in quo etiam suam humilitatem valde manifestauit. Nam cum diebus Dominicis Quadragesimæ ad Pagum quendam, duobus miliaribus Salmantica distantem, concionatum irent, & quidem pedites paulatim ambulantes, Pater ipse concionabatur, Franciscus verò Christianam doctrinam rusticos docebat: coniungebant se autem pueris multi viri & fœminæ, & ferè Pagus totus ad vesperam, fecitque extraordinarium in eis fructum; tantumq; amorem homines illi in eum conceperunt, vt ad sequentem postea quadragesimam peterent mitti ad se eosdem Patres, vt benè illis facerent, quemadmodum in præcedenti quadragesima fecerant. Post paucas Dominicas ex rumore quorundam studiosorum, qui Salmantica ad eundem Pagum excurrebant, cognouerunt qui esset Frater Franciscus; ac propterea omnes inceperunt magnum ei exhibere honorem, imò aliqui Dominum

nũ Illustrissimũ compellare cœperunt. Grauissimè hoc ille tulit, magnaq; dexteritate conatus est hanc illis opinionẽ eximere, dicens se fuisse cocũ, & agricolam; & quod posset ipsos de Agricultura examinare. Sed cùm hoc non sufficeret, ad illam opinionem deponendam; & cessandum ab honore magno ei exhibendo: institit ipse apud suum Professorem, ne amplius ad eum locum ipsum duceret; & apud Superiorem, ne mitteretur: quod tandem concessum illi est, ne affligeretur: maiorem enim ipse molestiam sentiebat, quod videret, se in honore haberi; quàm homines sæculares sentiant, quòd honore sibi debito priuentur.

VT autem appareat ex intimo eius corde hæc prodire, referam, quid ei cum quodam Fratre condiscipulo suo euenerit. conuenerant enim inter se, vt mutuò se monerent cum charitate de defectibus, quos alter in altero aduerteret; cumque alter frater ad Franciscum accederet aliquoties, peteretque, vt pactis initis staret; Franciscus se negligentiæ accusabat, & emendationem promittebat: donec vrgenti ipsum socio, quodam die respondit: occupationem internam, quam de suis defectibus habebat, non permittere, vt alienos obseruaret: & reipsa erat ita: nam omnes alios honorans, se ipsum solum abijciebat: & lynceos oculos habens ad proprias culpas discernendas, cæcutiebat ad notandas alienas. De nullo vnquam malè loquebatur, sed omnes potius in sua viscera immitere contendebat, seruiens illis, indulgens, & quoad poterat infirmos consolans, promouens quod in se erat charitatem & solicitudinem, quæ in Societate seruatur erga eos.

SED

SED ad eius virtutis exercitationem permisit Deus, deesse ipsi hanc aliorum curam in eius morbis. Discesserat enim ex ciuitate Coadiutor Infirmarius, qui in eo munere præstabat: in cuius loco manserat socius eius Nouitius, qui fuerat in sæculo Agricola, literarum rudis, parumque industrius circa curam ægrotorum. Hoc itaque tempore Franciscus ipse incidit in graues tertianas febres: Infirmarius more suo pagano adeò negligenter curam eius gerebat, vt in deterius febris progrederetur, non sine mortis periculo. Idem autem Franciscus factus Sacerdos retulit mihi postea quædam particularia, quæ Infirmarius ex ignorantia, erga ipsum egisset: vt vel tunc compassione quadam ego mouerer. vnum tantum referam quod accidit, quo die potio purgatiua erat sumenda: (erat autem dies Sabbathi) Nouitius cum esset planè recens, & in pago educatus, oblitus est in separata olla pro ægroto cibos præparare: quando autem diuidum pro more erat ægroto iusculum, accepit partem pulli, & iniecit in ollam communitatis, in qua, pro more gentis, coquebantur exta; & aliæ res similes: ex quo iusculo attulit poculum ad ægrotum. Sed cùm ille gustare, iudicauit expedire, non sumere. Post horam, cibum illi attulit partem illam pulli incoctam, & instar ligni duram, plenamque pinguedine, quæ supernatabat in olla, quando illam excepit: non potuit ægrotus nec bolum quidem deglutire, cùm tamen ob magnam euacuationem & sudores, qui in fine paroxismi exibant, erat

Erat Antonius Omistus

valde

valde debilitatus : quare subsidio illo carebat, quod boni & periti Infirmarij in tali occasione præstare solent. nihilominus Franciscus nunquam est conquestus, nec signum aliquod impatientiæ dedit, nec verbum dicere volebat, donec aduertens periculum amittendæ vitæ, incidit illi scrupulus, an bona conscientia posset permittere, se mori potius, quàm verbum aliquod dicere. Nec audebat per seipsum ab hoc dubio se expedire : quare ipso die purgationis petijt ; vt quidam Pater senex, valdeque spiritualis (Pater scilicet Gonzalus Gundisalicus, qui habebatur seuerus valde in se ipsum) ad se veniret : ita existimans, se talis viri responso & consilio fore tutum. Venienti ergo retulit sub secreto quod agebatur ; & proposito suo casu, interrogauit : vtrum esset maioris perfectionis : tacendo finere se mori ; an Superioribus indicando præsentem necessitatem; nam, se decreuisse, quod melius esset, eligere. O virum verè resignatum, & proprio amori mortuum ! siquidem, ne vel vnum imperfectionis punctum omitteret, decreuerat tantam molestiam ferre ; & in ea quærenda vitam amittere : cùm facilè potuisset occurrere, vel vno verbo rem Superiori proponendo. Audiuit prudens spiritus Magister propositum sibi dubium, & tanquam peritus medicus voluit probare ; & promouere ægrotantis patientiam : dixitque illi, vt taceret, seseque totum manibus Dei traderet ; nec vellet gloriosam adeò patiendi occasionem, quæ incogitanti euenisset, sine fructu prætermittere : his dictis, ægrotum reliquit

Pater, sed accessit mox ad Superiorē, retulitq; quid ageretur. Statim autē magna cū charitate ac celeritate subsidium ægrotanti allatum est, ita vt hinc Frāciscus fructum magnum acceperit ex eo, quod tacere decreuisset, contempto sui periculi timore; inde verò necessitati eius occursum, ob industriam boni medici. Et omnes aduertimus: in Collegio, vbi tanta erat charitas, & solicitudo erga ægrotos, non potuisse talem incuriam aut negligentiam absque diuinæ Prouidentiæ consilio euenisse; sed vt magis se proderet heroica virtus ægrotantis.

PROFICIENTI Francisco his mortificationis exercitationibus Deus valde indulgebat, eumque cælestibus suis donis multum ditabat, & nominatim in ordinarijs sacris communionibus in quibus eueniebant illi res valde extraordinariæ; quamobrem cùm ætatis satis multum haberet; curarunt Superiores vt secundo suæ Theologiæ anno fieret Sacerdos, ipso valde repugnante. Nam, licèt magnus affectus ad frequentiorem communionem, permouere ipsum poterat ad talem statum suscipiendum; at dignitatis magnitudo humillimum virum valde deterrebat. Factus Sacerdos, cum sufficientem haberet Eruditionem, voluerunt Superiores, vt Dominicis, ac festis diebus Confessiones audiret: sed ipse ab eisdem petijt, vt hanc facultatem restringerent ad solos pauperes, mancipia, & plebem vilem. Quare ad hos tantū audiēdos se accōmodabat, & non ad alios: quod si quis altioris ordinis accederet, eum alteri Confessario commendabat: tantoq; fructu Officium hoc præstabat, vt pœnitentes cum ma-

gno

gno suo profectu ex pedibus eius discederent. Et cum extra Confessionem eos de rebus ad animam pertinentibus alloquebatur, id tanta cum humilitate, & humanitate faciebat, atque si æquè ipse abiectus esset, atque illi; quæ vt ipsi ita sibi persuaderent, diligentem dabat operam, vt sic ipse fructum hunc humiliationis non amitteret; illi verò alacriores essent ad agendum cum ipso. Etiam sese applicabat ad agendum cum famulis domesticis, nam à prandio illos accedebat, deque eorum officijs & occupationibus agere incipiebat, sed statim immiscebat sermonem de officio, quod bonus Christianus vt proprium & vnicum debet reputare, sua scilicet salute: docebatq; eos Christianam doctrinam, ministrare Sacro: adeoque in modestia, externaque compositione, & frequentia Confessionis & Sacræ Communionis eos faciebat proficere; vt viderentur Religiosi.

STVDIIS finitis, iuit ad tertium annum Probationis Villagartiam sub eodem P. Balthassare, vbi simul eam peregimus: & ibi testis factus sum insignium eius virtutum, in quibus consuetos suo feruore progressus semper est ad mortem, quam eodem anno ibidem obijt, vt suo loco dicetur.

CAPVT XXXI.

VALDE SERIO ATTENDEBAT vt Professores essent valde perfecti: & insignis virtus P. Francisci Ribera, qui tunc sacras literas profitebatur.

QVAMVIS P. Balthassar valde attenderet, vt studiosi Societatis literas cum spiritu coniungerent, vt vidimus: multò tamen magis & optabat, & studebat, vt Magistri & Professores id ipsum maximè contenderent, vtpote à quibus virtus, spiritus, & Religio discipulorum maximè dependeat. cùm enim discipuli vt plurimùm ament, magnique faciant suos Professores, à quibus scientias & eruditionem hauriunt: ita conantur eorum Religionem & sanctitatem, quam ab illis coli vident, imitari: à quorum verbis, & actionibus cum magna sua voluptate, & oblectatione virtutes discunt, quas in eis vident elucere, & quas pluris se facere ostendunt, quàm ipsas scientias; & ijdem ipsi Professores exemplari sua vita sui ipsorum ac doctrinæ suæ magnam discipulis ingenerant opinionem: ita vt si in praxim aliquid sit deducendum, facilem eius reddant exsecutionem. Nam (vt S. Petrus Chrysologus dixit:) *Magisterij au-*

Serm. 167.

thorita

thoritas constat ex vita: docenda faciens obedientem perficit auditorem: contra verò praua aut imperfecta vita opinionem detrahit & honorem Magistro, & eius doctrinæ. In quem sensum etiam Sanctus Bernardus dixit: *cuius vita despicitur, restat vt prædicatio contemnatur*. Quamobrem valde optabat Pater Balthassar, Professores & Concionatores valde esse spirituales: & prius in se ipsis proficere, vt alios proficere facerent. Aiebat enim: valde dolendum esse chartas & memorias, sententijs & veritatibus esse plenas; animas verò, virtutibus vacuas; & inordinatè plane eos facere, qui quicquid studio suo comparant, ad aliorum profectum ita dirigunt, vt nihil sibi supersit: siquidem vnus ex proximis, & quidem omnium primus, cuius ratio sit habenda, ego ipse sum, iuxta illud Salomonis: a *bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui; deinde deriuentur riui tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*: Addebat autem: viros eruditos sine spiritu, inanes, & elatos magnum Ecclesiæ Dei, & Religionibus adferre detrimentum; quòd si liberum sibi esset, huiusmodi homines adeò sibi placentes & florentes, (licèt sibi videantur Ecclesiæ ac Religionum esse columina) statim ad culinam mitteret, vt arrogantia, & lasciuiens ille affectus ibi mortificaretur, & exhalaret. Eruditos verò Dei cordi conformes, suamque scientiam cum spiritu coniungentes, in magno honore habebat, magni faciebat, Deoque D.N. valde commendabat; & in quibus poterat, subsidio & auxilio erat:

Serm. 2. de Resur.

a *Prou. 5. 15.*

quia tales iudicabat, verè esse Ecclesiæ ac Religionis columina. Hoc autem fauore prosecutus est eum Deus, vt ij, quorum tunc curam habebat in suo Collegio, tales verè essent.

ANNO 1575. Et nominatim, cùm ageretur de lectione scripturæ Sacræ in eo Collegio costituenda, quæ tanti est momenti; vt studiosi sacræ Theologiæ, quæ illi maximè innititur, perfectiores euaderent, valde optabat, vt talis aliquis Professor constitueretur, qui eminenti doctrinæ, vitæ coniungeret sanctitatem: & Dominus noster, voti fecit illum compotem, mittens ad illud Collegium P. Franciscum Riberium, suum olim Metinæ Nouitium, de quo & opinionem & pignus magnum habebat: quod præclaris suis virtutibus adificaturus esset, & valde excitaturus Fratres nostros studiosos: earum hic summam quandam subijciam, eò quòd tot nominibus ad eum spectare videantur, quem habuit in suo Tyrocinio Magistrum.

Fvit insignis hic vir Collegialis insignis Collegij Archiepiscopalis, quod est in Vniuersitate illa Salmaticensi: & absoluto tempore manendi in illo Collegio redijt ad suum Oppidum Villa-castinum, vnde erat oriundus: ibique continebat se in studijs Sacræ scripturæ, in quibus valde excellebat, vtpote trium linguarum valde peritus, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ. Voluit Deus supremis suis consilijs vt in quibusdam rebus, quas ambiebat, parum fœliciter illi cederet: quæ eius fuit magna fœlicitas. Nam transiens per illud Oppidum Pa-

ter Martinus Gutierrius Salmaticēsis tunc Collegij Rector (vbi eum nouerat, & cum eo egerat, eiusq; Confessiones exceperat) eum visitauit; &, postquam de rebus alijs contulissent, dixit Doctor Riberius; se decreuisse, recipere se ad quandam domum illius oppidi, prope quoddam Sacellum B. Virginis, ad quam singularem haberet deuotionem; & inde velle prodire, vt in vicinis locis conciones haberet: reliquum verò tempus consumere cum suis libris. & interrogauit P. Gutierriū, quid ipsi videretur de illa vitæ ratione: cui vir sanctus: Domine Doctor, inquit, placet huiusmodi mentis vestræ decretum; sed attendat, quod tunc retinet sibi optimum pignus, quod habet, propriam scilicet voluntatem. Hoc verbum ita cor eius penetrauit cælesti luce, & spiritus Sancti motione pulsante, vt statim decreuerit omnino mundo renunciare, & Societatis Institutum amplecti, in qua eadem studia & ministeria exercere liceret, absq; vlla propria voluntate: sequendo scilicet Obedientiam, quæ nos cum diuina connectit.

Hoc absolutè edito decreto, etsi per dies aliquot ibi hæserit, vt prospiceret quibusdam Dominabus cognatis suis honestissimis: tandem omnes vincens difficultates, venit Salmanticam: vbi à Patre Martino Gutierrio receptus est in Societatem Anno 1570. & inde iuit Metinam cum Patre Balthassare, vbi experientia didicit, quod scriptum reliquit in quodam ex suis libris: quod scilicet vir esset magnæ mortificationis, & orationis, valde potens in verbo, quo transfigebat corda; magnamque industriam ac dexteritatem haberet in deducendis animabus

Lib. 1. c. 2. vitæ Theresiæ de IESV.

ad Deum. Vsus ergo adeò excellenti Magistro, & naturali gratiæque talento, quod à Domino acceperat: ita spiritum Societatis hausit, quasi ab ipsa iuuentute in ea fuisset educatus: & in omnibus virtutibus valde excelluit, nominatim verò in ea, cuius amor eum ad Religionem allexerat, Obedientia scilicet, cuius leges & reliquas Superiorum Ordinationes exactissimè seruauit, non solum tempore sui Tyrocinij, sed etiam totius vitæ: ita vt neque studia, neque aliæ occupationes, quas habuit, potuerint ipsum ab ea exactione impedire, aut ab exacta cuiusuis Regulæ etiam minimè obseruatione retardare. & quamuis sæpius valetudinem haberet debilem; ac propterea indigeret, nunquam tamen interdiu bibere voluit absque Superioris licentia; nec prætermittere cubiculi sui purgationem bis in hebdomada; nec domi, aut extrà literas aut schedam aliquam legere, absque Superioris licentia; nec tale quid scribere, quin prius ad id licentiam obtineret; nec mittere nisi prius, quod scripsisset, ostenderet; imò aliquoties euenit, vt postquam ostendisset, aliquid addendum occurreret: & nec tunc literas claudere volebat, nisi prius, quod addidisset, ostenderet: cum enim id totum esset iuxta regulas, nolebat nec in puncto quidem ab eis recedere. Fuit insignis in modestia & totius corporis compositione, in suarum actionum moderatione; humilis supra modum, planè addictus, vt in suis dubijs alios consuleret; & ab alijs doceretur, etiam minus peritis: valde humanus & affabilis in sua conuersatione, & sua-

& ſuarum virtutum exemplo, valde ſe reddebat amabilem. Non erat eius feruor ſicut iuuenum Tyronum, qui ollarum inſtar ad magnum ignem appoſitarum, vehementer feruent, & quod intus habent, ſtrepitu quodam exteriùs effundunt: ſed eius feruor erat grauis, ſubſtantialis planè, & pacatus, inſtar alicuius ollæ ad moderatum ignē feruentis, meliuſque coquentis, quod continet; qui feruor eſt etiam diuturnior. Quare grauitate, ac pondere ſolidarum ſuarum virtutum omnes ædificauit, vbicunq; fuit; tam Metinæ, quàm Salmanticæ, vbi Scripturam ſacram per multos annos cum magna omnium approbatione docuit; in quam aliquos reliquit ſcriptos libros, qui fidē faciunt inſignis luminis à Deo ad eius intelligentiam accepti.

In his omnibus multum iuuabatur Oratione, in qua multas diei, & noctis horas expendebat, ſequens ſui Magiſtri exemplum, & veſtigia. eiuſdem orationis auxilio vtebatur ad ſacræ Scripturæ intelligentiam; cui interdum ieiunia, aliaſq; pœnitentias addebat. Et cùm circa locum aliquem difficilem videret ſe implicatum, recipiebat ſe per dies aliquot ad exercitia ſpiritualia, & per huiuſmodi media Dominus illi communicabat, quod quærebat. Perſona quædam digna valde, cui fides adhiberetur, retulit, ſe, cùm P. Riberius in feſto S. Andreæ concionaretur, vidiſſe magnam lucem, quæ prædictum Patrem circumdabat, & in ea ipſum Chriſtum D. N. qui magna maieſtate, & pulchritudine ſua illi aſſiſtebat, & vultu placido cōcionantē aſpiciebat, vlnis ſuis ſuper Patris humeros innitens, quaſi ſub ſua eū protectione haberet.

In concionis progressu P. protulit hæc verba: O magni Dei nostri granditatem! quod non sit in tota Scriptura sacra apex, non refertus mysteriis veritatum: Deniq; tota est eius ore prolata, quæ summa est veritas. Et tunc persona illa audiuit Christum Dominum iucunda voce sibi dicentem: Filia, hic est verè vir, qui sanum ac verum exprimit Scripturæ meæ sensum: ideoq; meas illi veritates infundo, qui nouit perpendere, & æstimare, quantum mihi constiterit, quòd eas fecerim hominibus innotescere, sanguinem scilicet meũ, rectè tibi contigit, quod eum habeas Confessarium; crede quod tibi dixerit; nam in eo me ipsum inuenies; discesq;, qua ratione meam debeas voluntatem exequi. Estq; mihi valde credibile, hanc reuelationem nõ inanem fuisse; sed à Christo D. N. profectam: eò quòd nouerim, valdeq; familiariter egerim cum Patre ipso Riberio, in quo prædictas virtutes obseruauerim; ac Zelum, quo tenebatur intelligendi, legendi, & concionandi cum magna puritate literas sacras; & iuuandi, ac promouendi animas, in quibus omnibus cum magno feruore semper perseuerauit vsque ad mortem, quæ contigit mense Nouembri, Anno 1591. Cuius mors tam fuit preciosa, quã fuerat eius vita. Et tertio post die eadem persona, quæ prædictam habuerat visionẽ, statim post Communionẽ rapta fuit spiritu, visaq; sibi est, in cœlo esse, vbi prædictum Patrem Franciscum Riberium vidit cũ magna gloria, valde prope sedem Dei: ex cuius pectore ingẽs lux procedebat in pectus eiusdem Patris, quem ingenti pulchritudine, ac lætitia illustrabat, sibiq; vniebat; per quam maxima quæque intel-

intelligebat eorum, quæ in mundo docuisset: & eadem persona facta est capax, quod tantam lucem Deus huic viro dedisset, eò quod nunquam respexisset, aut curasset honorem inanem; sed ipsum Deum, vt & cognosceretur, & amaretur ab omnibus, & obsequium ei à suis creaturis præstaretur. Adiecit, quòd hæsisset in Purgatorio per horam; idque sine magno cruciatu: eidemq; commisit, vt cuidam alteri afflictæ personæ diceret: si in cœlo posset esse aliqua pœna, se etiam illic eam sensurum, quòd videret illam talia pati: Sed quoniam æterna iam bona sibi patebant, quæ abundè remunerarent finitas calamitates, quibus afficiebatur, non poterat dolere, etiam videns eam talia pati: & ipsimet personæ, cui sanctus Pater apparuit, multa & præclara dedit documenta, vt posset in obsequio diuino proficere; eamque valdè est consolatus, quæ etiam multùm indigebat solatio. Hæc omnia facilè credi possunt de eo Patre, qui vitam suam in tanta puritate ac veritate duxit, sicut dictum est. Alia plurima de eodem venerando Patre referre potuissem; sed prætereo, iudicans, ea, quæ dixi, sufficere ad honorem Magistri, ac spiritualis eius Patris ex tanto discipulo.



CAPVT XXXII.

MAGNVM FRVCTVM facit in multis illius Vniuersitatis viris, & in alijs præcipuis secularibus.

ANNO 1574.

EX illo Zelo, quo Pater Balthassar tenebatur animas iuuandi, dedit operam, vt ad suum Collegium deduceret Patrem Doctorem Ioannem Ramirium, insignem nostræ Societatis Concionatorem: vt feruenti suo Zelo raroque talento, corda moueret tam eorum, qui ad illustrissimam illam Vniuersitatem confluunt, quàm nobilissimorum Equitum ac Ciuium; ipso interim Patre Balthassare accedente pro more ad agendum priuatim cum multis, cupientibus ab ipso deduci ad perfectionem. Confluebant ad Collegium nostrum multi studiosi, vt Societatis exercitia peragerent, sicut & nunc fit, quos sanctus ille Pater plurimum iuuabat, eiusque verborum ac rationum vi aliqui decreuerunt mundo renunciare, & nostram Societatem ingredi: quorum vnus fuit Pater Franciscus Abulensis, cuius in Societatem ingressus, cum stupendis adeò circumstantijs positus fuit supra capite decimoquinto: sed non fuit minus insignis ingressus in eandem Doctoris Augustini Mendiolensis,

Præ-

Præclarus Collegij Conchensis Collegialis, & Philosophiæ in illa Vniuersitate Professor; qui plusquam à decem annis vocabatur à Deo ad nostram Societatem: & quamuis Pater Balthassar illum moneret, & iuuaret, vt tali vocationi fidelem se præberet; ipse tamen differebat, se ipsum decipiens ob quasdam obligationes, quibus putabat se teneri: & vt eis satisfaceret, cœpit quærere quædam beneficia, & reditus Ecclesiasticos, desiderans peruenire ad altissimum locum, quem ipsius maxima talenta, & varia eruditio assequi potuisset. Sed cùm maximè ipse esset in hisce ambitionibus immersus, voluit diuina bonitas, tales eius gressus impedire; & graui ægritudine, quâ peruenit ad portas mortis, oculos eius aperire. Timens ergo periculum, & rediens ad se ipsum, deprehendit magnum suum errorem, quòd tam diu diuinæ vocationi restitisset. Cùm igitur die quodam, valde à morbo premeretur: magnumque conscientiæ remorsum, & scrupulum sentiret, eò quòd non satisfecisset desiderijs à Domino sibi datis: etiamsi aliquid occurreret, quo se excusaret: fixit oculos valde affectuosè in imagine Christi crucifixi, quam in suo cubiculo habebat: ex qua ipsemet CHRISTVS est allocutus, eumque ob talem ditationem reprehendit, ac iussit, vt Societatem ingrederetur, insinuans illi, se sanitatem restituturum, vt id perficeret.

BONVS ergo Doctor Mendiolensis tali voce & mandato, hinc erubuit ob suam negligen-

gligentiam; inde verò valde fuit consolatus, & animatus ex tanto CHRISTI Domini fauore: & ita decreuit certò ingredi Societatem. Petijt à Patre Rectore cum summa instantia, admitti. Pater Balthassar videns mutationem; quam potens Dei manus illo pulsu infirmitatis fecerat in corde adeò immerso huic sæculo consulto & approbante Patri Prouinciali, ei significauit, vt cogitaret se esse Societatis; & quando ita esset dispositus, vt posset ad Collegium venire, id faceret. Tantum animi et huius nuncij gaudio ille accepit, vt licèt morbus grauis esset, ac periculosus, adeò tamen contra illum nuncius ille præualuit, vt locum dederit surgendi, cum aliqua morbi remissione: & quamprimum licuit pedibus consistere, venit & ingressus est Collegium: vbi Pater Rector & cæteri nostri expansis vlnis, & cum magna charitate ac lætitia eum sunt amplexi. Tulit secum prædictam Crucifixi imaginem, sæpeque asseuerauit nostris domesticis, quod verè esset locutus, nec posse subesse fraudem; sed veritatem maximam. Et ita affirmabant multi, quod sæpiùs ex eius ore id audiuissent, paucis illis diebus, quibus in Societate vixit: nam eodem die, quo fuit exceptus, ita inuasit eum iterum febris, vt coactus fuerit statim ire ad lectum: in quo mansit vsque ad suum obitum, duodecim scilicet dies, postquam fuerat ingressus. Erat valde lætus, quòd videret, se mori circumdatum tot Religiosis, sibique ipsi etiam ministrantibus: cum animo deliberato & firmo seruiendi DEO DOMINO

MINO nostro cum magna perfectione toto tempore vitæ suæ. Sed Maiestas diuina deliberata & resoluta illa voluntate contenta, voluit illum ad se vocare, fortè *ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam ipsius*. omnes autem DEVM glorificarunt, quod admirandis vtatur medijs, ad saluandos suos electos, per capillos (vt dicitur) eos trahens, quando ipsi nolunt sponte venire. Sap. 4. 11.

SED redeamus ad Patrem Balthassarem, in eadem Vniuersitate cum multis grauibus & splendidis personis agentem, magnam de ipso opinionem habentibus, eiusque directione in rebus animæ libenter vtentibus. Inter hos fuerunt D. Teutonius, postea Episcopus Eburensis, qui sancto huic Patri semper confitebatur; & quoniam magno eum prosequebatur amore, multa in eo obseruauit singularia indicia sanctitatis: quæ postea retulit, vt huic historiæ insererentur. Egit quoque valde familiariter cũ D. Santio Abulensi, qui nũc est Episcopus Nẽtesanus; & D. Christophoro Vela, qui postea fuit Archiepiscopus Burgensis, & rem quandam notatu dignissimam in modum Prophetiæ testificatus est, quæ sibi in eadem ciuitate cũ P. Balthassare euenit. cùm. n. soli essent, dixit ei Pater: certũ mihi est D. Magister, Deum vestra opera vti velle in re aliqua plus quàm ordinaria: nec mihi vllum est dubiũ; quare nec vos dubitate: quia breui id experiemini. Ita autẽ euenit: nam statim fuit promotus in Episcopum Canariensem, qui tamen, quod tanti faceret Patris Balthassaris iudicium, noluit suum consensum in

eam

eam promotionem præbere; donec cum eo ageret, & ab eo postquam Deo negotium commendaret, intelligeret, quid sibi esset agendum. Pater Balthassar fecit cum toto Collegio orationem; & postea respondit; vt absque aliqua hæsitatione dignitatem illam acceptaret. Nã (vt S. Gregorius in suo Pastorali ait) qui huiusmodi dignitatibus digni sunt, quemadmodum non debent eas sponte sua ambire, ita non debent reijcere cum illis constat de diuina voluntate, vt acceptis à Deo talentis possint fideles subditos adiuuare.

Parte 1. cap. 6.

SIMILIA ei euenerunt ibidem cum Monialibus Carmelitis Discalceatis, quas ob singularem earum Religionem & spiritum libenter visitabat, & aliquarum Confessiones audiebat, eas consolans, animumque addens ad viam perfectionis ambulandam; & nominatim matrem Annam de IESV, quæ eius Conuentûs erat Superior; & postea fuit Madridiensis; & aliorum, quæ cum omni asseueratione affirmabat: P. Balthassarem habere Prophetiæ donum: multis enim annis ipsi prædixerat ingentes labores & molestias, quas esset subitura in promouendis cõsilijs S. Matris Theressæ de IESV, Religionis eius fundatricis. Et cũ illa de aliquibus, quę ab illo audiebat, dubitaret ob ingẽtem difficultatẽ, de quâ non sciebat, an posset superari: Pater ei affirmabat omni dubio procul fore, vt ipsa experiretur. Et cũ postea eidem Patri referret de aliquibus, quæ re ipsa perficiebantur, subridens ipse ei dicebat: gaudeo, vt assuescas credere Deo; & ijs, qui in eius nomine misericordias eius tibi prædicunt, & sanguine suo, si opus esset, subscribere velles, quod

quòd easdem experturæ essent illæ personæ, quæ in huiusmodi occasionibus ac difficultatibus essent, quas ipsa expertura esset; & multo plura passura esset, quàm cogitaret. Id quod sensim re ipsa eueniebat. plurimæ enim valdeque notæ, & manifestæ fuerunt molestiæ, ac difficultates, quas Dei hæc famula in Religione sua perpessa est, vt tueretur, ac propugnaret, quæ Sancta eius mater constituerat, vt dictum est. Et ego certo mihi persuadeo Dominum nostrum ex amore, quo hanc famulam suam prosequebatur, voluisse eam præuenire per eius Confessarium reuelando ei molestias ac difficultates illas, vt ad eas ferendas se prapararet; pectusque ac fortitudinem contra eas indueret, iuxta commune illud dictum: iacula prequisa minus feriunt, ac proinde minus nocēt.

IDEM Monasterium ingressa est soror cuiusdam P. Societatis, vt esset Monialis, quæ tamen propter continuas suas ægritudines non potuit perseuerare. inde igitur exiens, contulit se ad Monasterium S. Elisabethæ, vt ab strepitu sæculi separata, cogitaret, quid sibi imposterum esset faciendum. Petente autem ipsa accessit ad eam P. Balthassar, vt consolaretur, & sic eam affatus est: ne existima parum me laborasse, vt tuum Spiritum agnoscerem; & mihi crede, quod te Deus amet: sed non vult te esse Monialem Discalceatam: & hoc crede, quasi Angelus aliquis Dei id tibi diceret. Illa quidem tunc quieto & pacato fuit animo: sed aliquot elapsis annis, prædictionis huius oblita redijt ad idem Institutum in Conuentu Albano: & postquam magnam partem sui Nouitatûs, valdè tranquillè peregisset, noluerunt

P. Hieronymi Abulensis.

moniales ad Professionem illam admittere, nulla interim, cur id facerent, causa reddita; ideoq; locum deserere debuit. Quæ postea in memoriam uocans, quæ ex ore P. Balthassaris audiuerat, consolationem accepit, & studuit in ipso sæculo collectè ac religiosè viuere. Notum enim est: non omnibus, Religionis statum cupientibus, facere Deum hanc gratiam, vt in ea admittantur; sicut neq; omnibus Martyrium exoptantibus, illud cōcedit. Omnes tamen meritò conari debent vt votorum ac desideriorū suorū cōpotes fiant, ita vitam suā instituēdo, vt non degenerent à perfectione, quā quærebāt, in eo gradu, qui illis cōcedetur.

QVIDDAM aliud satis notādum euenit P. Balthassari in eodē cœnobio, vbi ostendit magnā suā charitatem, vt Cap. 17. fuit explicatum. Quę charitas cū adeò esset magna, nō satis habebat Religiosis fœminis prodesse; sed ad multas præcipuasque Dominas eius ciuitatis se se extendebat, adiuuans ad earū reformationē, cū aperta morū mutatione: cuius rei non pauca potuissent exēpla adferri. Quædā inter alias nobilissima Domina Anna Maria Guzmana, cōiunx Dñi D. Henrici Bolanni, (qui tunc erat ciuitatis huius gubernator) ex consilio Sāctæ matris Theressæ de Iesu cœpit P. Balthassari cōfiteri: & post dies paucos ita mutata est, vt cùm esset iuuenis, diues, & sæcularibus ornamētis addicta, ita ea abiecit, vt cōiunx lepidè soleret dicere, quis meā coniugē deformauit? Sed cùm & ipse valde pius esset, non dolebat coniugē vanitates illas abijcere, & solidiorē animæ suę curā gerere. Et ita perseuerauit, imò valde profecit postquam remansit vidua, progrediens semper in Orationis Exer-

Exercitio, quod à P. Balthassare acceperat, in qua etiam multum profecit.

NEC minus profecit tunc Comitissa Montis Regij D. Maria Pimentella, vidua & senex: quę tãti virũ hunc Sanctũ fecit, vt nullus ęque ei satisfaceret, aut cõsolaretur, aut maiorẽ animũ adderet ad progressum in seruitio Dei; & ab momẽto quo illũ nouit, per reliquũ vitæ voluit eius iudicio & cõsilio gubernari, quãdiu prẹsens aderat, aut si absens esset, etiã per literas ab eodẽ dirigebatur. Et quãdiu mansit ibi Comes Oliuarius D. Henricus Guzmanius (optimè in Hispania ob inuictũ eius animũ notus) frequẽs erat apud ipsũ P. Balthassarẽ, reddẽs ei rationẽ totius animæ suæ: cuius iudicio in omnibus rebus suis volebat dirigi, cum magna animi sui tranquillitate & pace.

EODEM tẽpore D. Ioanna Toletana Marchionissa Veladia, quæ longo tẽpore egerat cũ P. Balthassare Abulæ, cum insigni Spiritũs sui profectu, venit Albã, vbi Ducib. Ferdinando Aluario Toletano & Mariæ Toletanæ, & Enriquiæ eius cõiugi tetulit prẹclaras dotes, ac talẽta Sancti huius viri: quare illi magno desiderio tenebãtur, eũ videndi, & cognoscẽdi; ideoq; Salmanticã quatuor tantũ miliarib. Albã distante, eũ accersiuerũt: & veniẽtẽ magna animi alacritate exceperũt: Et statim atque cũ eo cœperũt agere, aduerterũt verissimum esse, q̃ de illo audiuerãt. Quare in ea familiaritate perrexerũt: accedẽte interdũ ad eos visitãdos ipso Patre, qui suis sermonibus, & rationib. fecit illos in Societatẽ propensos, & benè affectos; rerumq; eius verè capaces, retegendo quasdã deceptiones, ab alijs contra eandem Societatem sparsas. Magnaq; cũ animi admiratione referebant mutatio-

nem, & fructum animarum suarum ex verborum eius efficacitate. Eadem etiam opera plures alios in Oppido illo adiuuit, docens rationem orandi, in qua diu postea perseuerarunt.

IBIDEM etiam egit valde familiariter cum ipso Marchione Veladio D. Gometio Abulensi, cui instillauit matris eius deuotionem & propensionem in Societatem. eumq; instruxit in rebus ad Orationem spectantibus, in qua dicebat ipse Marchio, se inuenire quidquid ad bonum animæ suę, & gubernationē domûs ac Statûs sui opus haberet. Et postea ad maiorem lucem rerum spiritualium, maioremq; cum Deo D. N. familiaritatem contulit se Villa-Gartiam: (quò P. Balthassar magrauerat) vbi hæsit per dies quindecim cum Patre agens de rebus suis, adeò demissè, atque si Nouitius quispiam fuisset. Nec paruum splendorem ex hac cum Deo familiaritate acquisiuit, ob quem fortè dignus factus est, quem diuina Maiestas ad amplissima, & eminentia Officia eueheret.

EXIIT ex eodem suo Collegio etiam Vallis-Oletum, & ad alia loca in rebus grauissimis: nunquam tamen sponte sua, sed iussus à suis Superioribus, benè aliàs conscius obligationis, quâ tenentur Prælati assistere suo gregi, quamdiu ipse Dominus aliud non constituit, ac iubet. Ita ille scripsit in Epistola quadam breui, sed valde spirituali ad Sororem Stephaniam, cuius supra meminimus, quæ valde cupiebat interesse Patrē suæ Professioni. Si fuerit (inquit) Dei voluntas, vt Professioni tuę interfim, magno id mihi solatio futurum est: non enim promoui, vt in sanctam istam domum non habens dotem, nec merita admitteretur, vt

1. Aug. 1574.

ris, vt tui statim obliuiscerer, quasi qui mortuum «
sepelit, nec amplius eius recordatur. Quod si fortè «
nõ licebit mihi interesse, hoc dico: q̃ ad tales nu- «
ptias magna requiratur puritas & sanctitas: hæc «
enim dos est, & supellex, quam dulcis tuus spon- «
sus requirit: quod si desit sanctitas, ne desit saltem «
humilitas; vt verecundia suppleat, quod deest in «
bona conscientia: & cum hac dispositione acce- «
des, vt amphoram non testaceam apponas ad Epi- «
stomium excelsissimi eius amoris diuini, cuius in- «
fluxu tota repleatur. Oret Dominum, vt me totũ «
faciat suum, meumq; istuc aduentum dirigat, si ad «
maius eius obsequium id est futurum: aliàs Sal- «
manticæ manebo; quia non vult ipse, vt eius ani- «
mas præ ipso dilgamus. Hoc scripsit P. Balthassar, & ita mansit Salmanticæ toto suo triennio: licet in vltimo anno excitata fuerit quædam tempestas ad ipsius humilitatis & patientiæ probationem: sed quoniam durauit toto sequenti anno, quo fuit Villa-Gartiæ, eam ibi referemus.

CAPVT XXXIII.

MONITA EIVS CIRCA COLloquia de rebus Spiritualibus contra depraua tas phrases Illuminatorum, qui tunc temporis surrexerunt.

IRCA hoc tempus, Anno scilicet 1575. orta est hæresis, quæ dicitur illuminatorum in Bætica Prouincia, cuius phrases modusque loquendi, perniciosus valde erat in materia re-

rum ſpiritualium quam ob rem puniti fuerunt illi hæretici Cordubæ a Sancto Inquiſitionis Officio; & tertia Quadrageſimæ Dominica eiuſdem anni promulgatum eſt contra eos, edictum, quo damnabantur illæ phraſes & modi loquendi quibus aduerſantes vero Chriſti D.N. & Eccleſiæ Spiritui ac Sanctorum. Hac occaſione P. Ioannes Suarius huius Prouinciæ Præpoſitus Prouincialis cupiens inter noſtros, qui agunt de mentali oratione, ac de rebus ſpiritualibus, nullum eſſe ne odorem quidem aliquem tam deprauati idiomatis; conſtituit, vt P. Balthaſſar Aluarius, qui adeo magnum lumen intelligentiamque internarum & ſpiritualium rerum habebat, breuem aliquem faceret tractatum de modo & ratione de eis loquendi, iuxta veritatem, & Eccleſiæ ſpiritum. Et quemadmodum P. noſter S. Ignatius ad finem libelli ſuorum Exercitiorum poſuerit decem admirandas regulas, ad ſentiendum & loquendum iuxta Eccleſiæ Catholicæ veritatem: quaſi ſpiritu prophetiæ deprauatos horum Illuminatorum aut tenebrionum potius loquēdi modos præuidiſſet, ac proinde homines Societatis præuenire voluiſſet, vt eos deteſtarentur ac fugerent: At P. Balthaſſar eiſdem Regulis alia multa adiecit iuxta ſpecialem horum temporum neceſsitatem: fecitq; omnium illarum tractatum quendam valde perfectum: quē, vt pote cōplectentē multa documēta non exigui momēti, quæ valde dilucidè totā materiā cōplectūtur, existimaui ad rem eſſe, huic hiſtoriæ illū inſerere, vt ex eo tanquā in ſpeculo appareat, quā rectè Sānctus hic vir ſentiret, loqueretur, & ageret de rebus ſpiritualibus; & quā procul abeſſet ab eo, quod aliqui poſtea ei imputarūt, vt ſuo loco dicemus. Ita

Tractatus de modo & ratione loquendi de rebus spiritualibus.

CVM veritas medium quoddam teneat, errores verò ab eo ad alterum extremum recedant: oportet non solũ sentire, sed etiam loqui cum moderatione, non ita res exaggerãdo, & extollendo, vt ad falsum aliquod extremũ accedere videamur: quã ob rẽ necesse est nostros admonere errorum, quos aliqui sunt conati proponere & in vulgus inducere sub forma idiomatis spiritualis, & titulo Orationis ac Mortificationis. Nã absque hac admonitione, non ita erunt in loquendo cauti, vt omninò euitent aliquam affrictionem in loquendo cum illorum verbis & phrasibus, qui re ipsa malè sentiũt. Ad quod vniuersim iuuerit plurimũ de Deo eiusq; rebus, & spiritualibus exercitijs ita loqui, quemadmodum S. Ecclesia Catholica Romana, eiusq; doctores & Sancti loquũtur, ad tuendã & propugnandã verã humilẽ, & synceram rationem agendi de rebus spiritualibus.

§. I.

DE ORATIONE.

INPRIMIS non exaggeremus, neque adeò extollamus Orationẽ Mentalẽ, vt vocalẽ silentio omninò inuoluamus; ne videamur tanquã inutilẽ eã præterire; sed potius simul cũ mentali eam cõmendemus. Et omninò fugiamus modũ illũ, quo aliqui loquũtur de Orantibus vocaliter, quasi cũ quodã contẽptu significetur, eos non habere spiritũ. Quare attẽdamus, vt cũ Orationẽ mentalẽ cõmẽdamus, id fiat terminis cõmunib. & vsitatis more SS. tẽperãtes exaggerationes, nec confricantes

sermones nostros cum illis, qui nunc exsurrexerunt; nec insinuantes, non posse homines absque mentali oratione vitam ducere, aut in gratia perseuerare; neque solam hanc orandi rationem sufficere, ad faciendum aliquem hominē perfectum.

ADDENDVM deinde; Orationem Mentalem non excludere res illas exteriores, quæ virtutem promouent: qualia sunt opera charitatis, ieiunij, &c. sed eis potiùs tanquam fructu suo valde proprio iuuari; & ex bono ac feruenti aut remisso earum vsu deprehendi veram esse orationem; aut sub eius specie latere fraudem.

TERTIO, ad hoc Exercitium nominatim valdè conducere pias imagines, verba Dei, cōciones, & sanctorū librorum lectionem: quam, quòd valdè sit necessaria, oportet omnibus, qui de hoc Exercitio agunt, commendare; vnicuiq; tamen iuxta propriam capacitatem. Simplicibus enim, & qui non cogitant alios docere, sufficit lectio aliquorū librorum piorum, & vulgarium; quantum sc. ad illorum directionem & pietatē promouendam cū consilio prudentis Confessarij satis esse videatur: magis autē Eruditis, & quibus ex Officio incumbit animas docere ac gubernare, magis necessaria est lectio Sanctorum ac Doctorum antiquorū, qui in huiusmodi Exercitijs à Deo fuerunt illustrati: sine qua lectione non posset quis sufficienter esse instructus, ad officium tanti momenti rectè præstandū. Et quamuis experientia sæpè suppleat defectum lectionis: at sola non sufficit, si lectio omnino desideretur; sicut neque hæc sufficeret, si experientia deesset. Et quoniam vtraque est valdè necessaria: vtranque oportet valde commendare.

QVARE

QVARTO, cautè agendum esse in persuadendis prolixis orationibus, & nominatim in constituendo limite, ac termino duarum aut plurium horarum; aut cum promissione, quod habituri, aut percepturi sint magnas consolationes: cùm hic non sit præcipuus Orationis finis; sed ipsum Deum quærere, eiqúe placere; morumque reformationem per tale medium obtinere. Nec tamen occultanda illis est doctrinæ Catholicæ veritas, quæ est ipsius Christi D.N. eiusque Sanctorum institutioni conformis: cùm scilicet non propterea necessariæ occupationes studij, Obedientiæ, aut Charitatis impediuntur, aut sanitas non læditur, præstare, orationem producere, eiqúe quantum fieri poterit incumbere. *Oportet semper orare*, ait Christus Dominus noster, &, *sine intermissione orate*, Apostolus. Et secundùm hanc doctrinam Sancti disposuerunt vitam suam. Neque est illis occultanda veritas promissionis Dei in Scriptura sua sacra, de gaudijs scilicet, & solatijs, quæ Deus animabus largitur; & experiri solent, qui verè, & cum humilitate Deum quærunt, & in familiari cum eo communicatione perseuerant.

Luc. 18. 1.
1. Thess. 5. 17.

QVINTO declarandum est, vniuersim loquẽdo, Orationem non esse tantùm pro perfectis; sed etiam pro imperfectioribus: nec arrogantiæ tribuendum, quòd imperfecti aliquid tribuãt Orationi, & Meditationi, iuxta cuiusque statum: licèt ad contemplationem, quæ vltimus est Orationis terminus, soli perfecti, & qui mundo sunt corde, perueniant.

SEXTO. In tradenda doctrina de Oratione, talem discretionem esse adhibendam, vt habea-

tur ratio naturalis talenti, & constitutionis, & status eorum, qui docentur, & aliarum eorum circumstantiarum. Nam (vt S. Gregorius docet) quidam sunt à natura inquieti, & quasi inhabiles, & inepti ad quietem, quam Oratio mentalis requirit. Et tales non debent statim huiusmodi Orationi se tradere; sed actionibus virtutum, vocali Orationi, alijsque deuotionibus, ita vt sensim naturam suam flectant, seque disponant; vt liceat postea ad mentalem ipsam Orationem accedere. Alij sunt naturâ suâ apti ad hoc Exercitium: & hi possunt se in eo occupare. in quibus tamen attendenda etiam est Statuum differentia. Nam valdè occupati actionibus exterioribus, ad quas omninò tenentur: aut non possunt Orationi mentali vacare, aut certè interpolatè, & breui temporis spacio: ac propterea id solum eis est tribuendum, quod ferre commodè possunt, & quod eos iuuet, vt in virtute conseruentur, suisque obligationibus satisfaciant: & idem dicendum est de modo & argumento Orationis illis assignando. Sunt enim quidam naturâ suâ adeò parum apti, vt non possint assurgere ad excelsas valdè considerationes; & alij, apud quos maiorem vim habent considerationes de amore, & alij de timore: & in vtrisque attendendum est, vt eo modo deducantur, quo magis proficere possint: dando operam, vt vniuersim doceantur dirigere suas meditationes ad vitæ & morum reformationem: nec eo solo contenti sint, quod modum discant de rebus spiritualibus cogitandi; sed simul studeant scire viam, spiritum, & cōscientiæ puritatem adipiscendi per huiusmodi rerum

Lib. 6. Mor. c. 26.

rerũ meditationem: Excitando se ipsos ad magis quotidiè proficiendum per ipsius Dei gratiam, instructionem Orationis, eiusque lumen; vt suis Superioribus magis obedientes sint; iniuriarum ac defectuum proximorum magis tolerãtes; charitatem in suos & Extraneos magis exercentes; studiosi & amatores stationum magis humilium & abiectarum; refrænantes propensionem, ac desideria altiùs ascendendi, & plus apud homines valendi; vincentes tristitiam, quòd se videant apud alios, quasi in obliuione esse, nec tãti ab eis fieri, atque cuperent; magis frangant propriam voluntatem, ac desideria obtinendi, quidquid appetunt, & statim quidem atque illud vellent, nam alioquin turbantur, & in verba incomposita erumpunt, nisi pro voto eis eueniat. Hoc monitum est valdè necessarium: eò quod sint multi, qui sub prætextu prolixioris occupationis in cogitandis vijs internis, negligunt, aut certè minùs, quàm par esset, contendunt proficere, & reformare se ipsos: quæ est deceptio, & illusio manifesta. Ex quo prouenit, vt post multos annos Orationis sint quasi in initio emendationis vitæ. Et magis adhuc cæcitas hæc se prodit, quia etiam sic decepti, quieti viuunt, & pacati, nec internis stimulis vrgentur, sed sibi ipsis quasi blandiuntur: cum tamen id alijs offendiculo sit; cedatque in detrimentum eorum, qui, ex ignorantia, cum illis, quasi cum viris spiritualibus agunt, quos existimant, rectà in vijs ac rebus suis progredi.

CVM quis alteri aperit, quæ in oratione sensit,

non

non solùm non errat, si secretum ab illo exigat; sed potiùs necesse est illud seruari: nisi cum ipsi personis agatur, quæ adiuuare, ac dirigere ipsum possint; aut cum Superioribus, quibus, ratione Officij, debet eius conscientia esse aperta, nihil eis occultando, quod alicuius sit momenti; aut quando ob aliquam aliam causam expedire iudicatur, vt aliquid tale, ad maius Dei obsequium, manifestetur.

ADVERTENDVM etiam, quò Dæmon magis horret Orationis Exercitium, eò cum maiori tentationum numero, & grauitate ad orantes accedere, milleque figuras & colores induere, vt nos ab ea retrahat: persuadens sibi, si ab oratione recedamus, etiam à recta vita recedere. Quare non deseri debet hujusmodi Exercitium, nec superstitiosum iudicari. Sed tradendus est tamen modus, quo debeat se gerere, qui orat, cùm tales adsunt tentationes: ita vt non deserens Exercitia sua, Victor contra easdem euadat; & ita se ad has tribulationes ferendas præparet, ac præmuniat, vt non intelligat promitti sibi sensibiles Dæmonum apparitiones: quamuis neque negetur, quòd soleat interdum Dominus noster illas permittere in bonum, & vtilitatem suorum Electorum; & simul auxilia, & interiorem lucem dare ad eas tolerandas, & vincendas.

§. II.

§. II.

De sensis Spiritualibus, & qua ratione Deus animabus se communicet.

PRIMVM, tanquam res certa statuendum est, Deum communicare, & ostendere se animabus in hac vita: non quidem per visionem claram, iuxta ordinariam legem; sed per fidem & gratiam, eiusque effectus: quod si alicui concessum est Deum ipsum in hac vita videre; id fuisse ex priuilegio singulari, quod non est alijs attribuendum, nisi quos Scriptura sacra, aut Sancti insinuant.

DEINDE, hanc Dei communicationem eiusque præsentiam non consistere præcipuè, & essentialiter in rebus sensibilibus: quamuis ex interna Dei communicatione, huiusmodi sensibiles effectus, consolationes, alijque boni motus, & impulsus sequi soleant: vt propterea huiusmodi sensibiles sensus, & motus non debeant quasi essent Dæmonis illusiones vniuersim contemni: illa enim esset insignis cæcitas, ac decepcio: sed benè sunt attendendi, ac prudenter examinandi iuxta Doctorum & Expertorum virorum consilium; & Regulas, quas Sancti de Spiritibus discernendis tradiderunt.

TERTIO, quamuis huiusmodi sensibiles consolationes, & solatia, Dei sint: non tamen in eis consistit sanctitas; nec tamen ea desiderare sanctitati aduersatur: ita tamen, vt non in eis tanquam in fine sistatur; sed appetantur quatenus ad

benè

benè operandum, & alacriter ad perfectionem tendendum disponunt: nec eadem solatia sensibilia, certa sunt indicia gratię præsentis; nec eisdem carere, signum absentis. Quamuis Sancti sæpè soleant eadem ea ponere tanquam gratiæ Deiqua præsentiæ in anima indicia, & coniecturas. in hac enim vita nulla possunt esse (viâ ordinariâ) certa gratiæ signa: licèt sæpè sint coniecturæ.

QVARTO: de huiusmodi spiritualibus sensibus loquendum est communibus, & vsitatis Sanctorum verbis, nec cum magna exaggeratione; nec sine cautela, ad ea accedendum: nam multi grauia detrimenta sunt passi, quod multum illis fiderint. Huiusmodi ergo res accipiendæ sunt, tanquam minus principales, & solum, vt ex eis emendatio vitæ sequatur; & nominatim humilitas & patientia erga proximos, ac desideria ex imo corde ferendi contemptus & opprobria ab hominibus.

QVINTO: quod animæ gubernatio, & directio non debeat esse præcipuè ab huiusmodi motibus, ac sensis; sed à doctrina Ecclesiæ: & nihilominus certum est Spiritum sanctum cordi mouere, ac docere: cuius motus nunquam est bonis moribus contrarius, nec Ecclesiæ sensibus, ac doctrinæ: nunquam tamen habendus est talis motus tanquam regula infallibilis, quod sit à Deo id, quod huiusmodi sensus proponit, dum impellit ad aliquid faciendum, aut reijciendum; & multò minùs velle quis debet, alios per huiusmodi sensum, tanquam per certam regulam dirigere, nisi prius benè examinetur, & cum

cum alijs, vt prædictum est, conferatur, & consultetur.

SEXTO: quoad fieri poterit danda est opera, ne internorum sensuum exteriora signa præbeantur, corporis scilicet motibus, & gestibus: nam ordinariè motus, qui à Deo est, trahit ad interiora: licèt non aduersetur ei, quod se interdum indicijs externis prodat: quòd si tamen talia externa indicia extraordinaria essent, ac frequentia: censenda essent suspecta, ac proinde reijcienda, nullo modo ea optando, & potius à Deo tanquam magnum beneficium petendum, ne nos per tales deducat vias; sed per planam, tritamque fidelium.

§. III.

De Mortificatione Ecclesiastica, & vera.

PRIMVM explicetur: veram mortificationem, quam Sancti docent, non in eo consistere, vt caro ipsa eneruetur, aut mactetur; nec in magnis doloribus sustinendis, nec in eo, quòd sensus suis operationibus ita destituantur, vt exercere eas non valeant; nec in eo, vt natiuus aliàs color pereat, & pallor contrahatur; nec in alijs similibus rebus: Sed præcipuè consistit in subijciendo Deo, & moderando cor nostrum, ac volũtatem, & animi perturbationes spiritum oppugnantes: in compescenda scilicet, ac moderãda ira, vt patientes simus, vt iniurias toleremus, calamitates, & aduersos in rebus temporalib. euentus: quales sunt paupertas, ægritudo, mors filio-

rum

rum, consanguineorum, & amicorum; in portandis & ferendis oneribus, & imperfectionibus aliorum; imò in ferendo nos ipsos, nostrasq; imperfectiones; quas cupimus, sed non possumus exuere, & emendare ita cito, atque vellemus; & idem est de aliorum moribus, qui sunt nostris contrarij, quales sunt sæpè inter parentes, & filios, & ipsos coniuges, inter vicinos & aduenas; inter famulos, & Dominos; Superiores, & subditos; Confessarios & pœnitentes; ac denique in tolerandis omnibus, in omni tempore, in omni occasione, quæ quacunque ratione grauia nobis, & molesta videantur: similiter in moderando nimio honoris appetitu, ferendo patienter contemptu; imò excitando nos ad ea desideranda; & gaudendum, cùm adsunt; & idem est de reliquis passionibus, qualia sunt inordinata delitiarum desideria; aut quæ agenda sunt, vt iuxta nostra consilia, & palatum fiant: ac denique consistit in continua quadam virtutum exercitatione; studendo cum Domini nostri auxilio dominari nostris passionibus; & habitus consequi, quibus facilè & hilariter faciamus, quod intelligemus illius esse voluntatis, nostrâ abnegatâ; ac deuitare omnibus propensionibus diuinæ voluntati repugnantibus. Sic enim Sancti intellexerunt, & opere ipso exercuerunt propriam abnegationem, quam Christus Dominus noster prædicauit: & hoc ipsum est, amplecti & tollere crucem nostram, & Christum sequi, quemadmodum Sancti declararunt.

DEINDE, significetur: non omninò tollitur, euelli passiones, sed moderari tantum; ita vt non peruc-

peruenìatur in hac vita ad eum ſtatum & trãquillitatem, vt nulla vnquam carnis rebellio ſentiatur, aut paſſiones non aliquando exurgant, & mẽtem oppugnent: (non loquimur de priuatis & ſingularibus priuilegijs) quare neceſſarium eſſe, peccandi occaſiones euitare. Et hoc nomine cum fœminis agendum eſt ſemper cautè, grauiter, ac breuiter, &c. quemadmodum optimè docet prima & ſecunda regula ſacerdotum noſtræ Societatis. Eſt enim ſtultitiæ genus, ſub prætextu mortificationis, aliquem fingere ſe ſecurum in blandis colloquijs, & conuerſationibus cum illis, & multò adhuc magis, ſi ad tactus veniatur à puritate alienos.

TERTIO: benè explicetur in eundem finem (quem mortificatione intendimus) præter victoriam internam, de qua diximus (quæ præcipua eſt huius negotij pars) plurimum cõferre etiam corporis caſtigationem per externas pœnitentias: quæ propterea valdè ſunt neceſſariæ, quales ſunt ieiunia, vigiliæ, diſciplinæ, cilicia, aſper, & horridus veſtitus, non dormire in molli lecto, non vti linteis ad carnem; & aliæ huiuſmodi, quæ (vt diximus) multum conferunt ad corpus ſpiritui ſubijciendum: & ad ſatisfaciendum Deo propter culpas proprias, & aliorum, & ob alios bonos & ſanctos fines. Eſt tamen aduertendũ, quod quemadmodum non eædem ſunt omnium hominum vires, nec ijdem ſtatus, aut ſimiles occupationes: ita non poſſunt omnes eiſdem pœnitentiæ generibus vti: eò quòd hæc ſint corporis debilitati accommodanda; & ſtudendum, vt ſtatus, & occupatio cuiuſq; eas adhibere, & ferre poſſint. Quate ex hac hominum diuerſitate oriri poſſet, vt

pœnitentia, quæ alicui esset modica, alteri esse nimia; & contra: ac propterea in huiusmodi pœnitentijs sumendis ordo meritò magnaque discretio est adhibenda. De qua re vniuersim loquendo, hoc solum dici posse videtur: quod personis Religiosis, in statu perfectionis ab Ecclesia approbato constitutis, sufficere debet pœnitentia eiusdem Instituti; & quam Superiores illis permittunt: dando interim operam, vt in eis excellant, & progrediantur, quantum ratio viuendi, & occupationes ferent: accipiendo interim tanquam aliquam pœnitentiæ partem, & non paruam aliquam mortificationem, quod sit contentus recepto communitatis vsu in Habitu, Cibo, & Somno: ita vt neque exemptiones, neque singularitates, in delicijs, & locis, seu dignitatibus quærat (nisi manifesta esset necessitas;) & in omnibus se ipsum subijciat præscripto ipsum gubernantis. Sæculares personas (in genere loquendo) expedit allicere, & exstimulare ad externam mortificationem, & pœnitentiam: plus tamen ad interiorem, & ad abnegationem propriarum voluntatum, quæ Dei voluntati, eiusque ac Ecclesiæ legibus aduersantur: nam vsus, & consuetudo peccandi magna est, ac libera; cauendi verò se, & aliquid patiendi, & abnegandi se propter Deum, etiam in rebus licitis, est quasi nulla: eò quòd per multos annos, multisque vijs ad res prohibitas se extenderit. Nihilominus certum est, cuiuis hominum generi, & præcipuè viam spiritus aggredi volentibus, expedire (nisi errandi periculo exponi velint) gubernari in suis pœnitentijs, (quemadmodum in Oratione)

ne) consilio Doctorum & expertorum virorum, qui nouerint limites præscribere, intra quos se debeant continere, iuxta suas necessitates, vires corporis, & spiritus, & dispositionem, aut indispositionem internam.

DENIQVE proponendum, quòd externa pœnitentiæ, & misericordiæ opera vtilia sint, & interdum etiam obligatoria: ac propterea tanquam talia debent valdè commendari: supponendo tamen, non debere vllo modo sub prætextu incumbendi Orationi prætermitti, quando vel charitas ea exigit, vel præscribit obedientia.

§. IV.

De Obedientia.

PRIMVM, hæc debetur præcipuè Dei præceptis, & Ecclesiæ; & ijs personis, quibus quisque iuxta leges, & statum, in quo versatur, debet subiectionem: quales sunt Prælati Ecclesiastici, & sæculares, parentes, viri & similes: quæ Obedientiæ & obligationes, quibus omnes in suis statibus obstringuntur, præferri debent constitutis Orationis temporibus, præcipuè prolixioribus.

DEINDE, esse valdè vtile, & in sancta Ecclesia vniuersim vsitatum, & vt tale approbatum, vt alij ab alijs Sapientioribus magisque expertis gubernentur, & dirigantur: obstringere autem se voto huiusmodi gubernationi, existentes extra statum Religiosum, etsi aliquando rectè fieri possit: Ordinariè

tamen id fieri non debere: nisi magna ac diligenti maturitate, & consilio præmisso. Nec tamen hoc est, quod sancti Officij Decretum damnat; sed aliud quid ab hoc diuersum, quod multis malis aditum præbet; affectum, inquam, inordinatum quorundam hominum deceptorum, qui, vt liberius tutiusque dominari possint facultatibus, & ipsis personis pœnitentibus, eis suadent, aut etiam cogunt, vt statim, atque ipsis contentur, voto quodam se obstringant, nihil facturos magni aut parui, etiam ad quod diuino præcepto tenentur, nisi ex ipsorum præscripto, de Obedientia. Quamobrem necesse omninò est, nostris explicari, quanti sit momenti decima quinta regula Sacerdotum, de non admittenda Obedientia pœnitentium: licèt ea regula facta sit ob alios sanctos, & iustos fines, valdè distinctos ab ijs, quibus sanctum Officium fuit inductum ad suum decretum constituendum, & promulgandum.

V.

De Confessione, & Communione.

PRIMVM, benè obseruandum, vt quando generalis confessio in casu necessitatis fiat, id fiat, diligenter attendendo, ne cogatur pœnitens huic vel illi Confessario eam facere; & multò minùs sibi ipsi: licèt meritò debeat commendari, vt viro alicui docto, & magnæ experientiæ fiat. Sed simul declaretur, in quibus casibus tantum esset vtilis: & in his liberum relinquatur omnibus, sequi suam deuotionem in ea indi-

instituenda, aut prętermittenda; huic vel illi Cōfessario facienda; & in quibus sit omninò necessarium eā facere; & in talibus vrgeat omninò, & absque vllo scrupulo, vt eam faciant, cum illa tamen cautela, ac discretione, quam diximus. Declaretur item, interdum posse esse magis perniciosam, quàm vtilem talem Confessionem homini, verbi gratia, scrupuloso, & qui iam semel aut sæpiùs præmissis cum debita diligentia præmittendis, iudicio prudentis Confessarij eam fecisset.

DEINDE valdè attendendum, quomodo ijs, qui confitentur, persuadeatur, vt Nostris confiteantur. Maximè verò, ne hoc illis significetur: quod non rectè facient, si alijs confiteantur; item noster Confessarius sit facilis ad permittendum, vt eius pœnitens liberè alteri confiteatur: quod si ille, ipso non monito, alium accederet: ostendat noster, id sibi placere; & ita in hoc habeat longanimitatem, & cordis latitudinem, etiamsi prudenter iudicaret, huiusmodi mutationem ex aliqua pœnitentis imbecillitate ortam esse; & ne facilitas hæc pœnitentibus annuendi, vt alteri confiteantur, sit illis noua: videant sanctum Concilium Tridentinum sess.25.cap.10.& regulam vigesimam nostrorum Sacerdotum. Et fortè hæc ipsa est causa, cur Tridentinum Concilium statuerit, vt etiam Religiosis libertas hæc daretur, alijs confitendi aliquoties in anno, quàm ordinarijs Confessarijs.

TERTIO, danda opera est, vt nimius pœnitentium ad suos Confessarios affectus impedia-

tur, & è contra: quod si non sufficeret, curandum esset prudenter, vt Confessarius mutaretur, attenta semper personarum qualitate, cæterisque circumstantijs, quemadmodum Regula decima tertia monet.

QVARTO, ne Confessarius in eo sit nimius, vt pœnitentes omnia, ipsius iudicio & gubernatione faciant; multoque amplius subterfugiat immiscere se ipsorum rerum mutationibus: sed permittat potiùs, ipsos res suas gubernare: nec velit, illorum Eleemosynas, ipsius manu distribui multoque minùs, si qua esset suspicio, quòd earum aliquas in proprios vsus conuerteret.

QVINTO, diligenter aduertant, quibus frequentior communio concedatur: quemadmodum à Patre nostro Generali nominatim est nobis commendatum: Studendo scilicet moderari nimium communicandi affectum; & vt hæc phrasis: *esuries Domini*, diligenter perpendatur, præcipuè si de sensibili fame intelligatur: quamuis negandum non sit, affectum amoris sanctum hoc desiderium adferre, quòd fames appellari potest: quod & rectum est; & causa communionis, quando & sicut oportet: non verò inordinatè, aut sæpius in die: nam talis est illusio.

SEXTO: vt in sacra Communione omnes superstitiosæ cæremoniæ euitentur. quales essent plures simul formas accipere, aut vnicam, cum hac aut illa figura; talis, aut talis quãtitatis, præter id, quod est in communi vsu; & *claudere oculos*, quando sanctissimum Sacramentum sumitur, aut in sacro Missæ eleuatur, aut similes aliæ.

SEPTIMO: vt phrasis illa modusq; loquendi extirpentur, quibus aliquæ vti solent: communica hodiè pro me, quia ego non possum; alio die ego pro te communicabo; offeras pro me hanc communionem, &c. nam ex huiusmodi loquendi modo colligere liceret, tales communicantes ita sentire, & existimare, vt quisque pro altero satisfaciat, etiam in communione, quæ fit ex obligatione; & eos quoad hoc non discernere inter communionem, & sacrificium Missæ: & idem intelligitur de Missæ auditione, si dicatur: audi nũc pro me Sacrum, ego alio die pro te audiam: nam æquè posset dicere: confitere hodie pro me; & ego alio die pro te confitebor. Non tamen propterea impedimus, quo minus alter possit alteri applicare operum suorum satisfactionem, & impetrationem.

§. VI.

De Matrimonio, Castitate, ac Religionibus.

PRIMVM, vt moneantur, ne votum Castitatis fœminis consulatur, nec ordinariè approbetur absque magna cautela, & consideratione: & multò magis attendatur, ne votum non nubendi in sæculo mansuris consulatur. Videant nostri Confessarij Regulam vigesimam tertiam Sacerdotũ, & ita nostri de Castitate loquantur, vt non possit ex eorum verbis accipi occasio cogitandi, aut dicendi, reprobari à nobis tãquam malum coniugium.

Deinde, ne cõsulatur, nec ordinariè approbetur,

vt fœminæ habitum induant Beatarum, quem tota vita gestent, non suscepto statu Religioso. Perpendatur quoq; valdè vigesima quinta Regula Confessariorum, quæ prohibet, genus aliquod vestimenti, aut particularis coloris alicui pœnitenti præscribi. Multoque magis caueant, ne se ingerant in constituendo ordine, & gubernatione familiæ minutim, & in rebus particularibus, vt superius etiam monuimus; & similiter fœminis statuentibus castè viuere, & ad aliquam propendentibus Religionem, ad quam aptæ esse videantur, ne talia desideria illis dissuadeantur, deducendo, verbi gratia, ad habitum Beatarum induendum; aut ad manendum in sæculo sine illis, nisi fortè rarissimè alicui fœminæ, attenta eius ætate, securitate, & particularibus alijs circumstantijs.

TERTIO: vt nostri de alijs Religionibus, earumque Exercitijs, & vita; & maximè de earum Institutis benè semper loquantur, & præcipuè nunquam de Religionibus fœminarũ ita loquantur, vt velint aliquas virgines à tali Instituto amplectendo auertere, aut terrere.

QVARTO: vt de ipsa nostra Religione vniuersim, ac de rebus nostris, & nominatim de nobis ipsis: verè & humiliter sentiamus: parum & raro intus aut extra domum de eis loquamur; multò verò minùs eas exaggeremus, & extollamus, quasi nostram Religionem alijs; aut nos ipsos alijs religiosis præferamus. Et inter agendum cum secularib. adhuc amplius decet nos cõtinere: ita vt ex nullo indicio possint occasionẽ sumere cogitãdi, quod velimus nobis quasi viã spiritus attribuere, & alijs

& alijs pripere ipsam sanctitatē, eiusq; directionē & Magisteriū. Eandem curā adhibere oportet in loquendo de his rebus: de ingenijs scil. hominum Societatis, de exacta ratione studiorum, de multis Subiectis, quæ illam ingrediuntur, & eorum dotibus & facultatibus, de insignibus Concionatoribus, de magna ad nos confluentium frequentia, de Prælatis ac Dominis nobis addictis; de acceptione bonoque loco, quem etiam apud plebem habemus; de fructu, quem nostri faciunt in Indijs Orientis & Occidentis &c.

HAEC sunt monita prudentis huius Magistri ad homines huius Societatis, quæ pro tempore, quo illa tradidit, valde fuerunt oportuna, & omnibus sunt semper magni momenti.

CAPVT XXXIV.

QVO ZELO LITERIS SVIS ABsentes iuuabat, & quantam prudentiam & efficacitatem in eis ostendebat, subijciuntur aliqua exempla valde spiritualia.

VAMVIS P. Balthassar valde esset notus in Castillia, in qua plurimos habebat filios spirituales, variasque personas, quę res suas libenter illi communicabant: non tamen charitatem ac Zelum suum angustabat ad

proximos præsentes, aut propinquos loco, ubi ipse manebat: sed etiam quando aliquarum curam animarum susceperat, extendebat se ad eas etiam absentes dirigendas, & adiuuandas, datis ad eas literis, præcipuè ex Collegio Salmanticensi, vbi plures ex ijs, quas inuenire potui, sunt datæ: in quibus magnam suam prudentiam ac Zelum ostendit, nec minorem efficacitatem, quàm si præsens fuisset locutus: loquebatur enim ad eorum cor, ad quos scribebat, atque si præsens esset, & spirituales eorum necessitates videret. Ita vt sicut Apostolus, dicere posset, a *quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto* sumus: nam spiritum, quem habebat in verbis, etiam in literis ostendebat; & earum spiritus indicabat, quem haberet in verbis. Et quemadmodum Apostolus, ita & ipse varios ob fines huiusmodi literas dabat: siue vt ad rectam viam eos deduceret, quia bonis moribus, ad quos eos deduxerat, deuiassent; aut ad eos in feruore pristino conseruandos, aut ad exstimulandos torpentes, animandos pusillanimes; consolandos, necessitatibus corporalibus aut spiritualibus afflictos; aut gratulandum eis de prosperis eorum euentis; aut denique ad respondendum dubijs sibi propositis de rebus ad animas spectantibus. Quamuis autem harum literarum multas viderim: quia tamen prolixum esset, eas omnes hîc referre, præter eas, quæ in præcedentibus capitibus sunt positæ, solùm aliquas reddam valde spirituales, in quibus prodit se excellens Magisterium, & spiritus huius Sancti viri, ac Zelus in eius pectore ardens, quo cupiebat, omnes esse valde perfectos.

a 2. Cor. 10. 11.

§. I. La-

§. I.

LAPSVS fuerat vir quidam nobilis ab ſtatu virtutis, quem fuerat aſſecutus: timebatque ac de die in diem tergiuerſabatur ad Deum conuerti: quod cum P. Balthaſſar intellexiſſet, commiſeratione eius miſeriæ motus, hanc ad eum Epiſtolam dedit, ſicut Apoſtolus ad Galathas in ſimili occaſione. Neſcio, (inquit) quam viam aggrediar, vt agam cum anima tua; pacis, an pugnæ; ſilentij, an ſermonis: omnes enim mihi occluſas video, non gramine, quod recreat; ſed vepribus & ſpinis, quæ neceſſariò lædunt, & cruentant pedes ingredientium. Quid faciam, quo vtar conſilio? eligo nihilominus, infirmitatem meam prodere: ſic enim, & mihi leuamen, & tibi aliquã afferam compaſsionem. Per Ieſu Chriſti ſanguinem peto, vt oculos aperias, tuique cordis duritiem aduertas, eiuſque continuatam adeò reſiſtentiam Vocationi diuinæ. Noli te defendere ab eo, qui non quærit tuam mortem. Attende ictus, imò & flagella, quæ à potente eius manu ſuſtines. Quomodo te illa non emolliunt? effodias profundiùs, donec haurias aquas. ſi verba ſua non audientes deteſtatur; qui eius flagella intelligere nolunt, quãtum ei adferrent horrorem? infortunium hoc omne mihi ſolatium auferet omnibus diebus vitæ meæ; bolus hic coget me apud altiſsimi tribunal clamare: ingratitudo hæc eſt, & inurbanitas ab omni generoſo animo aliena. nam qui generoſi ſunt, grati etiam eſſe ſolent; a *quis te faſcinauit*: frater, *non obedire veritati*, ambulabas benè, b *currebas benè*: *quis te impediuit*, *veritati non obedire*? quando, quæſo, Diabolus ſanguinem ſuũ

a *Gal.* 3. 1.

b *Cap.* 5. 7.

in tui

„ in tui gratiam effudit: vt tantum amorem in eum
„ conceperis? si, cui omnia debentur, fit iniuria,
„ cum aliquid ei subtrahitur: quid erit si nihil ei
„ reddatur? quid si omnibus ab ipso acceptis, quis
„ abutatur? quid si ex ipsiusmet Dei beneficijs te-
„ lam quis contra eum texat? intellige iam illum ma-
„ fugias, ne obdurescas; ne liges, aut abbrenies ma-
„ num Omnipotentis: qui plus te diligit erubescen-
„ tem, & ad pedes suos prostratum; quàm obstina-
„ tum, & ipsum fugientem. Quod si tibi adeo te
„ malè gerenti, toties ipse occurrit; & si eum hor-
„ rens, internum tamen habes testimonium, quod te
„ dilexerit, pacemque sponte obtulerit; si ipse la-
„ sus, & iniurijs affectus, ad te accessit, teque et
„ amplexatus: cur te nunc contrahis? num quid
„ existimes: tibi accedenti portam ipsum occlusi-
„ rum? noli, obsecro, hac noua iniuria illum affic-
„ re: quod per oculos, quos in facie habes, obte-
„ stor. Scio te eum non esse quem suorum consilio-
„ rum, animique decretorum poeniteat; nec hoc
„ reat, quod valde desiderauit, cùm videt, se illud
„ obtinuisse. Non ita est, non ita est. aut fortè cogi-
„ tas, aliud nũc tempus esse, quàm cùm amares. cur
„ mutatus es? at Deus noster semper idem est: ego
„ *Deus & non mutor.* Huius rei Fidem habes, & in-
„ stantiæ interioris, qua te vocabat, cum tu eum de-
„ testareris: necessariò igitur credere debes: si tu fe-
„ ceris, quod ille iubet: facturum ipsum, quod pro-
„ mittit; admittas ergo, idque tibi persuadeas: com-
„ patiaris mihi si non vis tui ipsius cõmisereri; do-
„ leas quod prauis tuis actionibus, multos scandi-
„ lizes & crucifigas; concipias tandem ex iniquita-
„ te nauseam; horreas cibum, qui comedentem oc-
cidit.

cidit. Quando tandem, toties peccando saturabe- "
ris? non valde citò Deum agnoueris, non nimis "
citò vitâ fungeris; nec malè feceris, cùm non fue- "
ris recollectior eo, qui dicebat: *sero te cognoui Bo-* "
nitas infinita! absque solatatio gemes, si attendas "
quot annorum, quot opportunitatum iacturam "
feceris; & quot occasiones tibi euanuerint, & ve- "
lut in sordes sint commutatæ: ego fidei iussor tuus "
ero, ego pœnitentiam pro tuis peccatis agam, ea- "
que flere iuuabo. Venias huc: offero enim tibi Dei "
misericordiam in eius nomine: requiesce per pau- "
cos dies; recipias te ad locum sacrum & tutum: "
qui & animam, & corpus tuum tuebitur; & præ "
delicijs, & authoritate à quibus raptaris meliora "
largietur. Et quoniam verba mihi desunt ad con- "
tinuum, quem in anima mea sentio, dolorem, ex- "
plicandum, hic finio; & tu quoque finem impone "
Martyrio, quo me afficis. O si Deus oculos tibi a- "
periret, vt & te videres, & me: credo non haberes "
cor ad tantum malum studinendum. Deus tibi sit "
lux & fortitudo, vt vtramque hanc abyssum per- "
spicere possis. Amen. "

QVAE imago magis ad viuum expressa esse potest operarij alicuius Euangelici zelātis ac sitiētis tanquam alterius Apostoli Pauli salutem animarum, quàm hæc sit Epistola? quænam mater maiorem sensum de perdito filio ostendere potest, quàm magnus hic vir ostendit ob vnius animæ iacturam? quæ indicia magis aperta esse possunt, accensi erga proximos amoris? quis dolor adeò cōtinuus, quæ lacrymę, qui clamores, & quis adeò liberalis animus, vt aliena mala tanquā adeò propria suscipiat? verè Dei amor calamum sui

huius

huius serui mouebat; cœlestemque eloquentiam suã largiebatur, ad expugnãdũ cor adeò induratũ.

IN simili alia occasione scripsit ad quandam aliam personam, eodem quo superiores spiritu his verbis.

Salmanticæ 3. Ian. 1576.

„ ACCEPI tuas literas valde aulicas, & optas-
„ sem sanctiores. Si quam ego terribilem in mea vita
„ noui, tu es talis Quando tandem desines cum Spi-
„ ritu sancto contendere? at qui certò scias, grauis-
„ ter ipsum duriterq; tecum acturum. adeone ama-
„ bile est peccatum vt eius causa deserere velis Dei
„ delicias & fauorem; teq; ipsam eius inimicitiæ in-
„ dignationi subijcere? triste certè ac deflendũ am-
„ plexa es consiliũ, quod teneram mihi compassio-
„ nem attulit: nam cùm Deus constituerit, vt omnis
„ inordinatus animus, sibi ipsi sit pœna; eaq; sit ex-
„ secutioni mandanda: necesse erit eas sustinere-
„ quas venenũ adferet, quod nunc hauris, quia dul-
„ ce sapit: angustias sc. quæ viscera tua grauiter tor-
„ quebunt; tentatoris verò recreabunt (vt ex hoc tu-
„ us, quem promereris, cruciatus crescat) triũphan-
„ tis de victoria suæ prædæ, & irridentis celerita-
„ tẽ, ad laqueum suum, & ad proprium nocumentũ
„ currentis: tunc experieris quid amiseris, & quid
„ lucrata fueris, cum ignominiosè adeò te illi dedi-
„ deris. Quod si hæc inferni species & vmbra suffi-
„ ciet, vt in te ipsam reuertaris, sicut iuuenis ille Eu-
„ angelicus fame vexatus & infamia, vt pulchritu-
„ dinem domũs Dei diligas, & magnam eius abun-
„ dantiam, ita vt crepare potiùs eligas, quàm ab ea
„ recedere: occurram & ego tibi, quemadmodum
„ Pater illius fecit. Quòd si cogitas, me ita suspẽde-
„ re, vitam sicut hactenus ducendo: tuam retege de-

ceptio-

ceptionem: non enim ego temporis mei iacturam facere volo, sicut tu facis, moriens quotidiè sine vlla, aut parua spe fructus. Deus te alliciat trahatque, vt potest. Amen. Has scribo quartanæ Paroxismum expectans, vt tibi persuadeas me tui non esse oblitum.

SAIIS se prodit Sancti huius viri charitas, siquidem humor ille Quartanæ Febris qui vel dum incipit se mouere, adeò solet cor affligere non tātū potuit, vt ipse ouisperditæ curā deponeret; sed arrepto calamo sententias adeò efficaces scripserit, ad eam Christi Domini gregi restituendam; morbi enim non faciunt huiusmodi viros, negligentes, sed compatientes, nam etiam proprij corporis cōmoditatem deponunt, & calcant, propter spirituale proximi bonum, vt supra est dictum.

§. II.

ALTERI cuidam Dominæ valde Nobili (quæ à tenera ætate mundo renunciās amplexa fuerat Institutum Monialium Carmelitarū Discalceatarum) scripsit, docens viam & rationem fructum capiendi, multumque proficiendi in eo statu. *Salmāticæ 1. Aug. 1574. D. Casilda.*

CVM sæculum deseruieris; abieceris proculdubio affectus eius, ac desideria, amoremque eius titulorum, ac honorum; & conuerteris ad eos, qui sunt in domo Dei, tanquam eius iam domestica, qui splendidiores sunt, ac iucundiores illis. Quāobrem nec *nobilem*, nec *magnam* cōpellabo, siqui dē studes parua esse in oculis tuis; nec *Reuerentiā*: quia, si apertos illos habes: aduertes, contemptum

potiùs

„ potiùs tibi deberi: sed *Fœlicem* dicam, quæ talis
„ existens, gratiam inueneris in oculis Dei altissi-
„ mi, qui te ad tuas delicias, dulceq; solatium elegit
„ tanto oblato fauore, vt non possis de eo dubitare;
„ educẽs te à sæculi strepitu, & occupationibus, quę
„ te diuisissent, & à dulcissima cũ eo familiaritate
„ separassent, ne posses ea continuò gaudere: idq;
„ adeo in conspectu totius mundi, vt plenus ille fu-
„ testibus excelsi huius beneficij. Superest igitur, vt
„ cùm sis à multis occupationibus expedita, causam
„ & finem eius benè intelligas; desque operam, ne
„ gratia hæc in anima tua sit otiosa. Quod si quæras,
„ in quo debeas maximè eminere? dico: in te valde,
„ valde, valde humiliando. Ne existimes, te aliquid
„ proficere: nisi te omnium minimam reputes: nihil
„ enim honorabilius est in creatura, Christum D.N.
„ agnoscente; quàm quòd eidem sit in re aliqua si-
„ milis. Et vix aliam inuenies, in qua magis ille sibi
„ complaceat; aut magis referat remanentes
„ præcedentis amplitudinis tuæ odores; aut
„ magis nunc tibi expediat, quàm hæc: ideo-
„ que Christus D. N. qui, quà Deus est, no-
„ stram nouit imbecillitatem, viasque nostræ per-
„ ditionis, & aptissima eius remedia valde seriò (vt
„ S. August. aduertit) commendauit, vt disceremus
„ ab ipso, quòd *humilis esset corde*. Humilitas in ver-
„ bis ac cęremonijs seu moribus, quibus mundus de-
„ cipitur, facilè obtinetur: at cordis, quæ Deo pla-
„ cet, tardiùs & magna adhibita cura. Cum igitur
„ Religionem sis ingressa, vt studeas illi placere:
„ certò tibi persuadeas, tunc te maxime placitu-
„ ram, cùm omni tuo conatu contenderis precio-
„ sam hanc margaritam comparare: nec ego de-

sistam te iuuare, donec illam obtineas. Non plura cùm sermonem de Creatore habenti, graue sit decreaturis loqui. Hæc prudens hic vir scripsit, benè conscius, quòd nobiles, & illustres huius mundi, cùm statum religiosum amplectuntur, nisi singularis excellentiæ cupiditatem frenent, non possint in statu perfectionis, quam profitentur, proficere, cuius fundamentum est cordis humilitas. Sed quoniam etiam ij, qui orationi incumbunt, facilè hæsitant ob ariditates, & distractiones, & ob nimias solatiorum anxietates, hanc illorum nimietatem, magna cum prudentia correxit scribens ad grauem quendam Religiosum in hunc modum. Pax Dei, quæ omnem exsuperat sensum, sit cum V. R. quæ pondus est & tranquillitas, quam Deus ventis imponit exsurgentibus in Iustos, descendentes cum Christo in mare; & nunc, etiam in tuo corde agitantur; sed non te deseret idem Dominus, *qui fecit pondus ventis*. Non vellem videre te profectus tui, & spiritualium internorum sensuum adeò cupidum, vt ex eorum desiderio turbari te patiaris; pacisque & internæ quietis iacturam facias; scriptum est enim: depone concupiscentiam, & inuenies requiem. Pone finem desiderijs, nisi velis torqueri. Quod nisi feceris, ipsamet desideria tui erunt carnifices; & instrumenta, quibus Dæmon plures tibi adferet turbationes, & molestias, quàm sint in aëre atomi: Renunciasti sæculo? desere omnino: Abiecisti res temporales? abijce & earum cupiditatem: ingressus es militiam Christi? ad conflictum, & pugnam te præpara: & *a proposito tibi gaudio, sustine crucem, confusione contem-*

Salmanticæ 28. Ian. 1574. Ad P. F. Ioannem Castrium, Ordinis S. Augustini, Eldanæ manenti.

a He 12. 2

„ *contempta*. Cupis proficere, tuæque Orationi be-
„ nè attendere, vt placeas Deo? permittas, te ab eo
„ gubernari: & incipias amorem, quem erga illum
„ habes, in eo ostendere, quod sis contentus & pa-
„ catus, quocunque modo & via voluerit ille te do-
„ cere; & cum eo quod ille dare voluerit, modicum
„ aut multum, aut nihil. Et crede certò, te magis illi
„ placiturum, si gaudeas & tranquillus sis cum tua
„ paupertate, quam diu ille te non eduxerit ex ea,
„ quàm si obtineres imaginariam tuam celsitatem.
„ Satis hactenus eo modo seruiuisti Deo, qui tibi
„ placuit: incipias iam eidem vel vnico die seruire,
„ quomodo ipse cupit. Estne aliquis, qui velit mihi
„ grauitò seruire? dicit libellus, qui inscribitur Co-
„ temptus Mundi: & ipse Deus per Malachiam, cum
„ quodam sensu, quòd hunc defectum in suis domes-
„ ticis animaduerteret, dixit: b *quis est in vobis, qui*
„ *claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* ne
„ internam morum reformationem negligas; nec
„ Magistrum ipsum internum, qui sensim ingerit,
„ quid sequendum, quid fugiendum, & quid etiam
„ tolerandum sit. Obedias exactè; esto vniuersim
„ abnegationis propriæ voluntatis amator: com-
„ mittas verò ipsi Deo proprium tuum profectum,
„ vt pro libitu suo internum tibi sensum aut mittat,
„ aut subtrahat: hoc enim solo nunc opus habes:
„ nec verearis, præsentes defectus non spontaneos,
„ fore impedimento: siquidem præteriti, cùm essent
„ maiores, non impediuerunt, quò minus ad bo-
„ num, quod nunc habes, perducereris.

b Malach. 10.

„ ALTERVM verò illud quod te reddit in-
„ quietum, dico esse manifestam hostis tentatio-
„ nem: quòd cupias mutare locum, quem habes

ab O-

ab Obedientia tibi assignatum: donec ab eadem alius constituatur. Reuoces tibi in memoriam, quid Angelus dixerit S. Ioseph, cùm Dei nomine iuberet, eum c *accipere puerum & matrem eius, & fugere in AEgyptum:* addidit enim; *& esto ibi vsque dum dicam tibi:* quod ille exactè præstitit, manens ibi donec idem Angelus iussit redire in terram Israël. Esto ergo quietus; & solatium tuum habeas cum Iesu & Maria, quibus nec tu es melior, neque Eldanenses sunt peiores AEgyptijs. Et adhuc apertiùs se prodit tentationis inordinatio, quam ostendit labor discurrendi per pagos, per vicos, & Castella, cui Exercitio Christus Dominus noster dedit initium. Ne existimes parui tibi constituturum fructum animarum, qui constitit Christo proprium sanguinem: nec potes maius aliquid præstare, quàm quòd tibi ipsi moriaris: nam grano mortuo promittitur mediocris aut multus fructus. Et ideò, qui profitemur seruire Christo, exiguum, aut nullum ex laboribus nostris fructum percipimus, quia nec mundo, nec nobis ipsis mortui sumus.

c Matth. 13.

HAEC P. Balthassar valde oportunè scripsit pro ijs, qui & orationi, & iuuandis animabus se tradunt: paucis enim verbis docet eos præcipua puncta, ad proficiendum in vtroque capite.

ALIAS quoque literas dedit valde spirituales ad quendam Societatis Patrem, conquerentem de ariditate, & varietate cogitationum, quibus in Oratione impediebatur. sic autem dicit.

Metinæ 21. Iulij 1567. ad P. Ioã. Secium.

NESCIO cur de ariditate conqueraris, quam non ostendis in tuis verbis, sed fertilitatem & fœcunditatem magnam: quam si Dominus noster abscondit, non tamen eam subtrahit; sed occasionem & periculum eam amittendi. Ad puncta potuissem non respondere, cùm apud te habeas tuum Moysem, cui Dominus noster tam multa loquitur, & quidem non belli aut pugnæ, sed pacis, sibi & multis alijs, quasi vni illorum, de quibus David: *Suscipiant montes pacem populo.* Sit benedictus, qui adeò te ditat. Sed quoniam id cupis dicam pro tuo solatio, quod mihi occurrit, etiamsi eo non opus habeas.

AD primum, quod est maximè molestum, pugnam scilicet variarum cogitationum, dico: internam amaritudinem ex eis prouenientem, oriri posse ex parua cum voluntate Dei confirmitate, à cuius manu, & pugna, & pax debent patienter, & cum gratiarum actione suscipi: & vbi amor crucis locum habet, libentiùs pugna accipitur. Conferet etiam quod Parisiensis Doctor dixit: faciente tem in hac pugna, quod debet, maius habere meritum; quàm si iuxta suum palatum se cum Deo oblectaret. Accipias pro Excitatorio, & stimulo conuertendi te ad diuinam Maiestatem id ipsum, quod nos inuadit, & conatur ab eo separare; cum quibusdam amorosis & dulcibus querelis dicens: d *Cur obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* e *vsq; quo Domine obliuisceris me in finem, vsque quo auertis faciem tuam à me? quàm diu ponam consilia in anima mea dolorem in corde meo per diem?* Memineris, deprauatam nostram naturam multis occasionibus & stimulis indigere, quibus impel-

d *Psal. 43. 24.*

e *Psa. 12. 1.*

impellatur ad conuersionem ad Deum suum; & «
tenerrimorum viscerum diuinę Maiestatis, quibus «
illos mittit, aut permittit, vt nos ad suas portas «
contineat, multiplicans huiusmodi pulsus & cla «
mores non in anno semel, aut in mense, aut in die; «
sed omnibus vitæ momentis. quod si hoc Exercici- «
um progrediatur, vt oportet: ambulabis in præ- «
sentia Domini, quem desideras, licet non tuo mo- «
do, sed ipsius Domini: quod si ipse Dominus, non «
verò tuum solatium in causa est, vt eius diuinam «
præsentiam optes: quidquid ipse constituerit boni «
consules, & optimum reputabis. Hæc ipsa præ- «
sentia adiuuabitur, si non neglexeris, quo ad fieri «
poterit, aliquid eorum, quæ præscripserit Obedi- «
entia; nec te mortificare prætermiseris: neque e- «
nim absque aliquo horrore crucem aspicimus, nisi «
propter ipsum Deum: & quoniam sensum & do- «
lorem, quem illa adfert, nulla re alia meliùs tem- «
peratur, quàm eiusdem memoriâ: si studium te «
mortificandi esset continuum, ipsemet amor pro- «
prius ad hanc memoriam exstimulabit, tanquam «
vulneris remedium, quod mortificatio in tua ani- «
ma efficiet. Et pro animabus dolatione & expoli- «
tione indigentibus, optimus modus, meo iudicio, «
est, ambulare in præsentia Dei: acquiritur enim «
sine magna difficultate, ita vt etiam rudiores in- «
telligere illud possint: id quod curandum nobis «
est in omnibus virtutis exercitijs, vt factibilia esse «
ostendantur: eius verò fructum copiosum experie- «
tur breui anima, quæ modo illo vtetur. quod totũ «
intelligo, nisi Dominus noster peculiares alios «
modos maioris emolumenti tibi ostenderit: tunc «
enim audiens eius vocem, non deberes cor tuum «

„ obdurare. Sed quādiu Deo humanis industrijs dat
„ locū, bonū consiliū est illas arripere, quæ maiori
„ celeritate ipsa ligna, cortices, & radices, disturbāt
„ quæ quisq; in se sentit. Et sic respōsum est ad vtrū-
„ que punctū insinuatū: pro Oratione q̄ cupis, vide-
„ ris benè tetigisse punctū, vt sc. importunè instes a-
„ pud Dominū, vt eā doceat; & nisi destiteris, ex tē-
„ pore obtinebis, q̄ optas: est enim donū Dei, quod
„ humilibus datur. §. III.

SED quoniā aliqui, dū humilitatē sectātur, in-
cidunt in pusillanimitatem, subijciā hic aliā
Epistolā ad aliū P. Societatis, qui ad ipsum P. Bal-
thassarē scripserat, se valde abiecto esse animo ob
suos proprios defectus: quorū causa existimabat
Deū procul à se recedere: quāuis subiecit, se non
posse sibi persuadere, q̄ se Deus tā diu subtraheret,
anxiè ipsum quærenti: quod eū non amaret; sed vt
sic ille imbecillitatē suā agnosceret; aut vt eius fi-
delitas verè probaretur. Ex quibus vltimis verbis
occasionē accepit P. Balthas. ad hæc illi scribēdā.

O quàm fuerunt mihi grata dulciaq; illa verba,
cū omni sua deductione! Cùm illud audiui, intra
„ me ipsū dicebā: adhuc qui hoc habet, solatiū ha-
„ bet; & qui talē gloriā dat Deo, solidū quid habet in
„ eo, q̄ offert. Apud me certū est, Deū esse tecū, & eō
„ placere sibi in tuis obsequijs; & cum ijs omnibus,
„ qui veteri vita deposita, nouam amplectuntur, quē
„ est secundū diuini spiritus veritatē, eo modo quo
„ possunt: etiamsi mille imbecillitates, & plures er-
„ rores, quàm sint capilli, admisceantur: Verum est
„ quidē, non oēs hoc agnoscere: ideoq; aliud est, il-
„ lud sentire; aliud, habere: distantq; hæc à se inui-
„ cem, sicut Cœlū à terra. De duobus illis discipulis
„ iā lapsis in die Resurrectionis euntib. in Emaus ad

S.Lucas, quod ibant cũ Christo D.N. & quod *oculi eorũ tenebantur, ne eũ agnoscerent.* Ibat Christus cũ illis, & tamen sine eodẽ se esse existimabant: & sic ambulantes ad locũ peruenerunt, vbi deceptio est retecta. Sed & illi, & reliqui oẽs eis similes in ipsa via experiũtur eius præsentiæ, & locutionis indicia, si attentè obseruent, quid interiùs in ipsis agatur: in ardoribus cordis, in Sacrarũ scripturarum intelligẽtia, & in monitis suæ reformationis. Dic igitur mihi, in quo differat ab hac gratiâ illa, quã in tuo corde sentis, & alij similes sentiũt, cùm superte, & illos fluunt interna monita rerũ omniũ, quæ sunt faciendæ, etiã minutissimarũ; & reprehensionũ, cùm vel ad vnũ capillũ receditur ab eius interiori instructione: quib. monitis veluti digito quodã indicãtur, quæ sint sequenda, quæ tolerãda, quæ fugiẽda, & quibus resistendũ? & super oẽs has curas, & labores grauissimè ferunt internũ sensum, ex eo ꝙ neq; ipsi seruiãt Deo, nec alios seruire videant, prout ipsi dignũ ipsũ esse, & se teneri intelligũt. nũ ille dolor nõ est inflãmatio quedã? omnino est. Si igitur ignis nõ adest, quis illã efficit? quod si non est ab ipso Deo, quomodo in eius amorẽ inflãmat? hæc illa est facultas, in qua a *qui addit scientiã, addit & dolorẽ*; & hæc tribulatio, quã sentiunt oẽs, qui verè, ac serio Deo seruiũt; efficitque vt dies cũ noctib. iungant clamantes ad ipsum. Quidã dixit, & oẽs experiuntur: b *tribulationẽ & dolorẽ inueni, & nomen Domini inuocaui.* In qua non illos deserit, ait enim: c *cũ ipso sum in tribulatione*; sed potius illos comitatur, confortans & sustentans eos inuisibiliter, ne pondere pressi, incurrentur: & experientia illos docet: tã diu se consistere, nec amplius, quàm ipse illos sustentet. Stãt

a *Ecc.* 1. 18.

b *Psa.* 114. 4.

c *Pal.* 90. 15.

„ igitur: quia ipse illos stantes tenet, iuxta illud S.
d 1. Pe. 1. 5. „ Petri Apostoli: d *Qui in virtute Dei custodimini.*
„ Eosdē etiā impellit ad clamandū in tribulatione,
„ vt auxilio ipsius emergant, & proficiant: Deus ve-
„ rò inuocatus honoretur, non deserētibus ipsius vi-
„ suā ob Martyriū, in quo gemunt, vt S. August. per-
e Psa. 49. 15. „ pēdit, cùm explicat illud Psalmi: e *inuoca me in die*
„ *tribulationis, eruā te, & honorificabis me.* Antiquis il-
„ lo mundi Spiritu, quē antea habebant, in eundem
„ mundū, & quidquid in eo splendebat, propensa-
„ bant; recenti autē, quem nunc experiuntur, sem-
„ unt, se ad Deū inclinari, & affliguntur eò quòd non
„ possint eidē, iuxta votum suū, placere. Vnde igi-
„ tur hæc mutatio illis prouenit, nisi à nouo spiritu,
„ qui in eos venit? In quorū corde hoc facit Spiritus
„ Domini, quod in corde ipsiusmet Dei: quod incli-
„ nat ad se ipsum. Spiritus hic est Sāctus ille, de quo
f Rom. 5. 5. „ Apostolus: f *charitas Dei diffusa est in cordibus no-*
„ *stris per Spiritū S. qui datus est nobis*; & S. Ioannes
g 1. Ioā. 4. 13. „ g *in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus & ipse*
„ *in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Statuas ta-
„ pud te, in hac gratia cum humilitate admittendū,
„ nullū subesse periculum sed placiturum te Deo, si
h 1. Pet. 1. 13. „ id feceris iuxta verbum S. Petri: h *sperate in eam,*
„ *quæ offertur vobis gratiam, in reuelationē Iesu Chri-*
„ *sti.* Ac duplicatum te lucrum reportaturum in con-
„ sequio diuino, per hanc fiducię viam quam per in-
„ credulitatem, quam hactenus tenuisti. In quo ta-
„ pore ausim dicere aptari tibi potuisse reprehensi-
„ nē illam, qua Christus D. N. duos discipulos eun-
i Luc. 24. 25. „ tes in Emaus increpauit, cùm dixit: i *O stulti et*
„ *tardi corde ad credendū.* Et quoniā in vltimis tem-
„ rum literarum verbis incipiebas viā aperire fidei
„ scripturarū diuinarum, & veritati promissionum

Dei; vehemẽter sum ex eis exhilaratus. Deus te cõsoletur; sicut ego cõsolationẽ habeo de via tua; & ipse Dominus etiam gaudet, vt gaudium sit plenũ sicut est in ipso, iuxta illud: k *hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Gaudium plenum vult Deus in seruis suis: hæc enim vis est illa, qua curritur per viam mandatorum eius. Ne autem suspectam rem habeas, quasi tantus fauor, ac deliciæ, à gradu, & sorte tua sint alienæ: legas S. Augustinum in hunc locum. Et ne mearum necessitatum obliuiscaris: nam ego tuarum sum valdè memor. Nec plura: quàm quòd fuerim valdè prolixus erga eum, cum quo Deus tam diu colloquitur. ille sit in anima tua, totusque eius amor. Amen.

k Ioan. 15. 11.

CAPVT XXXV.

FACTVS EST RECTOR COLlegij Villa-Garciensis, vbi plurimum iuuit D. Magdalenam Vlloiam eius Fundatricem ad grandia illa, quæ in Dei obsequium fecit.

ABSOLVTO triennio sui officij Salm[illegible]ticæ circa finem anni 76. c[illegible]itutus est P. Balthassar ex [illegible]rbe Rector Collegij Villa-garciensis, & Magister Nouitiorũ, qui eò commigrabant: eò quòd videretur locus illis commodior: & quia Domus Metinensis non capiebat omnes; & quia in Prouinca adeò ampla, atque est hæc Castellana, opus erat duabus domi-

ANNO 1577.

bus Probationis, vt in altera ij Tyrones collocarentur, qui non possent sine aliquo incommodo esse in altera. Quare mox atque eò peruenit, dedit operam constituendo Tyrocinio, cum eodem feruore, ac perfectione, quâ fecerat Metinæ, vt Capite 19. suprà, & sequentibus dictum est; in quibus aliqua fuerunt posita, quæ in hac domo euenerunt, & adhuc ponentur alia inferiùs Capite 47.

ALTERA etiam ratio, cur P. Balthassar factus fuerit illius Collegij Rector fuit, quod D. Magdalena Vlloia Vidua (quæ fuerat vxor Ludouici Quijadi Præfecti Aulæ Caroli Quinti Cæsaris, Duxque Generalis Peditum Hispanorum, Præsidis Consilij Indici, ac Dominus eius Oppidi, & aliorum vicinorum, qui obijt Anno 1570.) id valde instanter petiuisset propter notitiam, quam habebat de magno Spiritu sancti huius viri, cum quo aliquoties fuerat locuta transeunte per Vallis Oletum, vbi illa aliàs manebat: tantique eum faciebat, vt literas ad eum Salmaticensis Collegij Rectorem daret, in quibus rationem ei reddebat animæ suæ, & ille ita respondebat, vt plenè satisfaceret. Accessit etiam informatio Patris M. F. Dominici Vlloij eiusdem Magdalenæ fratris (viri singularum dotium, & grauissimi inter Religiosos S. Dominici, qui postea fuit Episcopus Mechoacanensis in Indijs Occidentalibus) qui diu valdeque familiariter cum Patre Balthassare egit Abulæ, Metinæ, & Salmanticæ, & experientiâ ipsâ cognouerat magnum eius donum ad animas deducendas ad perfectionem.

ET cùm videret, decreuisse sororem suam fundare domum illam Villa-garciensem, suasit ei, vt hunc Patrem peteret, qui esset ibi Rector, & simul ipsa ab eo dirigeretur in rebus animæ suæ. Petijt itaque illum, & facta est voti sui compos, ita fœliciter, vt non cessaret gratias Deo agere pro hoc beneficio. Decreuerat hæc Domina, statim atque facta fuit vidua, recipere se ad seruiendum Deo in illo insigni Monasterio (quod vulgo Guelgas appellant) Vallis-Oletano, in quo erat Abbatissa soror viri sui: sed quia illa litem intentauit circa bona sui fratris, non est executa hæc Domina sui animi decretum: sed quamuis in priuata quadam domo in media ciuitate habitaret: adeò tamen recollecta manebat, atque si in ipso esset monasterio. Confitebatur in domo Societatis Professa Patri Ioanni Bradanos per viginti septem ferè annos, qui cum magno eius profectu eam exercuit, quia ad nutum illi obediebat: & interdum conferebat se Villa-garciam, vbi Pater Balthassar commodam habuit occasionem tradendi illi spiritualia Societatis exercitia; & instruendi circa modum orandi, & familiariter cum Deo agendi. Habebat spirituales ad illam exhortationes; & quotiescunque illam alloquebatur, colloquium erat semper de Deo: ex quo illa affirmabat, se nunquam vidisse hominem ita altè de rebus spiritualibus loquentem; neque magis industrium, & aptum ad impedienda colloquia secularia, & inserenda spiritualia; eaq; cum fructu prosequēda, ita vt etiam per multas horas talia eius colloquia

non

non adferrent fastidium. Et re ipsa ita erat, quo illa nunquam defatigabatur, sed potius huiusmodi rebus audiendis multum delectabatur; & in sua interiora P. Balthassari communicabat, sicut solent Nouitij suo Magistro. Hoc modo instituta D. Magdalena, cœpit cum spiritu exaltare multas & magnas Eleemosynas, quas faciebat: quarum triplicis generis: quædam reparabant miserias, & necessitates corporales pauperum; alia altiùs ascendebant, vt hac scilicet via etiam consuleret spiritualibus animarum necessitatibus; & aliæ denique aliquid vltra addebant, ad augendum scilicet diuinum cultum, Deumque Dominum nostrum ampliùs honorandum in ijs, quæ ad id sunt dedicata.

IN primo genere fuit valdè liberalis, & profusa, vt omnis generis necessitatibus subueniret. Vallis-Oleti in Xenodochio Esgueuio duodecim lectos collocauit, vt suis expensis totidem pauperum ægrotorum ratio haberetur: in quem finem sexcentos aureos singulis annis largiebatur: id quod per octodecim annos præstitit: Xenodochio verò Resurrectionis toto eodem tempore, assignauit singulis annis trecentos aureos; & Villa-garciæ erexit Xenodochium cum sufficientibus reditibus ad medendum pauperibus ægrotis ex locis, qui fuerant suo marito subditi. Magnas quoque Eleemosynas dabat ad collocãdas in matrimonio pauperes pupillas, & ad succurrendum necessitatibus occultorum pauperum, quos pudebat publicè mendicare. Quod, vt cum maiori fidelitate, & liberalitate fieret, designauit ad tempus virum quendam honoratum valdeque pium,

qui

qui huiusmodi occultas necessitates inuestigaret, & quid ad earum reparationem opus esset: & & quæ sic inueniebantur, curabat in charta scribi, & manu propria subscriptam tradebat indigenti, assignato die, quo venturus esset ad ipsius domum pro tali eleemosyna: adeoque erat ad dãdum propensa, & solicita, vt statim atque mane satis tempestiuè excitabatur, iubere soleret, domesticos surgere; & videre, an pauperes aliqui iam accessissent, vt statim eos expediret, ne hoc nomine detinerentur. Statim atque surgebat duo marsupia accipiebat, vnum minuta pecunia plenum, vt ordinarijs pauperibus distribueret; alterum verò maiori argenteis, scilicet (Reales vocant) pro occultis: quando pauper accedebat, accepta ab eo charta à se subscripta, largiebatur Eleemosynam in ea expressam; & quamuis vltra eam quantitatem ordinariè nihil adderet: quando tamen necessitatem maiorem cognoscebat, etiam plura addebat. Omnibus præterea mendicis ad domus suæ portas accedentibus (qui frequentes valdè erant) eleemosynam ex maternis visceribus largiebatur, ita vt nullus omninò accederet, etiamsi bis aut ter in die, qui absque eleemosyna recederet. Toto ferme anno occupabatur in emendo panno, & tela ad vestes & indusia pauperum conficienda. Per manum cuiusdam Canonici Zamorensis, & aliorum Religiosorum, distribuit multa millia aureorum in subditos viri sui, vt sic eius charitas, & misericordia ad multas, & in varias partes extenderetur.

SED multò liberaliorem se ostendit in reparandis spiritualibus necessitatibus, adiuuans magno

gno Zelo salutem animarum. Cuius rei causa misit duos Patres Societatis P. Ioannem Turrianum, Algerium; & P. Gabrielem de Portu Marrochium, dans singulis octo millia aureorum, ad redimendos captiuos; commendans eis, vt eos primũ redimerent, qui in maiori periculo essent fidem abnegandi. Quod Patres ita perfecerunt, & Turrianus in charta rationes omnes notatas obtulit: sed bona Domina confidens Deo, & Societati, nunquam eas legere voluit. In eundem etiam finem ingentes fecit Eleemosynas, vt leues fœminæ ex malo statu educerentur, & in domo quadam Probationis, quæ est in ea Ciuitate, collocarentur, vbi cogitarent de aliquo statu honesto suscipiendo; ac docerentur piè, & Christianè viuere, & in hunc finem etiam auxit mille aureis annuis, & centum panis oneribus Monasterium Conuersarum eiusdem Ciuitatis, in quod illæ reciperentur, quæ ex improba vita conuersæ, vocationem & talentum haberent, vt fierent moniales. Sed ne proprius finis, & scopus huius operis, qui (quod attinet ad reditus ab ipsa assignatos) erat, aberrantes animas ad viam rectam reuocare, temporis decursu mutaretur, acceptatis in eodem monasterio non huiusmodi conuersis à praua vita fœminis; sed honestis Virginibus (pro quibus Vallis-Oleti alia sunt monasteria) fecit ipsa declarationem quandam generalem, quam ad finem huius Capitis reddemus.

SED multò adhuc magis eximiam suam charitatem, & magnificentiam ostendit in ijs operibus, quæ solum respiciunt bonum animarum, & cultum Creatoris earum: idque cum tanta profusione

fusione fecit, vt stuporem adferat. Existenti illi die S. Matthiæ Apostoli in sua Oratione matutina, dedit Deus sanctum quoddam desiderium, vt esset particeps fœlicis sancti Apostoli sortis, docendo Christianam doctrinam, Confessiones excipiendo, sacramque Communionem in Ciuitate Ouetensi, & toto Asturicēsi Principatu: in quo desiderio totum Orationis tempus fuit elapsum. Consuluit mox Patrem, F. Dominicum Vlloium fratrem suum, tunc Vicarium Prouincialem illius Prouinciæ Hispaniæ: qui respondit, si per te ipsam concionari, & Confessiones excipere velis, illusio est. Sed illa statim addidit, non quidem per me, sed expensis meis curando, vt ad huiusmodi munia exercenda mitterentur Religiosi, quibus ego ad sustentationem sumptus darem. Cui prudens Frater respondit: id verò bonum est, & propterea accipies Apostolicum præmium. Quod si velis doctrinam & Sacramenta in illis locis, procura PP. Societatis, quos Deus in huiusmodi missionibus iuuat & fouet. Et sic decreuit pia Domina opus illud solidiùs facere, & in ipsa ciuitate Ouetensi Collegium Societatis fundare in eum tantum finem, vt Patres ibi alerentur, qui animas iuuarent, doctrina & Institutione destitutas, quales tunc maximè in eo Principatu erant. Approbauit consilium illud etiam Pater Balthassar; & animauit, vt statim exsequeretur, quo meritum esset maius, ob exactam, & ad nutum Obedientiam diuinæ inspirationi præstitam: &, vt fructu, quem sperabat, adhuc in vita sua frueretur: & ita statim mille aureos dedit, ad emendam domũ; & mille alios

annuos

annuos ad sustentationē, quibus alios mille adiecit: adeoq; largiendo se effundebat; vt cū P. Ioan. Suarius Prouincialis noster vellet distinctè rationes ponere, vt P. Generalem informaret (propter quandam occurrentem occasionem) ipsam Dominam interrogaret, quantum in vniuersum dedisset; Regium quidem, sed humilem animum præferens: Certè, inquit, non scio: propter Deum dedi, ipse rationes nouerit. Voluit Collegij templum titulū habere S. Matthiæ, eò quòd in huius Sancti Apostoli Festo Deus ipsi desideria dedisset tale opus aggrediēdi. Quare dicere solebat; quod quando Deus hoc ipsi desiderium dedit, videbatur, ipsi dedisse totam illam terrā, quasi in Commēda, aut quod Deus talem Commendam ex gratia ipsi dedisset: id quod ex amore, quo illam tractabat, & quidquid ad eius promotionem, & progressum pertineret, procurabat, satis apparet. Fiebat extraordinarius fructus in illa plebe, quo Patres Societatis colligere cœperūt in illis Missionibus, cum bini ad concionandum, & confessiones audiendas per totam Regionem exirent, educentes plurimas animas ex multis ignorantijs, & inueteratis peccatis. Et cum Patres Dominæ huic dicerent: in multis principatus illius Oppidis ob nimiam paupertatem, seruari sanctissimum Sacramentum cum exigua valde Reuerentia: iussit illa fieri quingenta ciboria siue Custodias argenteas, & aliqua lignea tabernacula inaurata, & distribui per illa Oppida, vt cum maiori decētia seruaretur. Eodem spiritu, & in eundem finem decreuit postea fundare aliud Societatis Collegium Santanderi, vt & ibi attenderetur do-

tur docendis & iuuandis animabus, in ſyluis & montibus illis derelictis. Eratq; hoc eius deſiderium adeò vehemens, vt Confeſſarius eius dixerit: illam, ſiue dormiret, ſiue vigilaret, ſiue comederet, ſiue quid aliud faceret, non poſſe eam cogitationem ac deſideriũ deponere: eò quòd amor Dei, & animarum Zelus illam impelleret, & inſtigaret. Aſſignauit ſtatim mille aureos annuos, & intra breue tempus alios mille adiecit. Et vt appareat intentionis eius puritas in horum Collegiorum fundatione, etſi ſufficiẽtibus reditibus ea dotaſſet, vt ex relatis conſtat; ac propterea voluerit pro ſe offerri ſuffragia Sacrorum & Orationũ quæ pro more Societatis ſolent pro Fundatoribus offerri: noluit tamẽ ius Patronatûs retinere, quod poterat, quia verè ei debebatur: ſed libertatẽ eis reliquit, vt ſi Prelatus quiſpiã, aut opulentus alius augere vellet eorum reditus: & eſſe Fundator, ac Patronus, illum pro tali poſſent admittere. Hæc enim nobiliſſima Domina non proprium honorẽ ex huiuſmodi operibus; ſed diuinum quærebat; neque nomen ſuum in terra perpetuare, ſed gloriam Dei in eadem creſcere, ac dilatari.

§. II.

SED vbi magis illius feruor præluxit, fuit huius Collegij Villa-Garcenſis fundatio, vtpote opus præcipuum, ſibique reliquis, quæ fecit, chariùs. cupiebat enim omnibus vijs ac modis, ibidem augeri Dei obſequium, & animarum profectum, & vtilitatem. Quare voluit, vt in eo pueri ex tota vicinia docerentur legere, ſcribere, & Arithmeticam; & humaniores literas alij

multi, qui ex diuersis locis eò confluunt, & insigniter in virtute ac literis proficiunt. Et præterea voluit, eandem domum esse etiam Tyrocinium Societatis, in qua in Spiritu & Religione instruerentur, qui essent per totum mundum postea dispergendi, & Christianam doctrinam, ac perfectionem docturi, quam ibi didicissent. Item vt Collegium illud (quod, in loco paruo situm, separatum magis ac expeditum esset à concursu hominum sæcularium) esset quasi domus quædam spiritualis recreationis, ad quam ex tota prouincia concurrerent Patres Societatis ad solatium aliquod spirituale, in maiori recollectione & familiaritate cum Deo sumendum: & vt cõfortati odore Nouitiatus valde feruentis, redirẽt cũ nouo spiritu & animo ad laborãdũ in suis ministerijs erga proximos. His rationib. animabat P. Balthassar pijssimã hanc Dominam, vt opus illud valde perfectum faceret, quæ ex seipsa satis bene erat animata: quia decreuerat, proprias facultates coniungere cũ facultatibus viri sui Ludouici Quijadi, qui fuerat Dñs Villa-Garciensis: & iusserat ibidem fieri sacellum, cum valde tenuib. Capellanijs, p suo sepulchro: nisi vxor sua vellet etiã ex communibus vtriusque facultatibus monasterium aliquod ibidẽ erigere. Sed vtrũq; illa præstitit: nam pulcherrimũ templum exstrui curauit, q̃ simul esset vsui Patribus Societatis, & duodecim Capellanijs, cum quodam Capellano supremo, quas fundauit ac sufficientibus reditibus dotauit, in duplum scilicet, quàm vir eius designauerat: vt Officium diuinum, & Sacrum Missæ quotidie cãtarent: ac diebus solennioribus etiam adhibito orga-

organo, cum ea solennitate, quæ solet in Cathedralibus Ecclesijs adhiberi. Et ideo constituit, vt octo Capellani essẽt Musici, & vnus Capellę Magister; & præterea vnus Organista, & sex chori iuuenes; & Sacristanus cũ separata Sacristia præclaris ornamentis instructa; quorum omnium curam & gubernationẽ dedit Societati, & ad maiorẽ omnium firmitatẽ curauit, rem totã Summi Pontificis bullis & literis confirmari. In eodem templo curauit fieri Sacellum separatum, in quo reposuit multas & præclaras reliquias, pulchrè exornatas P. Balthassare Aluario rem ita dirigente, vt ibidẽ etiam collocaretur sanctissimum Sacramentũ: quò Nouitij cum maiori deuotione in sacrarium & sanctuariũ illud se reciperent ad suam Orationẽ & Examen habendũ. Et suprà oẽs reliquias, quæ distributæ erant per quosdã gradus curauit collocari pulcerrimã Saluatoris nostri imanem, altitudinis hominis; quam iussit ipse depingi à quodam nostro Patre Nouitio insigni pictore, cui nomen erat Ioannes de Rupe, & fuerat Portionarius S. Ecclesiæ Salmanticensis; quem cæteri Nouitij suis orationibus iuuerunt, vt imago euaderet valde pia, sicut verè est. Iussit etiam in superliminari sacelli hanc scribi sententiam: *Ego sũ vitis, vos palmites*: vt insinuaretur, sacellum dedicatum vtrisq, simul: verę scilicet vitis Christo Iesu, & eius palmitibus, scilicet sanctis.

ABSOLVTO nouo tẽplo, mense Ianuario Anni 1580 instituta est magna solennitas, vt ex antiquo templo transferretur ad hoc nouum, sanctissimum Sacramentum, & ossa defunctorum, quæ in antiquo deposita erant: ad solennitatem

venit ipsamet Domina cum duobus suis fratribus, D.Rodrico Vlloio, Marchione de Mota, & P.F. Dominico Vlloio, cum aliis præcipuis, & nobilissimis Dominabus vt viderent, quam benè illa suas facultates in vsum & commoditatem Societatis collocaret. Venerunt etiam ex nostris P. Iacobus Auellanedus tunc Prouinciæ Visitator, & P. Ioannes Suarius Prouincialis, & alij multi graues Patres: quos omnes excepit P. Balthassar iam Rector cum magna charitate & humanitate pro more suo, constituens, vt omnibus plenè prospiceretur de rebus necessarijs. Peracta est solemnitas cum magna pompa & omnium approbatione: sed proximo die aliquid accidit, quod illam lætitiam diluit ac temperauit. In qua re P. Balthassar heroicam suam Obedientiam, & resignationem; Fundatrix verò ipsa strenuum suum animum, & pietatem prodiderunt: cuius ego sum testis, quia tunc ibi agebam tertiam probationem. Cupiebat pijssima hæc Domina illo die cùm Fratribus suis, Fratria, ac Neptibus pro valedictione ingredi Collegium, vt lustrarent, quæ ædificata iam erant, de qua re prius aliquid erat actum; sed P. Visitator erat huius sententiæ, quòd non liceret illi intrare: sciebat enim à tempore quo ipse fuerat in vrbe, quã seuerè & strictè Sua Sanctitas volebat, in huiusmodi ingressibus agi; quod etiam ostendebat Proprius Motus Pij V. quod adhuc vim suam retinebat. Et quamuis Patres Prouincialis & Rector securum illum reddebant, & certum ex iudicio Iurisperitorum, tam nostrorum, quàm aliarum Religionum, quod hæc Domina, eò quòd esset Fundatrix, tantæq; circumstantiæ in

eam

eam simul concurrerent, posset licitè intrare: ille tamen à timorata aut scrupulosa sua conscientia impulsus, decreuit, vt non ingrederetur. Ipsa nihilominus decreti huius ignara, post Summum Sacrum ingressa est cum fratribus suis: & illis adhuc in infimo transitu manentibus, casu omninò id cognouit P. Visitator: qui à suo scrupulo iterum impulsus, P. Balthassarem ex suo cubiculo vocatum, seriò iussit ad D. Magdalenam ire, ac dicere, vt exiret. Et quamuis P. humiliter proponeret magna incommoda, quæ hinc oriri possunt; pauca verò, sic nihil ei diceretur, præcipuè cùm ipse Visitator ad id facultatem non dedisset: ipse tamen iterum iussit, vt sine ampliori replica faceret, q iubebatur. P. Balthassar, licèt id valde sentiret, eò quòd res in se adeò esset grauis; & quod ipse totumque Collegium, & Societas ipsa tota tali Dominæ esset obstricta: subiecit tamen iudicium proprium, suamque voluntatem negauit, & tanquam Obedientiæ filius, eam in hac occasione manifestè ostendit: nam statim obsecutus est, & quo potuit optimo modo, ad eam iuit, eiq; quod iussus erat dixit. Grauiter illa id sensit, & omnes sunt conturbati; & præcipuè Marchio eius Frater, qui non multum alias tales suæ sororis expensas probabat, chirotecas suas commotus, in terram abiecit, dicens: pluris hoc facio, quàm si Regnum Castillæ mihi fuisset datum: vt videas, inquit ad sororem, cum quibus hominibus tuas exponas facultates, & quàm se tibi gratos ostendant. Totum hoc P. Balthassari fuit magnæ mortificationi; & quidem, vt ipse aiebat, maximæ, quàm in tota vita sua habuisset; eò quòd in ea magnam suam

propensionem abnegasset, quâ semper conatus est valde gratum se exhibere suis benefactoribus, & nominatim tantæ benefactrici, & in tali occasione. Sed & illa egregium suum animum, pectusque Christianum ostendit: neq; enim tantus hic sensus & dolor effecit, vt illa Societatē amare desineret, eiq; benefacere, & Confessarijs eius confiteri, vt solebat, nec vel punctum amisit amoris & reuerentiæ erga P. Balthassarem: potius quamprimum domum reuersa est, misit, qui ipsum consolaretur; petens ne tanti rem ipse faceret, vt grauiter eam ferret, sibi enim eius animum & voluntatem satis notam esse, nam cùm adeò esset prudens, & pia, aduertebat, illud prouenisse ex vehementi timore, aut Zelo, quo P. Visitator tenebatur, ne Deum offenderet, aut leges Ecclesiæ violaret; non verò, vt ipsi displiceret. Postea verò multa occurrerunt, in quibus Societas studuit illi vt par erat, gratificari: & illa vehementer recreabatur, cùm redibat Villa-Gartiam, & videbat puerulos ex scholis, qui ferè erant ducenti, exire sibi obuiam, cum lepidis suis saltibus; & ipsos studiosos ex scholis, quæ adhuc dum ipsa viuerent, valde florebant, sicut & nunc: quia sunt plures quadringentis. Valde enim recreabatur videns, ingentem fructum fieri in tanta iuuentute, & tam splendida, quæ eò confluebat ex Zamora, Tauro, Vallis-Oleto, & alijs vicinis locis; imò etiam remotis valde ciuitatibus ob singularem eius loci ad studia recollectionem: lætabatur videns, quanta solennitate Officia diuina à Capellanis peragerentur, Nostris diligentem eius rei curam gerentibus; exultabat animo, cùm videbat raram nostro-

ſtrorum Tyronum modeſtiam; & cùm intelligebat inſignia dona, quæ Deus illis communicabat; multoq; magis ob ſpem, q; illij ad bonum multarũ animarum deſtinarẽtur; & ob ſingularem curam, quam videbat in alijs miniſterijs erga proximos, tam illius loci, quàm vicinorum adhiberi. Quæ omnia cùm videret, valde ſemper fuit procul abeius cogitatione, vt operum, quæ fecerat, pœniteret. Nam præterquam quod ea fecit à Deo D. N. permota, non ſatis ſibi erat, quod ſancta ſua deſideria cum ſuo Confeſſario conferret; ſed de huiuſmodi rebus perpetuis conſulebat etiam graues & doctos viros: & omnia, quæ erga ſocietatem fecit contulit cum viris ſæcularibus, quibus multum tribuebat, præcipuè cum Licentiato Ferdinando Villa-Fannio, viro graui, prudenti, ſapienti & magni conſilij: qui etſi nobiſcum aliàs non ageret: ea tamen approbabat, & ad ea præſtanda animum addebat: vt hinc appareret Dei potiùs manum eſſe, quę ad ea facienda impellebat. Vt autem illa omnia ſolidiora ac firmiora perpetuò eſſent: obtinuit à Summo Pontifice breuia cum omnibus ad id neceſſarijs clauſulis. Et vltimò edidit quoddam ſcriptum, in quo conſtituit Rectorem Collegij ſui Villa-Gartienſis protectorem omnium piorum operum, quæ ipſa inſtituiſſet ac fundaſſet: vt attenderet an conditiones & onera, quæ illis impoſuiſſet, ſeruarentur; & niſi re ipſa ſatisfacerent, ſubſtituit ipſum Collegium Villa-Gartienſe, vt reditus, quos illis aſſignauerat, ad ſe acciperet.

HAEC fuerunt inſigniora externa opera huius

a Prou.31 10 huius verè a *fortis mulieris*, cuius valor & *pretium* est tanquam rerum preciosissimarum *procul & de vltimis finibus* terræ aduenientium: cuius tamen maior præstantia est in virtutibus, & operibus internis, quæ externa comitabantur, vt se ipsam multò magis in eis perficeret. de quibus in proximo capite fusiùs.

CAPVT XXXVI.

PATER BALTHASSAR literis suis eandem Dominam iuuat, quam Deus ad insignem perfectionem euexit.

CVM D. Magdalena Vlloia Vallis-Oleti ordinariè resideret, P. verò Balthassar in Villa-Garcensi eius Collegio, inde illam suis literis, aptisq; consilijs iuuabat; semper illam ad perfectionem, suiq; ipsius abnegationem exstimulans: quæ res magnis huiusmodi personis valde est difficilis: eò quòd consueuerint valde suis appetitionibus obsequi, ac proinde eas mortificare horreant. Ad eam igitur probandam, & experimentum aliquod in hoc genere accipiendum, ac simul eandem exstimulandam, inter alias literas, hasce ad illam circa festum Natalis Domini dedit.

§. I. DEVS

§. I.

DEVS infans in Betlehem natus, in anima etiam D.V. nascatur: solus enim ille nouit eius festa benè celebrare: in cuius anima fit internè, quod exteriùs ostenditur. Non cogitabam ad V. D. scribere, tam parum assuetum habentem cor suum ad abnegationem propriæ voluntatis. vt offensionem potius reputet, quàm obsequium, si literas accipiat, quæ ad eam abnegandam vrgeant. Det ipse Deus maiorem animum, ac desiderium, eandem propriam voluntatem persequendi. Amen, Amen, Amen.

17. Decēb. 1576.

Ironicè.

OPVLENTIA instantium festorũ, & egestas, qua intelligo laborare D. V. humilitatem ad eadem celebranda, mihi persuaserunt, quod hac vice saltem gaudebis potius, quàm dolebis, his acceptis Monitis.

PERPENDERIT procul dubio D. V. in elapso Sancto hoc Aduentus tempore insigne Dei erga nos beneficium, quo vult ad nos venire; & animæ fœlicitatem, quæ promerebitur eum apud se in domo propria videre: & quoniam spero de eius misericordia, quòd V. D. eum videbit, & cum eo gaudebit: visum mihi est monere, eum huius esse ingenij, (si velis multum illi placere) vt statim atque in mundo natum videris, ad eum accedas, siquidem ipse pro te etiam venit inter cæteros, quos honorare, & sua præsentia recreare vult: & vt studeas te totam in spectaculum illud sanctum, quod ante oculos fidei tuæ videbis, trãsformare, sicut faciebat grex ille Iacob, in eas virgas, quas ante se habebat. Nam quod spectaculum

„ admirabilius, quam Deum ipsum fieri infantem,
„ Angelis stipatum, & pannis inuolutum? Disce
„ ex eius Magisterio (siquidem exemplum eius est
„ lux nostra) salutarem scientiam te humiliā-
„ di; teque ex corde à propria opinione, & æ-
„ stimatione deijciendi; & exuendi ab omnibus re-
„ bus præsentibus: (vereor, enim, ne te non li-
„ tis ab illis expedias) & sic demum te ad e-
„ ius imitationem (vt magis illum allicias) tra-
„ ctandi, quasi in omnium hominum esses obli-
„ uione, omnibus esses crucifixa & contem-
„ pta; imò neque hoc simpliciter attendas; sed
„ vt magis gaudeas, quòd videas te illustrari &
„ honorari ex insignibus Domini tui. Cogita,
„ quòd quamuis tanta ipse nostri gratia præ-
„ stiterit: adhuc nos non studeamus illi placere;
„ sed eum potius contristemus, adeoque affliga-
„ mus, vt cogamus in ipso præsepio flere. O
„ scelus ab omnibus creaturis detestandum! quod
„ te, Domine, flere faciamus? & tamen adeò
„ parum curemus, vt neque in eius cogitatione diu,
„ & libēter hærere velimus? Hæc duo magnā S. Cy-
„ priano admirationē adferebāt: alterū quòd Deus
„ multa ex seipso hominibus dederit; homines verò
„ parū ex se ipsis Deo; multa ipse bonitatis suæ ma-
„ nifestauerit in eo quod fecit: ex qua tamen boni-
„ tate parum nos profecerimus; alterum tædium &
„ morositas, qua imus ad Christum, scientes, eum
„ esse nobiscum; & celeritas, qua ipse viam percu-
„ rit, vt ad nos perueniret. Defleamus, Domina, du-
„ ritiem & cæcitatē nostram; & æternum Patrē sup-
„ plices oremus, vt qui filium suū nobis dedit, dui-
„ nū quoq; mittat spiritum, quò possimus rectè illi

seruī-

seruire, ac placere, & humiliter reuereri, & cùm "
hic sit ignis, quem ipse misit in mundum, vt ipsius "
amore accenderetur: petamus ad nostra etiam "
corda mitti, vt ea inflãmet: non.n. profuerit ipsum "
in mũdũ venisse, nisi etiam ad ea perueniat. Vi- "
uamus igitur in posterum desolati & afflicti: si- "
quidem videntes, nos à tanto tamque benigno "
Domino amari, isto tamen igne non vrimur. Hor- "
reamus vitã, quæ non collocatur in reddendo de- "
bito nostro penso. Quis nobis prospiciet? ad quem "
ibimus, vt nobis medeatur? redeamus iterum ad "
æternum eius Patrem, primamque petitionem "
millies repetamus. Accedamus ad ipsummet "
IESVM: vt qui veniet Saluator noster, hoc erga "
nos præstet officium: accedamus ad Spiritum san- "
ctum, vt eum in nobis clarificet; ad rusticos "
pastores, vt nos doceant; ad matrem eius sanctis- "
simam, & S. Ioseph vt pudore nos suffundant. "
Quid fecerint illi, eorum Domino iacenti in præ- "
sepio? quid eorum oculi aspexerint! quid eorum "
corda cogitauerint! ibi (ait S. Cyprianus) non e- "
rant panni preciosi: & si fuissent, non habuissent "
spectatores: nam infans iacens in præsepio, om- "
nium oculos, & corda ad se trahebat: vt nollent "
effũdere se ad quærendum in creaturis solatium, "
quod præstantius, & ex omnibus simul inuenie- "
bant in suo Creatore. Nudi erant parietes, sed "
corda plena & ornata diuinis donis. Nihil ibi o- "
culis carnis diuinum apparebat; sed spiritus ocu- "
lis omnia diuina erant: nullũ natale adeò egenũ, "
nec vllũ adeò opulẽtũ: nullũ humano solatio ma- "
gis destitutũ; nec diuino magis abũdãs. In publico "
homo, in occulto Deus; quod exterius apparebat, "

alijs

„ alijs erat ſimile; quo latebat erat ſuper omnes ex-
„ tende mixturam, pannos, & Angelos; lacrymas, &
„ muſicam. eamus ergo Domina, ad Angelos, vt hoc
„ nobis aperiant, ſcientiamque doceant, qua ſci-
„ mus rem æſtimare, adorare, ac celebrare ſicut ipſi
„ fecerunt, cùm primùm illum in mundo vide-
„ runt: hoc ſiquidem eſt opus, quod nobis in eo fa-
„ ciendum incumbit; & nullius alterius ratio vlla
„ habenda. Talem ſui opinionem & æſtimationem
„ det IESVS D.V. vt non amplius ſua ſit, aut alicu-
„ ius alterius, niſi ipſius IESV ſolius. Amen. Amen.
„ Amen.

EX literis ſatis apparet tenera Sancti huius vi-
ri deuotio, ac dexteritas, qua ſenſim eam Domi-
nam expoliebat; cuius curam ſuſceperat, dirigens
eam ad perfectam ſuarum propenſionum mortifi-
cationem, per quam ad perfectionis celſitudinem
peruenitur. nam (quemadmodum in alijs literis
hoc ipſo anno datis eidem Dominæ ſignificatur)
per hanc ſemitam vniuerſalis abnegationis pro-
priæ voluntatis ad tantam ſublimitatem aſcendi-
tur: & in eiſdem literis dicit: eam hunc defectum
admiſiſſe, quod tam breuiter ſui rationem redde-
diſſet, quaſi non habens, quid de ſuo profectu ap-
riret: non etiam habuiſſet defectus, quos manifi-
ſtaret: ex quo apparet, Dominam illam per literas
conſueuiſſe reddere Patri rationem rerum ſuarum
internarum, eiusque iudicium, & conſilium pe-
uiſſe circa ea, quæ eſſet factura. Quod verò Pater
præcipuè ei commendabat, illud erat: vt ſtudere-
in rebus omnibus quærere ſolum Deum; & om-
ſuum à perſonis, & creaturis exuere, ſicut face-
bat à diuitijs. quam lectionem optimè illa eſt alle-
cuta

cuta; adeoque serio studuit exsequi, quod suadebatur, vt nulla personarum, quantumuis consanguineæ aut affines essent, affectio, cor ipsius occuparet; aut ab eo retraheret; quod voluntatis Dei esse intelligebat: cum qua tantam consecuta est conformitatem, vt nihil ipsam turbaret; aut eius patientiam læderet; nec vlla res sufficeret, ad interrumpendum bonum hoc propositum, & animi affectum, quo dicebat: fiat voluntas Dei. Recreabatur, & oblectabatur tanquam filia, cùm Deum appellaret patrem: nec vnquam finem faciebat gratias agendi ob tantum beneficium, quo voluit, hoc nomine à nobis compellari. Nunquam parum aut multum comedebat; quin tardè satis præmitteret Pater noster, teneram faciens reflexionem ad Verbum Patris: & inter comedendum sæpe exaggerabat valde apud circumstantes hanc gratiam: imò ipsum prandium sæpe interrumpebat ob delectationē, qua, de hac gratia loquendo, afficiebatur. Tertiò quoque die magnā cū deuotione & lacrymis cōmunicabat, ita vt ipsa frequentia tenerum eius sensum non imminueret: cuius causa, quàm diu benè habebat, cōferebat se ad domū nostram professam cum sola vna matrona & viro quodam, cui inniteretur, nolens curru aut gestatoria sella vti, vt & in hoc heroicam spiritus paupertatem, & in medijs tot diuitijs, cordis humilitatem præ se ferret. Siquidē diues ac liberalis in alios, in se ipsam erat pauper & parca, in vestitu, mensa, lecto, domestica suppellectili, & famulorum comitatu: nec aliud quicquam horum retinēs, quàm quòd esset omnino necessariū: imò etiam in necessarijs aliquid sibi subtrahebat,

non

non ex parcitate, sed ex virtute: tum, vt plus haberet, quod pauperib. largiretur; tum, vt se ipsam mortificaret, Christumq; D.N. in eius paupertate, & contemptu amplius imitaretur, vt P. Balthassar illi suadebat.

CONSOLATVS verò est illam non parum in eo dolore, quem sensit ex morte D.D. Ioannis Austriaci, filij Caroli V. Imperatoris, quem ipsa simul cum viro suo Ludouico Quijadio in domo sua ab infantia educauerat; & tanquam filium eum diligebat, sicut & ille eam tanquam matrem: qui cum ex Hispania discederet in Belgium, cum magna teneritate ei valedixit: placuitque Deo D. N. accipere eum ex hac vita in flore suæ ætatis, & sui honoris ac dignitatis initijs, Anno 1578. Erat tunc P. Balthassar Visitator Prouinciæ Arogonia, in qua versabatur, & nuncius de prædicta morte peruenerat ad illum Valentiæ: & inde literas consolatorias scripserat ad prædictam Dominam in hunc modum.

§. II.

11. Decēb. 1578. „ SPIRITVS Sanctus solatio sit & leuamini D.
„ V. qui ad reponendum adeò fœcundi anni
„ fructus erit benè necessarius. Non scripsi D. V.
„ statim atq; intellexi transitū ex hac vita ad eā, quæ
„ est omnibus æterna D. D. Ioan. Austriaci: quia & ego æquè opus habui consolatione, atque D. V. Sed aduertens, talem nuncium eò fortiùs D. V. icturum, quò tanquam mater, propinquior erat, & eum tāgebat quem maximè in hoc mundo charū habebat: existimaui, non amplius differre hoc scribendi officium: cuius hoc sit initiū, quod officiū, eius serenitati, & V. D. in hac calamitate debitum

bitũ valde diligẽter præstiterim; & quidẽ cũ ma-
iori desiderio, vt optatũ fructũ adferret; Patriq̃ue
Prouinciali huius Prouinciẽ cõmiserim vt idẽ per
totã Prouinciã cõstitueret. Quod si gubernatio li-
bera mihi fuisset, iuxta votũ meũ, prius ipse, quàm
hæ literæ cõparuissem, vt sensum meũ præsens o-
stenderem: sed tales Deus terminos constituit, vt
licet quis maximè ad eos transgrediendos pro-
pendeat, id tamen facere non possit; nec maior sit
prudentia, quàm intra illos se continere, eosq; a-
dorare. Sit igitur ipse ob id, quod fecit, in æternũ
benedictus: ã cùm mortuo id esset optimũ, nobis
hic remanẽtib. cogitãdũ illud ac deflẽdũ reliquit:
idq; valde nobis erat necessariũ, vt & nobis esset
optimũ tanquã Dei opus, sciẽtis, eadẽ opera vigi-
lãtẽ remunerare, & dormitãtes monere, & puni-
re, nõ tamẽ absq; cõsolatione: habet enim eius di-
sciplina vitã, si benè eius opera perpẽdãtur, nõ hę-
rẽdo in externa superficie, sed penetrãdo ad eorũ
interiora, in quibus medulla latet: *si sic viuitur &*
in talib. vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis
me: dixit Rex Ezechias Deo occasione instructio-
nis alteri⁹, ac monitorũ huic similiũ, licet illi gra-
uissimorũ. si sic, inquit, in hac peregrinatione vi-
uitur, & in huiusmodi angustijs cõsistit semita spi-
ritus mei: reuereãtur, & adorẽt omnes tua cõsilia
Deus, & te in eis: nã huiusmodi calamitatũ instru-
ctione, & me corripies, & simul viuificabis. Lectio
nẽ, ô Domina, prelegit nobis Deus sufficientẽ pro
tota vita; modò sciam⁹ fructũ ex ea capere: & vestrę
Dominationi admiscuit internũ solatium, vidẽti
dulcissimũ Dominũ festinãtẽ, vt è periculo animã
illam eriperet, quã D.V. & ipse tenerè diligebant;

a Isa. 38. 16.

& quam

„ & quam ab æterno ipse præelegerat adeò singula-
„ riter ad Regnum suum: quem voluit in campo
„ ipso mori, pro defendendo Patris sui honore, sic-
„ ut ipse: fieriq; sibi similem in causa tam præclara,
„ & vniuersali gloriæ suæ, & in cordis puritate:
„ cuius tot sunt testimonia tam eorum, qui prope,
„ quàm qui procul cum eo egerunt, & ipsius morti
„ præsentes fuerunt. Habet verè in eo & in D. V. Io-
„ cũ quod Christus Dominus noster dixit suis disci-
„ pulis, contristatis ex eius verbis, quibus prædice-
b Ioan 14. „ bat, se ab eis discessurum ad Patrem: b *si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Pa-*
28. „ *trem*: quasi dixerit: plus ponderis habere debe-
„ ret in oculis vestris bonum meum, quò conso-
„ laremini (etiamsi aliquod ex eo incommodum
„ vobis eueniret) quàm defectus, quem vobis fre-
„ giris ex mea absentia, vt tristemini: præcipuè cum
„ contrarium sit verum, quasi opus quod ego Deus
c Ioã. 16. 7. „ & Redemptor vester facio: *expedit enim vobis, vt*
„ *ego vadam*. Et quoniam huic verbo non fuerunt
„ increduli, cùm postea, adueniente spiritu San-
„ cto, illud intellexerunt, noluissent pro vniuersi
„ mundo non fuisse ita gestum: adeoq; senserunt, se
„ mutatos in solatio & profectu suo, & æstimatio-
„ ne Christi, qui totum erat ipsorum bonum: vt ipsa
„ experientia didicerint, non esse aptius aliud scire
„ aut velle, quàm Deo curam omnem remittere, vt
„ in ipsis, & in rebus omnibus pro libitu faciat, aut
„ reddat infectum; nolentes aliud velle, aut eli-
„ gere, quàm quod ipse constituet, venerantes cum
„ magno silentio, quod humani ingenij debilitas
„ in eius consilijs non assequitur: nam, etsi nobis
„ occulta sint, nullo tamen modo erunt iniusta.

Ha

Hæ literæ valde sunt consolatæ piam hanc Dominam, quam tamen Deus benè præuenerat cum ipsa ingenuè ac liberaliter se ipsam, & res omnes suas, etiam dilectissimas, ac preciosissimas ei tradidisset.

IMPONAMVS nunc finem insignis huius Matronæ virtutibus, addentes ijs quæ dicta sunt, heroicam cordis eius humilitatem: videbatur enim sibi, parum, aut nihil esse, quidquid faciebat, aut largiebatur pro Christo D.N. Et hoc est quod magis admirabar quoties cum illa loquebar (quod non raro fiebat:) nam cùm aliquoties agerem gratias, quod nobis benè faceret: respondebat modo quodam adeò demisso, & ex corde verè prodeunte, quasi nos potius ipsi benè faceremus accipiendo, quod illa dabat; quàm ipsa nobis idem dando. Idem autem iudicabat ac sentiebat de reliquis eleemosynis. Et reuera ita est, quod qui puris oculis maiestatem Christi Domini in suis pauperibus agnoscit, aduertit, se non tantum beneficium pauperi conferre, cùm dat eleemosynam; quàm pauper faciat ipsi, dum eam acceptat: non qua talis est homo; sed qua is, qui in ipso illam recipit, est ipsemet Christus, qui eam remunerat, reddens centuplum in bonis spiritualibus, & postea in æternis. Ex hoc animo proueniebat ipsi, vt in suis bonis distribuendis non tam videretur eorum Domina; quàm dispensatrix, & Dei ipsius eleemosynaria; quemadmodum Regum & Principum Eleemosynarij eleemosynam distribuunt, ex bonis illorum: idque ipsa faciebat cum tãta pietate, atque si mater esset omnium egenorum; & vnica protectrix

omnium desertorum, ac desolatorum. Placuit Deo accipere ad se Patrem Balthassarem multis annis ante ipsam, quo tamen toto tempore perrexit ipsa in vitæ suæ ratione, crescens & proficiens in omni virtute, & hac ratione cursum suum cum magna gloria cucurrit, donec annis & meritis plena ad eius finem peruenit. Exposuerat in eleemosynas non solum omnes fructus redituum suorum; sed etiam, dum viueret, magnam eorundem redituum partem tradiderat, exuens se illorum iure, vt pia perpetua opera, quæ fundauerat, magis firmarentur: & quod tempore mortis supererat etiam testamento distribuit pauperibus, constituens hæredem charum suum Collegium Villa-Garciense. Incidit in morbum ex lateris dolore: & cùm periculum præuideretur, primo die communicauit, & iterum septimo, qui fuit vltimus, omnes septem fuerunt illi valde graues, quoad corpus; sed magni solatij spiritualis. nam ferè continuè erat in oratione, quasi Deo commendabat. inuisentibus ipsam minimum quod poterat attendebat; maximè autem, vt pauperibus eleemosynæ traderentur. Assiterunt illi die noctuque Patres Societatis; & hunc Dei fauorem tunc est etiam experta, vt venirent Vallis-Oletum grauissimi Patres, quos illa nouerat, & charos habebat, & P. Ioannes Monte-Maioris tunc Rector Collegij ipsius, qui profectus in vrbem, Prouinciæ huius Procurator, redierat ante duos dies, quàm illa moreretur; & illam est consolatus, adiuuitque ad hanc eius profectionem. Sed omnes habebant pa-

rum,

rum, quòd cum illa agerent: Dominus enim ipse satis benè occupatam secum habebat. Vltimum ferè, quod locuta est, hoc fuit. cùm aliquod refrigerium ex haustu aquæ accepisset, coniectis in crucifixum oculis, dixit: Domine, cùm tu esses in hac pressura, in qua ego sum, non fuisti aqua frigida recreatus, sed felle & aceto, miserere pauperculæ huius & miserabilis ancillulæ. Mortua est fœliciter feria quinta vespertina in die S. Barnabæ, Anno 1598. cùm esse ætatis 73. annorum. Magnus fuit sensus & fletus omnium pauperum ex eius morte, & ipso die distributi sunt inter eos 400 aurei.

STVDVIT Societas in hac occasione gratitudinem suam ostendere erga tantam benefactricem. positum est tũc eius corpus in quadam cista, & paruo tumulo: & conuenerunt ad locum, vbi mortua est, omnes de Societate, qui sunt in tribus locis in hac ciuitate, ad Officium decantandum. Et nocte illa manserunt apud corpus duodecim illorum: altero die mane omnes conuenerunt ad domum professam, in qua fuit magnus tumulus erectus, cum multis facibus, ac decantatum Officium cũ ea solennitate, qua in Societate fieri potest. Curatũ est, vt omnia Sacra, quę illa die in tota Vallis-Oletana Ciuitate dicerẽtur, offerrẽtur pro ei⁹ anima: vesperi institutũ solẽne funus, ad q̃ cõuenit sũmi tẽpli Capitulũ cũ toto Clero, & omnib. Religionibus, quæ ad huiusmodi funera cõuenire solent; quibus liberaliter datæ sunt consuetæ eleemosynæ. Adfuit quoque tota Nobilitas, quæ tunc erat Vallis-Oleti: & cum hac pompa & comitatu corpus eius in sarcophago

positum portarunt grauiores Societatis Patres vsque ad alteram partem pontis: vbi positum in lectica, comitantibus triginta ex nostris Patribus cum accensis facibus, vexerunt ad Villagarciense eius Collegium, quo cum P. Prouinciali conuenerant grauissimi quiq; totius Prouinciæ Patres, & solennissimas celebrarunt exequias, in quibus P. Anton. Padillius cũ solita sua grauitate, & prout argumẽtũ dignũ erat, concionẽ habuit. Cõtinuatur autẽ sẽper suffragia, explẽdo exactissimè quidquid illa in suo testamento cõstitutum reliquerat.

CVM primùm Salmaticensi Collegio, vbi ego tunc eram, eius mors innotuit, scientes quantum Societas tota tantæ Matronæ esset obstricta, non fuimus contenti facere, quod præscribit nostra Constitutio, vt per vniuersam Societatem singuli Sacerdotes nouem Sacra pro illa offerrent, tanquam trium Collegiorum fundatrice; sed solennes quoque exequias disposuimus, conuocantes præcipuos totius Vniuersitatis, & Academiæ, qui libentissimè ad illud Officium conuenerunt: concionatus est Pater Iosephus Acostus tunc Collegij Rector, & insignis aliàs concionator, qui in eleganti & accurata illa concione præclara defunctæ opera retulit & adumbrauit, quę illam comitata sunt vsq; ad locum gloriæ. Idem fecerunt in alijs huius Prouinciæ Collegijs in testimonium eiusdem gratitudinis: cuius etiam causa fusior hic esse volui, vt sit continua memoria in terra, eius quæ talia opera fecit, vt excellenter Regi cæli seruiret ac placeret, vbi eam credo iam cum illo regnare in throno insignis gloriæ.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

FRVCTVS QVEM P. BALTHASsar in quibusdam præcipuis personis fecit, quarum vni duas præclaras dedit meditationes de Prouidentia diuina.

ETIAMSI Villa-Garcia Oppidum sit paruum, potuit tamen P. Balthassar suam charitatem etiam ibi in proximos ostendere, & exercere sua talenta ad eos lucrandos: & quamuis consueuisset agere cũ personis nobilibus, nouit tamen etiam plebeis & agricolis se accommodare, humaniter valde cum eis agendo, ac etiam diutius hærendo, ostendens vultum hilarem ac beneuolum, quando ipsum conueniebant, quasi aliud non haberet, quod ageret: quam ob rem magni ab illis fiebat, & amabatur: implebat enim illud Apostoli: a *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum* ad prædicandum & docendum omnes Euangelium Dei, sed multo magis id præstitit cum præcipuis personis tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis & Religiosis variorum Ordinum, venientibus ad illum angelum, vt de rebus animarum suarum cum ipso conferrent; & octo, aut quindecim dies sese ad orationem & alia spiritualia exercitia re-

a Rom. 1. 14.

ciperent, directionem ab ipso acceptam sequentes. Inter alios duo fuerunt insigniores & frequentiores, D. Franciscus Reinosus tunc Abbas Vsillienſis, qui & in Ecclesia Palẽtina dignitatem habebat, & postea factus est Episcopus Cordubensis: cuius aliqua mentio facta est capite 16. & eius ex Fratre Nepos Hieronymus Reinosus, eiusdem Ecclesiæ Canonicus, vir valde exemplaris ac Zelosus, qui alios Canonicos & Portionarios eiusdem Ecclesiæ nunc hos, nunc illos, secum ducebat, vt Exercitijs spiritualibus, & talis Magistri doctrina fruerentur: id quod per multos postea annos persecuti sunt, existimulante eos Palentia feruens quidam Societatis Pater Andreas Assensius, qui diu egerat cum Patre Balthassare de materia Orationis. Qui referre solebat, se aliquando valde pusillo fuisse corde, nec ausum fuisse motionem spiritus sequi, à quo interne sentiebat se ad res maiores permoueri: cumque rem cum P. Balthassare contulisset; ipsum deceptionem illam retexisse, & animasse, vt eam motionem sequeretur, tanquam apertè Spiritus sancti: & hac ratione adeò sibi & alijs profecisse; vt cùm exiguum aliàs haberet naturale talentum: quia tamen valde aptum erat per gratiam Dei: fiebat, vt viri valde graues & præcipui illius Ecclesiæ, ac Ciuitatis eum reuererentur: nam (vt quidam eorum mihi retulit) sancta sua sinceritate fiebat dominus cordium, & omnes prudentibus eius consilijs parebant: certoque tempore conferebat secum illis Villa-Gartiam, vt exercitia spiritualia illis traderet, & simul faceret. Confluebant quoque Villa-Gartiam viri seculares valde illustres, quales

quales erant Marchio Veladius, de quo ſupra; D. Ignatius Fernandius Velaſcus Comeſtabilis Caſtilliæ, & gener eius D. Franciſcus Borgius Marchio Lombaius, & poſtea Dux Gandiæ, qui tunc habitabant Villalpandi, tribus tantum inde miliaribus: quò P. Balthaſſar ſæpius ſe conferebat, id petente D. Anna Aragonia Ducíſſa Frias, Societati noſtræ valde addicta; quæ cupiebat, Comeſtabilem virum ſuum etiam eſſe addictum, & confiteri, ſuaque negocia cum aliquo ex noſtris communicare: quod eo vſque non fecerat. Sed ſtatim atque P. Balthaſſarem nouit, tantum erga eum amorem concepit, vt res omnes ſuas in eius manibus poneret. confeſſus eſt illi generaliter, & ab eo accepit vitæ inſtituendæ rationem: quare aliquoties Villa-Gartiam ſe conferebat ſolùm ad colloquendum, & communicandum res ſuas cum illo: & ita eum reuerebatur, vt in eius conſpectu non auderet loqui de rebus de quibus in ſæculo agitur; ſed potius ipſe delectabatur valde, cùm eum de Deo loquentem audiebat. Marchio Lombaius etiam eò ſe contulit, vt inquietè faceret exercitia ſpiritualia, quæ Pater Balthaſſar illi tradebat; & permittebat eum intereſſe Exhortationibus & Conferentijs, quas ad Nouitios habebat; & vt in ipſis Conferentijs diceret ſuam ſententiam ſicut alij, quando ordo ad ipſum veniebat. Finitis Exercitijs, cùm eum videret adeò mutatum ex retectione priorum opinionum ac deceptionum, fecit P. vt omnes ſimul Nouitios in Aula Collegij, vbi ad exhortationes audiendas conueniebant, ille alloqueretur, & ageret de retectione deceptionis circa

res huius mundi; & quàm rectè ipsi fecissent, quòd statum elegissent religiosum. Et sæpe aliàs venit Villa-gartiam, eo solùm nomine, vt cum Patre Balthassare negocia sua conferret, eiusque de eis iudicium sequeretur.

§. I.

SED vberiorem adhuc fructum fecit, quoties Villalpandum ad Ducissam de Frias se contulit, duasque eius filias D. Iohannam Velascam Marchionissam Lombaiam, & postea Ducissam Gandiensem; Et D. Agnetem Velascam, quæ postea fuit Comitissa Montis Regij; quibus & multis alijs harum Dominarum matronis magnum attulit feruorem. Ipsa Ducissa dudum erat exercitijs Orationis ac Deuotionis, omnique virtuti addicta: quam tamen P. Balthassar valde in eisdem perfecit, docens, quem in finem essent ea dirigenda, iuxta maiorem eius necessitatem: vt scilicet integram & absolutam haberet resignationem & conformitatē cum voluntate diuina in rebus omnibus: volens scilicet, & cum animi delectatione amplectens quidquid Deus vellet, & eidem placeret: reiectis anxietatibus & nimijs tristitijs, quæ ob aduersos euentus oriri solent, nisi hæc adsit conformitas. Et quoniam hæc Domina valde optabat, eam habere perfectè; oppugnabatur verò à multis importunis curis, quæ illam inquietam reddebant, tradidit ei P. Balthassar duas meditationes scriptas de Prouidentia diuina: vt in eis sese exerceret. In quibus P. non solum spiritum suum aperuit sed

ſed cognitionem etiam ac zelum, eorum, quorum curam in ſe recipiebat: ac propterea eas hic ſubijciam.

MEDITATIO prima ſic habet: conſtituta in conſpectu Chriſti D.N. eiuſq; Curiæ cœleſtis, coram cuius Maieſtate geritur, quidquid tibi euenit; & qui ſuos fideles plus diligit, quàm ipſimet ſe ipſos diligant. tria hæc puncta perpendes.

PRIMVM, eſt ex S. Dorotheo: vt fides noſtra valde excitetur ad apprehendendum, quòd nullus in rebus humanis euentus adeò ingratus, turbatus & qui nos premat, euenire nobis poſſit abſq; Prouidentia diuina; vbi autem Dei Prouidentia eſt, omne etiam bonum adeſt, & omnia ordinantur ad animæ bonum. Quare in omni genere Euentuum moleſtorum dices tibi ipſi, paupertas, & exiguæ facultates temporales, res eſt valdè ingrata ei, qui ratione ſui Statûs & amplitudinis tenetur ad grauia onera portanda: at paupertas cum Dei prouidentia coniuncta, magnam procul dubio, & ſecuram vitam adfert. Quod alij tui obliuiſcantur, contemnant, & res tuæ inuertantur, magna eſt anxietas, & preſſura: eadem tamen ſub directione ac prouidentia Domini noſtri, magnum procul dubio theſaurum continet ei, qui ſcit in tuto illum collocare.

SECVNDVM punctum eſt: hoc ſuppoſito, quod quicquid in hac vita meritò poteſt nobis ſolicitudinem adferre, id ſit, quod ſpectat ad animam, eiuſque maiorem profectum; & quod pertinet ad vitam corporis eiuſque ſuſtentationem. Circa vtrumque horum neceſſe eſt valde benè perpenſa habere Chriſti Domini noſtri verba,

„ quibus æterni ſui Patris erga nos prouidentiã o-
„ ſtendit, quæ verba, noſtris cordibus infixa valde
„ habere debemus, tanquam certa pignora prouí-
„ dentiæ eius, vt rectè intelligamus ac deducamus
„ in opus quid ſit nobis faciendum, quando aliqua
„ harum vel aliarum rerum nobis deeſt. Dicit ita-
„ que Chriſtus Dominus noſter apud ſanctum Mat-
a Matt. 6. „ thæum: a *orantes* (in rebus ſcilicet animæ) *non ſitis*
7. 25. „ *multum loqui ſicut Ethnici. putant enim quod in*
„ *multiloquio ſuo exaudiantur*, quaſi vi ſuarum ra-
„ tionum, velint ipſum Deum conuincere & vrge-
„ re. *Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater ve-*
„ *ſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Nol-*
„ *ſoliciti ſitis dicentes: quid manducabimus, aut bi-*
„ *bemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes*
„ *inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus*
„ *indigetis.* Perpendens ergo hæc verba facias in re-
„ ipſam, reflexionem; & ex ſolicitudine quam tibi
„ adferunt filij tui, maximè, quibus non eſt adhuc
„ proſpectum, conijcere licebit, quam ſolidè hac
„ cura inerit Deo erga ſuos: quare cùm ipſi ſit curæ
„ de eis, tutò poterunt ipſi ſolicitudinẽ, quam de ſe
„ ipſis habent, deponere, & in ipſum Deum reijce-
„ re, vt S. Petrus fieri iuſſit dicens: b *omnem ſolicitu-*
b 1. Pet. 5. „ *dinem veſtram proijcite in eum: quoniam ipſi cura*
7. „ *eſt de vobis.*

„ TERTIVM punctum erit, conſiderare: eum,
„ qui ſecuros nos reddit de hac æterni Patris erga
„ nos prouidentia, non eſſe quemcunq; hominem;
„ ſed ipſummet eius filium naturalem, Chriſtum
„ Dominum, ac Redemptorem noſtrum, qui opti-
„ mè nouit, quid in eius pectore lateat; illudq; no-
„ bis ad magnum noſtrum ſolatium, manifeſtat, na-

tural-

xta illud, quod scriptum est : *c vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Cum quo instituendum est colloquium & orandum, vt cùm ipse fidei nostræ det intellectum : eundem etiam tibi det, quando & sicut magis expediet, circa fidē eius prouidentiæ : vt quemadmodum per eam totum bonum tuum dirigit : ita scias solatium accipere ex quocunq; eius euentu; eumq; tanquam de manu eius æstimare, & ex eo proficere. Finē verò impones, dicta semel precatione Dominica, in qua dulcis hæc & paterna prouidentia pulchrè depicta continetur.

c Ioā. 1. 18.

HAEC prima fuit meditatio, quam Pater Balthassar piæ illi Dominæ dedit. Sed referam hic sancti huius viri humilitatem, quam ostendebat, in quacunque occasione occurrente, accipiendi & audiendi aliorum iudicium & consilium, etiam inferiorum. Nam cùm ipse hæc scriberet, ingressus ego sum, vt meæ conscientiæ rationem ei redderem, (eram enim in tertia probatione) dixitque mihi : se scribere tria prædicta puncta de Prouidentia diuina, vt mitteret ad illam Dominam afflictam. Cui ego dixi, me tria alia valde apta legisse in quodam Dialogo Sanctæ Catharinæ Senensis, de perfectione, quæ ipsemet DEVS illi tradiderat. Statim ille magna humilitate (qua non sum parum ædificatus) ea petijt à me, & misit ad illam Dominam, in hunc modum.

(..)

§. II. AL-

§. II.

ALTERA meditatio, inquit, habet tria puncta, ex quadam lectione Christi D. N. ad sanctam Catharinam Senensem, in quadam Apparitione, vt sciret in bonitate sentire de vrijs euentibus, quæ in rebus omnibus euenium, tanquam à sua prouidentia constitutis, ac directis, & consolari ac proficere ex eis.

PRIMVM PVNCTVM est de eius Omnipo-
" tentia. Aduerte, filia, me Deum tuum gloriosis-
" mum, qui te, vt beatitudine mea fruereris, condi-
" di; adeò esse potentem, vt nihil in mundo agatur,
" quod non sit à me ita prescriptum, aut permissum,
" vt ita eueniat. SECVNDVM est de eius Sapientia.
" ego Deus tuus sapientia sum altissima, cui nihil
" res absconditur, neque est extra meam prouiden-
" tiam: ita vt à nulla calliditate decipi, nec vllo er-
" rore perturbari possim. Et vt aliquid intelligas
" de meæ sapientiæ vi; scias, me ex malo culpæ &
" pœnæ maius educere bonum, quàm fuerit ipsum
" malum. TERTIVM PVNCTVM est de eius san-
" ctitate & bonitate: hoc vellem, vt cogites, tibique
" persuadeas: me Deum tuum non minus esse bo-
" num, quàm potentem & sapientem: ac proinde
" non posse velle, nisi quod tibi alijsq; est bonũ, vti-
" le, ac salutare; nec aliquid mali à me prodire pos-
" se: & quemadmodum liberè hominem condidi,
" ita inæstimabiliter eum diligo. Ex his intelliges
" tribulationes, opprobria, cruciatus, & reliqua o-
" mnia aduersa, nullam aliam ob causam, me ita
" disponente, euenire, nisi in vestram vtilitatem,
" ita vt per idem, quod vobis malum videtur, corri-

gami-

gamini, & ad virtutem ducamini: qua ad verũ & "
ſupremum bonũ vobis ignotum peruenitur. Hinc "
etiam intelliges, me Deum tuũ ſcire poſſe, ac vel- "
lebonum tuum, plus quam tu ſcias, poſſis aut ve- "
lis. Hanc lectionem prælegit Chriſtus Dominus "
noſter Sanctæ Catharinæ, & in ea V. D. & omni- "
bus. "

HIS meditationibus & alijs ſimilibus, quas proponebat ijs cum quibus agebat, illorum neceſſitati, & capacitati accommodatas, valde eos in virtute promouebat: quemadmodum cum prædicta hac Domina fecit: quæ tantum erga eum amorem ac reuerentiam concepit, vt in eius conſpectu eſſet tanquam aliqua infans; ac dicere ſolebat, cùm alij Patres Societatis, quantumuis graues, Villalpandum veniebant, ac de rebus diuinis loquebantur: qui illos audiebant, adhuc poterant aliquid, & ipſi dicere, & quaſi in partem venire ſermonis de illo argumento: at quando P. Balthaſſar loquebatur, cum tanta Superioritate & granditate ſermonis id faciebat, vt omnes, ipſo loquente, tacerent, audientes, quaſi pueri in eius comparatione. Et quando literas ad ipſum ſcribebat, ponebat in Superſcriptione: Domino meo, Patri, Magiſtro Balthaſſari Aluario è Societate Ieſu Patri meo.

EODEM amore & reuerentia eum proſequebantur duæ eiuſdem Dominæ filiæ, quas inſtruxit, & excitauit, vt aliquid temporis darent mentali Orationi; & amplecterentur aliqua mortificationis exercitia: perſuaſitque eis, vt eleemoſynam, quæ quotidiè pauperibus dabatur, ipſæ manu propria traderent; & poſito antipendio ſuper

veſtes

vestes preciosas, distribuerent ex olla ad id præparata, quod singulis esset dandum: & interim Pater ipse doctrinam Christianam pauperes illos docebat, & postea dabantur illis ollulæ, & scutellæ cum suis portionibus. Et quadam vigilia Corporis Domini, ob reuerentiam sacratissimi Sacramenti, conuenerunt illæ ad præparandum ipsum templum, quarum duæ totum purgarunt, tertia lampadem accommodauit, & vltima ornauit altaria, præsentibus aliquot famulis, & Patre vno Societatis ad portam, ne alij, dum illæ suam explebant deuotionem, ingrederentur. Solebat præterea ipse illas dexterè ac prudenter mortificare, prolatis ad eam rem aliquibus verbis, quarum vna natu minor dicebat, nullum vnquam adeò ipsam mortificasse in vita sua, atque ipse Pater, verbis quibusdam, quæ illi quidem decidere, sed cor tamen suum penetrare videbantur. Sed cùm videret, id fieri in bonum suum, etiamsi grauiter ipsa premeretur, non tamen propterea remittebat aliquid de amore & reuerentia erga illum: sed tantam portiuit fidem ad eius verba habebat, vt quoties in aliqua pressura constitutam se videret, statim peteret literas, quas à P. Balthassare habebat, quibus ad locum doloris appositis, leuamen statim sentiebat.

D. Agnes Velasca Comitissa Mõtisregij.

QVIDDAM etiam notabile euenit proficiscentibus hisce Dominabus cum matre sua Villalpando Vallis-Oletum, & in curru gynæcei vehebatur simul Comitula de Hara, tantum quadrima, vt se cum illis recrearet. in descensu autem montis Villanublini irritati equi illum

illum currum trahentes, adeò furiosè currebant, vt præcesserint reliquos currus, & lecticas, quibus illæ Dominæ vehebantur; & ita Aurigam excusserunt, vt nullus ad eos accedere auderet. Omnes famuli pedites, & equites videntes ingens periculum, quod imminebat, nec posse remedium vllum adhiberi, vehementer omnes turbati sunt: accidit autem, vt Pater Balthassar tunc temporis per eandem viam propè ipsum currum ambularet, & videns periculum, recurrit ad orationem, supplex Deum orans, ne illæ personæ perirent. Et placuit Maiestati diuinæ, illum exaudire, & ita constiterunt Equi, vbi iam iam fuissent præcipitati, cum certo periculo, quòd fuissent omnes contriti & confracti, præterea, quæ illo curru vehebantur, etiamsi grauiter concuterentur, vt facilè potest intelligi, nullum tamen detrimentum senserunt. Omnes manifesto miraculo tribuerunt, quod DEVS per Orationem sancti huius Patris edidisset, qui mox etiam ad gratias DEO agendas se conuertit pro tanto beneficio illis collato.

§ (*) §

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

HOC TEMPORE PROFECTVS est Burgos ac duabus personis suis cognatis modum quendam vitæ valde ordinatum tradidit.

QVAMVIS P. Balthassar adeò mortificatum haberet affectum ad suos cognatos, vt nullo prætextu vellet illos accedere, vt suprà est dictum: pluris tamen faciebat a Obedientiam, quàm *victimam* (vt ait Scriptura): obediendo enim mortificabat & sacrificabat proprium iudicium & voluntatem, quod Sacrificium magis Deo placet, quam mortificatio non visitandi cognatos sponte assumpta, cùm Superiores iustas ob causas iubent contrarii fieri. Quare hoc ipso tempore iussus ab Obedientia profectus est Burgos, petente id Doctore D. Ioanne Diecz-Moralio Salcedio, ArchiDiacono, Larano, & Canonico sanctæ illius Ecclesiæ, ac Censore siue Pro-Episcopo, Cardinalis Patiecii, eius ArchiEpiscopi, & postea Inquisitore Vallis-Oleti, qui habebat apud se D. Eduigam Aluarium eiusdem P. Balthassaris sororem, viduam, quę fuerat vxor Fratris ipsius D. Ioannis, & alteram sororem suam D. Elisabetham Salcediam, vtramque exemplaris virtutis, valdeque exercitatas in Ora-

a 1. Reg. 15. 22.

Oratione, & pœnitentia; quas P. Balthassar seriò constituit iuuare, vt in Oratione & familiaritate cum Deo, reliquisque virtutibus perficerentur. Ne autem quæ illis tunc dicebat obliuioni traderent, scriptum reliquit ordinem, ac occupationum totius diei distributionem adeò spiritualem, & piam, eiusque qualitatis personis accommodatam, vt operæ precium existimauerim scriptum illud hic inserere, vt similes aliæ eodem vti possint, & Confessarij ipsi intelligãt, qua ratione sint dirigendæ, quæ cupiunt esse perfectæ.

VT autem, quæ hic præscribentur, melius intelligantur, supponendum est: P. Balthassarem (vt cap. 14. suprà est dictum) omnibus, quos circa Orationem instruebat, post peractas Meditationes de peccatis, & quatuor Nouissimis, consueuisse consulere, vt verò se traderent meditationi mysteriorum Dominicæ passionis, ob ingentes fructus ex eis prouenientes, ad feruentius perfectiusque exercendum dolorem peccatorum, suiipsorum, mortificationem, amorem Dei, & proximorum virtutesq; omnes excellentiùs acquirendas. in quem finem eis inculcabat: ne existimetis, vos aliquid fecisse, donec Christum crucifixum in corde vestro gestetis, (vt in eodem loco suprà fuit significatum) per continuam memoriam, cognitionem, amorem, & imitationem supremi huius Redemptoris; & virtutum heroicarum, quas in ipsa cruce exercuit. His præmissis, ordo orandi, vitamque instituendi, quem ipse illis præscripsit, sic habet.

STATIM atque euigilaueris, reuoca in memo- "
riam mysterium, tunc meditandum: ne aliæ cogi- "

„ tationes præueniant, & cor effundant, & in Ora-
„ tione distrahant. Ingressa locum Orationis asper-
„ ges te aqua benedicta, vertesque arenarium horo-
„ logium in signum horæ futuræ Orationis; & vno,
„ vel gemino passu, antequam genu flectas, subsi-
„ stes paulisper, cogitans, ad quem sis accessura, vt
„ cum eo agas; & mox inclinato capite, in testimo-
„ nium reuerentiæ interioris ad maiestatem illam
„ diuinam, flexisque genibus gratiam petes, vt co-
„ gitationes tuas, verba, & opera ad eius diuinum
„ obsequium dirigere dignetur: interim perpendes,
„ quàm deceat, creaturam, vt rectè agat, totam à suo
„ Creatore dependere, sine quo, & eius auxilio, ni-
„ hil boni possit; nec vel vnicam quidem cogitatio-
„ nem bonam etiam minimam habere.

„ POSTEA ita mysterio meditationis te præ-
„ sentem facies, quasi in ipso Oratorio, & ante o-
„ culos tuos illud gereretur: cumque vt plurimum
„ Meditationis argumentum futurum sit de myste-
„ rijs Passionis, hæc erit ratio seruanda, vt primùm
„ ipsum Dominum ores, vt qui te suorum merito-
„ rum fructusque suorum cruciatuum participem
„ facit: communicet etiam sanctas cogitationes, &
„ sensa sua, vt de eius mysterijs rectè cogites, ac
„ sentias, prout ipsi magis placebit, tibique erit vti-
„ lius. *Primùm* igitur cogita, quis ille sit, qui pati-
„ tur: quòd scilicet sit Deus. *Deinde*, quid patiatur:
„ idque non tam mentis ratiocinatione confide-
„ rans, quàm oculorum mentis aspectu videns, qua-
„ les contemptus, opprobria, cruciatusque susti-
„ neat. *Tertiò* eius patientiam in cruciatibus susti-
„ nendis aspicias; humilitatē in contemptibus; cha-
„ ritatem in odio, & inuidia hostiū suorū tolerādā:

& ob-

& obstupescens, quod sic tractetur, interroga: in-
finitæ Maiestatis Domine, quis timor, quodue cō-
modū facit te talia pati? & mox animæ occurret
interior responsio: nec timor, quia sum Omnipo-
tens; nec lucrū aut commodū, cum sim Deus, nec
vllo indigeā extra me; sed amor solus, quo te pro-
sequor: Et in hoc verbo AMORIS cū magno sensu
subsistes, donec anima sentiat, se propēsam & ob-
strictam ad ostendēdam Deo suo amorem eadem
via, qua ipse suū ostendit: sustinendo scilicet, de-
sertiones, contemptus, aliorum ingenia, & mores
tuis contrarios; fel & alia, quę tibi displicēt. Nam
ad meditandū vtiliter, vtriq; attendendū est: con-
siderationi scilicet mysteriorū, & propriorū mo-
rū reformationi: cogitādo, quid poteris sustinere,
q̄ aliquo modo respondeat ijs, quæ sustinuit ipse
Christus: excelsior.n. orādi & proficiēdi scientia,
plus in eo cōsistit; vt benè aliquid sustineas teque
humilies: quā quòd cōsolationes & solatia sētias.

IN prēcipuis festis haberi poterit de ipsorū my-
sterijs oratio: quod si fuerit dies cōmunionis præ-
mittitur oratio de sanctissimo Sacramēto; vesperi
autem, aut post gratiarum actionē, de ipsis festis.

IN ariditate, obscuritate, aut cordis duritie,
& in quocunq; alio interno impedimēto, cogita,
tua peccata ibi se inserere: quæ si non agnoueris
ex ea parte, qua Deum offenderunt: agnosce ex
duritie, & impedimento, quod tibi reliquerunt;
humiliare, dicasq; Deo: hæc, Domine, meæ semē-
tis est messis, hic præteritorū meorū annorū fru-
ctus: siquidē impedimētū hoc à peccatis meis pro-
cedit, quibus te irritaui; q̄ neq; tu mihi fuisti pro-
merit°: neq; ego tibi debui. Doleo, ac pœnitet me:

„ & vellem lacrymas, ſenſumque eorum habere,
„ qui tibi maximè placuerunt; ſed qua parte pœna
„ eſt, & punitio eorum, à te ita conſtituta, gaudeo
„ ego: vt qui talia fecit, ita illa luat. Perdureres,
„ quàm diu tibi placuerit, etiam per totam vitam,
„ quæ extendatur, ad mille annos. Et quoniam Deus
„ in ſuis eſt creaturis, illis in ſuis locis manentibus,
„ ſi te noueris benè humiliare, pœnamque, quam
„ ipſe mittit, libenter ſuſcipere: magnam ſenties
„ quietem, & ſolatium. Quod ſi voti fies compos,
„ perges, quà te Deus deducet; ſin minus hanc hu-
„ miliationis & fiduciæ viam tenebis, quæ tutiſſi-
„ ma eſt.

„ QVOTIDIE quadrantem minimum horæ, le-
„ ctioni tribues ſpirituali libelli de imitatione
„ Chriſti, aut pij alterius; per quadrantem item in-
„ tequam incumbas, conſcientiæ tuæ examen inſti-
„ tues; præſcribas tibi certum tempus incumbendi,
„ & ſurgendi; imminuendo veſpertinas occupa-
„ tiones, quò te recipias tempeſtiuè. Octauo qua-
„ que die confitearis & communica; & aliquando
„ etiam intra ſeptimanam cum approbatione tui
„ Confeſſarij: cuius iudicium tam in hoc quàm alijs
„ quotidianis pœnitentijs ſequeris; & præferes
„ cuicunque alteri deuotioni, aut ſeueritati pro-
„ pria tua voluntate aſſumptæ: ſic enim Deo magis
„ placebis, tutiusque progredieris; ſcribesque mihi
„ ſingulis menſibus, quomodo in his tibi ſuccedat:
„ primùm de ſanitate; deinde de interna tua recol-
„ lectione; tertiò de lectione; quartò, de confeſſio-
„ ne, & communione; quintò, an aliquam habeas
„ calamitatem aut moleſtiam, quæ te exercear; aut
„ recens beneficium, & ſolatium, quod exſtimulet.

HANC

HANC viuendi formam reliquit Sorori, & eius sociæ, non solum scriptam, sed animabus etiã impressam: tanto enim spiritus feruore eas alloquebatur; vt, quamdiu eum audiebant, lacrymas semper funderent ex deuotionis igne, quem intus sentiebant. allocutus sum ego aliquoties Inquisitoris sororem, quæ diu in hac ciuitate mansit, & aduerti, plurimum eam in virtute profecisse. Fuit singularis in magnis pœnitentijs ciliciorum, flagellationum, & ieiuniorum, quatuor diebus in septimana & sæpe in pane & aqua; nunquam in lecto iacebat, & integras sæpe noctes transigebat in oratione. Nihil in libro S. Catharinæ Senensis, cui valde erat addicta, legebat, quod attineret ad pœnitentiam & asperitatem, quod ipsa non vellet exsecutioni mandare. Vndecim annos ante mortem obstrinxerat se voto gestandi ferream catenam corpori accinctam, die, noctuq;. Et cùm ex continua eius gestatione vlcus quoddam fuisset factum, balsamo sibi medebatur: & quamuis morbus, ex quo obijt, quatuor mensibus duraverit: nunquam tamen catenam deposuit, nisi biduo ante mortem: ne, cùm ferali amictu induenda esset, aduerteretur illam habuisse. Admirabilem ostendit in prolixo illo morbo patientiam, & per multos annos in dentium doloribus: ita vt nullus de his doloribus, aut quod aliquid sibi deesset conquerentem audiret; sed semper vultum serenum, lætumque ostenderet; vtpote, quæ semper esset, quasi in oratione. Et sic tandem vitam suam sanctè finiuit, præmiumque obtinuit, quod pia Sancti P. Balthassaris monita fuisset secuta.

CAPVT XXXIX.

PROFVNDA EIVS HVMILITAS in Officiis honoratis, & prosperis euentibus: & insignes sensus circa eandem virtutem.

QVAE hactenus retulimus de P. Balthassare, omnia fuerunt valde prospera, ipsíque fauentia tam in Officijs, quæ gessit, quã in agendo cũ proximis: dedit enim illi Deus pręclaros & stupendos euentus, ex quibus (vt hactenus ostendimus) magnam authoritatem & sanctitatis opinionem acquisiuit, habitus ab omnibus valde spiritualis, prudens & in omni virtute præstans, tam inter homines Societatis, quàm inter sæculares multos, magnos, & illustres Dominos. Sed antequam exortam hoc tempore tempestatem aduersus eum, ad eius splendorem obscurandum excitatam referamus, expedit profundam eius humilitatem ostendere, quam in medijs tot honoribus, & prosperitatibus seruauit: quod indicium est heroicæ eius sanctitatis. Si-

Serm 13. in Cantica. quidem (vt Sanctus Bernardus ait) magna & rara virtus profectò est: vt magna licet operantem, magnum te nescias: & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te alijs oparere, & te contemptibilem te ipsum repu-

tare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico. Et alibi dicit: non est res magna, humilem esse cum quis parui fit: magna tamen virtus est humilitas honorata; rara auis in terris, aut non sanctitatem non perdere; aut humilitatē sanctimonia non excludi: & difficile valde est, in loco esse excelso, & altum non sapere, res quidem valde inusitata, sed quo minus vsitata, eo gloriosior. Hic autem vir Dei, magna gloria dignus fuit, eò quòd rem adeò raram & in virtute præclaram obtinuerit, conseruans humilitatem & nihil amittens sanctitatis, nec euanescens ex honore & opinione eius.

Serm. 45. in Cantica.

Epist. 42. circa mediū.

VIRTVS hæc (vt S. Bonauentura ait) res complectitur gradus: se ipsum scilicet vilem iudicare; desiderare ab omnibus talis haberi; nec extolli ex donis Dei, quantumuis magnis: & in omnibus tribus fuit insignis P. Balthassar, vt sensim explicabimus.

Processf 6. Relig. cap. 21.

§. I.

PRIMVM, quemadmodum valde illustrabatur cælesti luce in cognitione Dei, eiusque magnitudinū: ita etiam excelluit in cognitione sui ipsius, & propriæ abiectionis, quæ solet illam comitari, cùm perspicit & agnoscit aliquas veritates, quibus perfecta humilitas nititur: quarum vna est agnoscere plurimas miserias, quibus homo ex se ipso subiacet, nisi Deus, aut præseruet, aut eripiat ab eis: in qua veritate agnoscenda valde fuit illustratus, magnaque interna sensa circa illam habit, quæ ipse refert in suo libello. Quodam die mane (inquit) euigilaui valde

"Mense Oct. "1574.

„ iucundus ex quadam cogitatione, & sensu, qua-
„ lem in mea vita non habueram: agnoscens, quid
„ sit anima aliqua cum Deo; & quid sine eo: & quod
„ sine Deo sit ipsamet deformitas, ipsamet nox, &
„ ipsamet mutabilitas; est cinerum cumulus ante
„ faciē vehementis venti; est solaris horologij acus
„ siue lingula, antequā polū rectà respiciat: denique
„ homo sine Deo stultus, & stupidus omninò est: cū
„ Deo verò omninò contrarius; quia est sicut Deus.
Et qui tales habebat sensus, cū è somno vigilabat: signū est, frequēter se in huiusmodi cogitationib. exercere cum vigilabat: Nec sine causa Deus illi iucundum hunc & gratum saporem in eo sensu communicauit: nam etsi videatur, insipidum quid agnoscere propriarum culparum deformitatem, ignorantiarum noctem, instabilitatem decretorum animi, & quam sit cinis cùm vehementes tentationum vēti contrà spirant, & irrequietem, quam sentit, cùm est sine Deo, nec diuinum hunc polum respicit: at Deus D. N. nouit has cogitationes suauissimè condire ea tranquillitate, quam anima sentit, hinc videns suam miseriam; inde verò ab eadem, si Deo coniungatur, liberari.

DEDIT præterea idem Dominus noster magnam huic Patri lucem, ad perpendendos valde suos defectus, quamuis paruos; & quàm vilem ipsum redderent: & præcipuè, quod Dei ipsius dona inepta sua mixtura valde defœdarent, vt constabit ex quodam sensu, quem in suo libello indi-
16. Nou. „ cauit, sic dicens: cum peterem à Deo D. N. vt co-
1568. „ gitationes, verba, & opera mea purè ad suum di-
„ uinum obsequium dirigeret: euigilanti mihi &
„ semidormienti quodam mane oblatum est, quasi
in mo-

in momento, quod nunquam ego vel cogitare "
potuissem, & multò minus petere: nam nulla mea "
dispositione præcedente, insignem quendam in- "
ternum habui sensum, quod vita nostra spiritua- "
lis sit tanquam preciosissima tela aurea: & quem- "
admodum in ea non est exigua deformitas quod "
filum aliquod rude crassumque inseratur; nec "
paruum detrimentum, quod in excellenti & pre- "
cioso panno rudis & inepta aliqua raritas appa- "
reat: ita non exiguum damnum censendum est "
mixtura propriarum cogitationum, verborum, & "
operum quæ nos assuimus ijs, quæ Deus nobis in- "
spirat: quale est quod vni cogitationi. quam diui- "
na eius maiestas cordi nostro suggerit, nos admo- "
neamus ex capite nostro duodecim, quæ illam "
obscurent; & vni verbo, quod nobis inspirat, vi- "
ginti quatuor inania, quæ nos loquimur, adiun- "
gamus, effundendo nos ipsos sine causa & ratio- "
ne; & vni operi, quod nobis imponit, quatuor aut "
sex nobis ipsis addamus. Tela enim hæc, vt pre- "
ciosa sit, texenda est diuinis cogitationibus, ver- "
bis, & operibus: quare ijs, quæ ipse inspirat, bo- "
num aliud frustum cum eius auxilio addere nos "
decet, vt tela crescat: at ex huiusmodi mixturis "
rudibus, ac crassis non leue accipit detrimentum: "
nam in his externis & materiatis, sensum habe- "
mus apertum & acutum: qui in spiritualibus clau- "
sus est, & obtusus. Deducamus hoc ex rebus his "
externis: certè non leuiter displicet, nostrumque "
palatum offendit, quod post singulos bolos ex "
fructibus alicuius patinæ aliquid inueniamus "
corruptum; & in botro post singula bona grana, "
putridum aliud occurrat: quod si ita eueniret in "

„ omnibus, quæ in mensa nobis apponuntur, surge-
„ remus ex ea, iudicantes, nõ satis nobis fuisse pro-
„ spectum. Similiter, quod in vno lactucarum le-
„ cto non nisi sex inuenirentur bonæ; & in pyro
„ fructibus referta, duodecim tantum pyra essent
„ apta; & in lateritio muro duodecim inueniri la-
„ terum ordines nõ agglutinatos; & in aliqua ima-
„ gine, quam vel vnus defectus deformaret, nihil
„ inueniri præter vnũ aliquid in eius facie benè de-
„ pictum; & in charta valde alba ac nitida post sin-
„ gulas voces esse lituras, & maculas. Hæc non sunt
„ exigua detrimenta, nec reddunt res parum viles.
„ Tale igitur est animæ malum, à qua Deus inte-
„ gram exigit puritatem: quod malum ex mixtu-
„ ra oritur cogitationum, verborum, & operum,
„ quæ progenies sunt propriæ voluntatis, cum de-
„ berent esse diuinæ: non est malum hoc somniantis
„ oblatum; sed verum, ab ore Dei prolatum, quod
a *Isaiæ* 64. „ nobis obijcit, quod a *vniuersæ iustitiæ nostræ*
6. „ *sint quasi pannus menstruatæ, & abscondit faciem*
„ *suam à nobis.* Nec hoc est maximum malum, sed
„ secundum accedit, quod talis vita modusque a-
Psal. 105. „ gendi noster non humiliet nos: cùm tamen similis
43. „ agendi modus Patres nostros humiliauerit, vt
„ ait Dauid; nec facit nos interius erubescere in
„ conspectu ipsius Domini. Artifices illi, quos no-
„ minauimus murarium, pictorem, & scribam val-
„ de erubescerent coram quibuscunque, etiam vul-
„ garibus hominibus, ipsorum defectus aduerten-
„ tibus; & nos non erubescimus coram tanto Do-
„ mino. Ille non est nobiscum contentus; & nos su-
b *Hier.* 3. 3. „ mus etiam læti, & pacati: b *facta est nobis frons*
„ *mulieris meretricis, noluimus erubescere?* Hi ster-

tium

tium accedit malum : quòd tot mala & mixtura adeò vilis non sufficiat ad nos humiliandos : cùm tamen vel modicum bonum, quod faciamus, abũdè sufficiat, vt inaniter extollamur, & vel illud modicum si non omninò pereat, saltem sit etiam offuscatum. Vel vnum granulum auri, quod videmus in luto; particula alicuius gemmæ fimo tecta, flos aliquis multis spinis stipatus pulchra sunt bona, sed fœtidis & abiectis rebus admixta. quid turpius; aut quid magis conterat cor nostrum? sensum hunc miseriæ nostrę Deus illi est largitus: quo ille valde se humiliabat, & in suis oculis erubescebat. Et in eundem finem magnum alium dedit illi sensum recogitanti de suis defectibus, sub hac similitudine : Quando tandem disces mundè scribere, & sine lituris ? quando æqualiter lineas duces, ac rectè ? quando benè characteres efformabis, celeriqúe manu scribes ? quasi dictum sibi existimaret : adhuc es infans, & Tyro in virtute : nec didicisti rem aliquam facere perfectè.

"S. Bernard. "Serm. de S. "Mart.

3 Nou. anno 1575.

SVVM quoque nihilum dedit ei agnoscendum, & quam parum nostræ diligentiæ valeant, vt in obsequio Dei progrediamur ob nostræ dispositionis imbecillitatem, adferẽs ad id quod S. Apostolus dixit : c *non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Dei enim misericordia nos promouet : cuius non minus est capax qui debilis est, quàm qui fortes esse videntur. Cùm quadam die, inquit, abiectum valde ac desolatum me viderem: & anima mea ad Deum sicut terra sine aqua clamaret : incidit tenera quædam cogitatio: quàm rectè, apteque Deus constituerit, vt, quidquid

c Rom. 9. 16.

quidquid anima habet, & potest, sit à dulcissima eius manu: vt tum sit bonum, quod habebit; tum possit multum habere, & tutò possidere, ipsumq; Dominum largitorem agnoscens, seipsam in reddenda ei gloria propterea occupare. Et hinc sensus ille oriebatur, quem percipiebat ex sua à Deo in rebus omnibus dependentia, magnaque de se

21. Decēb. Anni 1575. » ipso diffidentia. Quodam die, inquit, retexit mihi
» Dominus deceptionem meam circa fiduciam in
» me ipso, in modum videntis aliquod phantasma,
» ex quo terretur & obstupescit. Priùs mihi in eui-
» tu duarum Missionum ostenderat, me posse cor-
» dicitus illi fidere in omnibus; & nunc, quod mihi
» ipsi in nullo, nec quoad virtutem, nec quoad scie-
» tiam. In exhortationibus deficiebant mihi verba,
» & suspensus hærebam; aduerti, virtutem, quam
» illis dabāt, vitam esse ipsius: ideoque decreui me
» ipsum deserere, & ad ipsum transire. Vidi clarius
» quàm digitos mearum manuum, securitatem in
» meis periculis, fuisse eius protectionem; meamq;
» scientiam in loquendo esse, quod ipse ex sapien-
» tia sua mihi dedit; & hanc solam portionem ac
» lectionem esse, quæ opus cum lucro faciat, & ita
» intellexi, debere nos in rebus omnibus ab ipso,
» & infinita eius misericordia dependere.

» DENIQVE: vt in hoc primo humilitatis gradu esset perfectus, concepit Sanctum quendam timorem, ne peccaret; bonumque amitteret, quod habebat: ne, si amitteret, non posset fortè illud recuperare: qui timor solicitum valde in eius conseruatione faciebat. Et existimans, quasi nihil esset, quod haberet; seque esse valde in initijs, optabat semper vlterius progredi, iuxta illud Ecclesiastici

siastici de viro humili: d *cùm consummauerit homo, tunc incipiet*; quasi non incepisset. Et hinc desideria illa oriebantur, quibus petebat à Deo, vt ipsum ad se conuerteret, quasi conuersus non esset. Et refert ipse in suo libello, quod in mense Februarij Anni 74. cum iam adeò profecisset, vt superius vidimus, oranti inciderit dubiũ, an Deus vellet ipsum conuertere? sed expeditum id fuisse interno quodam sensu de fiducia in Dei misericordia; posito exemplo in se ipso: si quis, inquit, te offendisset, & aduerteret se malè fecisse: an non tibi placeret? omninò. Quòd si lux & cognitio eius iniuriæ faceret illum erubescere ac dolere; seque subijcere cuiuis pœnæ in satisfactionem ob talem culpam admissam, subeundæ; cuperetque ac statueret non repetere similem stultitiam: An non multò amplius gauderes? procul omni dubio. Quòd si per se ipsum ad hoc præstandum non sufficeret, an non eum iuuares, vt cœcitatem suam agnosceret, & animum ad hæc omnia præstanda conciperet: saltem quod ad te ipsum spectat, ad iniuriam dico tibi illatam? ita certè. Quod si iniurius ille, esset tibi valde obstrictus, tuque optares ab illo diligi, eumque ad tuam amicitiam redire: idipsum tu desiderares, & vt faceret adiuuares duplici nomine, tum propter tuam iniuriam, tum propter ipsius perditionem: nam ex tali eius conuersione, pro iniuria tibi illata satisfieret, eiusque ruina repararetur. Si igitur tu hæc omnia erga eum, qui te offendit, fecisses: quomodo dubitas, Deum idem velle de te, & libenter visurum, quod à peccando desistas, ad eum te conuertas, attendas stultitiam tuam, eamq; defleas, teque subijcias

d *Eccl.* 18. 6.

„ ijcias omni pœnæ & ſatisfactioni, quamàtere-
„ quiſiuerit, & donec ad eum peruenias gradum, vt
„ vel ſolùm, de recidiuo in ſimilem, aut etiam mi-
„ norem offenſionem cogitans, contremiſcas: quod
„ ſi tu inferentes tibi iniuriã in his omnibus velles
„ iuuare: cur diffidis Deum ſuos adiuturum?
„ &, cũm ad ſe redierint, recepturum; primum
quidem propter ſe ipſum, deinde propter illos:
quia ad ipſum ſpectant, eosque patris inſtar
amat, cupitque ſe ab omnibus amari. Hac ra-
tione animabat ſe humilis hic Pater: nam verà
humilitas non eſt timida, nec animum abijcit, aut
deſperat: potius, quò ſuis viribus minus
confidit, eò fidit amplius Deo; & videns, ſe
nihil in ſe poſſe, ſperat, quòd in Deo poterit
omnia.

§. II.

AB hoc humilitatis gradu progreſſus eſt ad
ſecũdum, quo gaudebat vilis haberi apud
alios, & vt talis ab eis tractari. Ac propter-
ea pro viribus tegebat dona à Deo accepta, ſiue
naturalia, ſiue ſupernaturalia, quæ præſtare apud
homines viderentur. Et cùm in initijs repugnan-
tiam aliquam in hoc ſentiret, quia videbatur ma-
gnum quid facere, talia occultando: hæc illi oc-
„ currit cogitatio: an non filius Dei plura occulta-
„ uit, ac diſſimulauit? & ſtatim quieuit, & erubuit;
„ maioremque adhibuit curam in occultandis mi-
„ ſericordijs Dei erga ſe, quæ multæ valde erant.
„ Ac propterea paucæ innotuerunt. Contra verò
„ valde fuit promptus ad ſuos defectus natu-
rales

rales manifestandos, dicens: se, nec eruditionem, neque ingenium, nec aliud quicquam habere, ob quod magni esset æstimandus; neque id solùm, sed sua quoque peccata in eundem finem aperiebat: quemadmodum fecit apud Patrem AEgidium Gonzalum Abulensem, Prouinciæ Castilliæ Visitatorem, cùm ipse esset Rector Metinensis: nam prima vice, qua eum ex instituto fuit allocutus, vt rationem suæ conscientiæ extra Confessionem pro more Societatis redderet: aperuit illi omnia totius vitæ suæ peccata, ita vt Pater ipse Visitator non potuerit illum prohibere. Ex quo adeò obstupuit, ædificatusque est, vt ad Sacrum faciendum se conferens, vix aduerteret, quid faceret, adeò erat attonitus, ex heroico humilitatis actu Patris Balthassaris. Hoc retulit ipsemet Pater Visitator, ad Sancti huius viri humilitatem manifestandam: & ab eo tempore per totam vitam magni semper illum fecit; nec sibi potuit persuadere, verum esse, quòd postea de ipso vuulgabatur: id permittente Domino nostro, vt innotesceret, quam vera & solida essent desideria, quibus optabat vilis haberi. Siquidem in ipsis contemptibus nihil remittebant. Est autem hæc magis heroica humilitas. nam etsi Dei dona occultare ad hominum honorem fugiendum, sit excellens humilitatis actus; & excellentior adhuc, propria peccata occultosque defectus, ad opinionem de se hominum, propriamque æstimationem obscurandam manifestare: multò tamen excellentior magisque heroicus actus est, quando huiusmodi honoris iactura

& con-

& contemptus occurrunt, ex eis gaudere & animo exultare. Nã (vt benè Cassianus aduertit, exéploq; Monachi cuiusdã cõfirmat, qui, etsi humilis videretur, reuera talis non erat) aliqui malè de se ipsis loquuntur, vt humiles habeantur; optantes id non credi, sed virtuti humilitatis attribui: nam cùm alij malè de ipsis loquuntur, ipsi tristantur, & torquentur; & pacem ac patientiam abijciunt. At P. Balthassar, non solum libenter se ipsum contemnebat; sed etiam exultabat, cùm aliquid euenibat, quo ab alijs contemnerentur; vt in subiectis exemplis apparebit.

§. III.

HINC ad tertium humilitatis gradum ascendit, cum ex donis excelsis, & officijs à Deo sibi datis non euanescebat. Nam, cùm res eius dignæ valde essent, quæ magni fierent, adeò ipse parui eas faciebat, vt proprias exhortationes in abiectis chartis & superscriptionibus adnotaret; ac diceret, se ab omnibus domesticis confundi, ac doceri: & re ipsa ab omnibus, etiam ipsis Tyronibus discebat libenter. Horum quidam in exhortatione quam in Vigilia Pentecostes habuit, (quemadmodum fieri solet ad ingressum in Societatem, vt suum talentum ostendant) dixit cum feruore inter alia: nunc venit Spiritus sanctus, exeamus illi obuiam, eius insignibus induti: & siquidem ipse est Spiritus sanctus, exeamus & nos in spiritu. Quæ ratio adeò P. Balthassari arrisit, vt sæpe eam cum magno animæ suæ fructu repeteret. Alter Nouitius in quadam spirituali confe-

conferentia (pro vt moris est in Nouiciatu) respōdit semel, se valde erubescere, quod res tam paruæ, res adeò magnas impedirent. Quod verbum adeò profundè ad Patris Balthassaris cor penetrauit, vt multa interna sensa Deus illi dederit circa illud: & quamuis sæpius repeteret huius veritatis considerationem, nunquam tamen tædio propterea afficiebatur; sed semper quasi recens videbatur ipsumque recreabat.

Pater Ioannes Sasius scripsit ac retulit.

AVDIVIT alia vice Patrem quendam dicentem, quendam paruum puerum interrogatum, cur præcipuus quidam Nobilis in quodam paruo pago habitaret, respondisse: eò quòd bona sua ibi haberet. Vir hic Sāctus, qui ex rebus omnibus spiritum eliciebat, ex hoc deduxit, quod Christus D. N. iam in cælo gloriosus etiam inter nos remansisset, eò quòd hic haberet sua bona, animas scilicet suas, vt eas custodiret, eisque prospiceret: propterea enim tempore Sacræ Communionis dicitur: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, semper scilicet, donec ad illam peruenias. Postquam autem pium hunc sensum habuit, dixit Patri, qui hæc retulerat: hoc ego habeo, quod quilibet puer me etiam doceat: ac propterea subditi ipsi aliqua interdum ei dicebant, quæ ad hoc eius institutum tendere videbantur, respicientes ad humilitatem, qua ex omnibus proficiebat. Quidam ei dixit, se legisse apud S. Thomam: in prima mundi ætate non fuisse idololatriam; eò quòd memoria Creatoris tunc esset recens: & hoc videri valde ad rem ad virtutem Orationis intelligendam, quæ, cùm renouet Creatoris memoriam, efficit ne inordinatè ad

creaturas afficiamur. Quæ ſententia adeò profundè pectus viri Sancti penetrauit, vt aliquamdiu ſuſpenſus hæſerit : & poſtea petijt, oſtendi ſibi locum S. Thomæ, vt rem melius aſſequeretur: Mecum etiam ei accidit, quod Capite 34. fuit inſinuatum.

ETIAMSI tot geſſerit Superioris Officia, nunquam tamen aliquis in eo, vel arrogantiam, vel vllam elationem aduertit : in omnibus enim incedebat ſicut alij; & ad res humiles & abiectas erat primus ; & valde ſingularis in deferendo alijs, etiam ſubditis. Cùm eſſet Nouitiorum Villa-Gartiæ Magiſter adeò venerabatur fratres ſtudioſos, qui ſtudijs finitis ad tertiam mittebantur probationem, vt cùm ego vnus eorum eſſem, valde erubeſcerem, quòd tanto me honore afficeret: & cùm domo egrederetur, cum ſocio graui aliquo Patre, non erat modus, vt ipſe ad ſocij dexteram, ſed ſocius ad ipſius dexteram, ambularet: & quando peruenit Toletum, eius Prouinciæ Præpoſitus Prouincialis, in primo ſuo ingreſſu flexit genua, vt ſubditorum manus oſcularetur, vt poſtea dicetur.

CAPVT

CAPVT XL.

ORITVR MAGNA QVAEDAM tempestas ob eius Orationis modum; in qua heroicam suam humilitatem ac patientiam, qua suos tulit contemptus ostendit.

QVAMVIS excellens sit ac gloriosa humilitas, quæ in medijs honoribus & prosperitatibus retinetur, necdum tamen benè probata, profundè radicata, totamque suam perfectionem habere censetur, donec contemptus & aduersitates accedant: in quibus (vt proximo capite dicere cœpimus) deprehenditur: an verò ita demissè iustus de se ipso sentiat, & cupiat ab alijs cõtemni: nam, cùm id euenit, gaudet, videns se pro meritis tractari; & humilitas, quę antea erat vera, iam fit chara, cùm suos contemptus amat, & in eis exultat. Tunc etiam mansuetudo elucet, qua iræ impetus, in cõtemnentes exurgẽs, refrænatur; patientia, quæ moderatur tristitias ex eo proueniẽtes, quòd se videat cõtemni; dilectio inimicorũ, quia, contra suũ honorẽ aliquid faciẽtes, diligit; beneq; loquitur de ijs, qui malè de ipso loquuntur; fiducia in Deum, quia non abijcit animum, etiamsi videat se ab alijs abijci; amor deniq; ipsius Domini, cui eadẽ cura & studio hoc tẽpore seruit, atq; in altero. Ac propterea Christus D.N. (vt

ANNO 1576. & 77.

Homil. 8. in Matt. (vt S. Chrysostomus aduertit) delectatur, quòd ipsius Electorum vita contexatur ad similitudinem suæ, & Apostolorum suorum varijs hisce euentibus honorificis, & contemptiuis; prosperis & aduersis: vt sic omnibus superiores euadant: & si prosperi eos extollunt, aduersi demittant; & si hi illorum animos deijciunt, illis eos resumant & foueant: & sic, vt Apostolus dicit: euadant fideles Christi ministri, strenuè pugnantes a *per arma Iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam, vt seductores & veraces*: ita vt non propter occurrentes calamitates desint suorum ministeriorum fidelitati.

a 2. Cor. 6. 8.

§. I.

TALIS fuit Pater noster Balthassar, quem Christus D.N. in huiusmodi euentibus voluit probare, permittens, vt eius honor in re, quam maximi faciebat, tangeretur: in his enim solet Deus suos probare, vt quò probatio magis premet, eò humilitas, & fidelitas in ea prælucean, ac emineat. Sæculares probat in honoribus, ac delitijs temporalibus, quibus illi delectantur; viros eruditos in opinione Eruditionis, quam ipsi magni faciunt: At viros sanctos, qui virtutes, resque spirituales omnibus præferunt, in ijs probat, quæ ad illas pertinent. Et quoniam P. Balthassar hæc tantum in precio habebat, in hoc ipso illum probauit: statuens, vt non solùm internos multos labores sustineret, ariditatis, obscuritatis, duritiei, aliasque similes probationes superius insinuatas; sed

sed etiam per externam tempestatem, quæ cœpit tempore, quo erat Salmanticæ Rector, & progressa est etiam cùm esset Villa-Gartiæ: permisit enim, vt aliqui eam de ipso opinionem conciperent, quod esset valde rudis, illusus, ac deceptus; ac proinde alios quoque deciperet: nescientes enim excelsum orationis donum, quod illi Deus communicabat: existimabant, esse à Sathana trãsfigurante se in Angelum lucis: & ideoque vrgebant eum, ne talem viam teneret. Nec defuit, qui minaretur velle se rem ad sanctæ Inquisitionis Officium deferre; veritus forte ne quem errorem inbibisset Illuminatorum. Suspicabantur, ipsum contemnere communem orandi modum, per meditationes & mentis ratiocinationes in Societate vsurpatum, & à Sanctis approbatum; velle verò nostros per singulares alios, & parum tutos modos deducere: quamobrem bono Zelo viri aliqui graues illi aduersabantur. Nec mirum hoc est, neque in Ecclesia aut Institutis religiosis nouum: quòd inter viros ipsos Iustos (absque tamen aliqua culpa) sit interdum ex Zelo sancta quædam dissensio, vt contrarias sequantur opiniones & sententias: quia quilque credit, suam esse veram; aut certam veritatem defendentes, existimantes tamen, alium contra illam sentire; quamuis in tali cogitatione decipiantur. Si enim ipsi custodes Angeli solent in rebus aliquibus sibi inuicem repugnare, cùm Dei voluntas non est ipsis manifestata, quemadmodum refert Daniel Propheta, quod Angelus b *Princeps Regni Persarum restitisset Angelo* Custodi Hebræorum: mirandum non est huiusmodi pugnas inter homines, etiã iustos, b *Daniel.* 9. 13.

& ſapientes inueniri: qui ꝓ homines ſint, facilius veritatē aliquam ignorant, aut decipiuntur, cogitantes, aliquem ei aduerſari, qui maximè illam amat, ac tuetur. Hoc itaque euenit P. Balthaſſari, de quo graues aliqui, valdeque Religioſi viri, & optimam habentes intentionem, ex aliquibus indicijs ſuſpicabantur, quæ diximus; eaque detulerunt ad P. Generalem Euerhardum Mercurianum, cui cùm P. Balthaſſar non ita eſſet notus, atque eius prædeceſſori P. Franciſco Borgio; & qui eas ſcribebant, erant viri alicuius authoritatis, & habentes zelum boni communis: voluit P. Generalis, rem benè examinari, eamque totam commiſit P. Viſitatori, quem miſerat in Hiſpaniam P. Iacobo Auellanedio; qui dum viſitaret Collegium, cuius P. Balthaſſar tunc erat Rector, ſtatim iuſſit, tradi ſibi ab eo omnia ſua ſcripta videnda, & examinanda quæ Pater promptiſſimè tradidit, cum tanta ſubiectione, atque ſi eſſet aliquis Tyro, nullo verbo obiecto, & oppoſito toto tēpore, quo P. Viſitator illa apud ſe habuit. Et cùm alij viri pij & eruditi eum de hoc argumento alloquerentur: ille tacebat, & ferebat; ac permittebat ſe probari, examinari, & contemni, atq; in ea re humilitatis, ac patientiæ indicia præbens. Eodem tempore aliqua etiam falſa illi obiecerunt: quæ tamen ita tranſire permittebat, atq; ſi ad ipſum non ſpectarent; & re ipſa facienda, quæ alijs facienda proponebat: non eſſe perfectam humilitatem abſque humiliatione, neque patientiam abſque vehementibus congreſſibus, & præcipuam virtutis partem in eo conſiſtere, nequis talibus occaſionibus & oportunitatibus ut

non negligat; & ipsum profectum maximè consistere in eo, vt quis nouerit benè se humiliare, tolerare, & tacere; exponendo etiam periculo honorem, existimationem propriam propter Dei amorem. Quod vt confirmaret; eisque, qui in suo Collegio versabantur animum adderet, dixit ipsemet in quadam exhortatione, quod semel honorem suum periculo exposuisset; & ex tunc incepisset Dominum plenis, vt dicitur, manibus dona, ac beneficia ipsi conferre. Occasio autem fuit, quod in quadam Congregatione Prouinciali aliquid satis graue de se fuisset dictum; propter quod fuit publicè coram omnibus Patribus reprehensus. Ipse autem hærebat cogitans, an expediret reddere sui rationem: eò quòd quidam ex grauioribus & Sanctis Patribus, qui ibi aderant ei suadebat, vt faceret: siquidem adeò verè id poterat facere; imò illum vrgebat & obstringebat, vt faceret, eò quòd bonum ipsius nomen in materia virtutis tanti esset momenti, tam erga domesticos, quàm erga externos. Sed cùm illud consilium propensioni suæ naturali valde arrideret, noluit illi fidere, sed locutus est cum quodam alio Patre valde fideli Dei seruo, qui dixit ei: si taceret, nec publicè aut priuatim in ea causa pro se responderet, fore id magnum & gratum Deo Sacrificium: Et ita fecit, successitque illi adeò benè apud Deum Dominum nostrum qui liberali sua manu heroicum illud silentium remunerauit, vt sæpius gratias illi egerit pro tam bono cõsilio; quod postea in omni occasione occurrente seruauit;

& in ijs, quas nunc referimus, quàm diu Superiores non iubebant ex obedientia, sui rerumq; suarum rationem reddere.

INTERIM, totum ipsius solatium erat in Oratione & Sacro ad Deum suum recurrere: à quo responsa accipiebat, quæ ipsum consolabantur, animumque in his pressuris addebant, vt ex ijs, quæ ipse in suo libello refert, apparebit. Dicens, quod cum esset corde valde compresso, ex re quadam sibi aduersa, existenti in Sacro, Dominica nona post Pentecosten, dederit ei Deus quatuor interna sensa, quibus cor fuit dilatatum. *Primus* sensus fuit ex verbis illis Apostoli, quæ habentur in Epistola: c *fidelis Deus est, qui non patietur tentari te supra id, quòd potes. Secundus* fuit ante Sacram Communionem, dicens ei internè: si Religioni huiusmodi fel deesset, quid tibi mei causa ferendum superesset? & tunc mihi occurrebat, quòd si ego essem qualis deberem, debuissem potius similes fellis haustus, imò etiam amariores optare; & si huiusmodi difficilia & ingrata vitæ iusti desint, idem esse, atque si Christi Domini coronæ spinæ deessent, aut auri cuspides, preciosæ vesti. *Tertius* fuit ipso tempore, quo sumpturus eram sacratissimum Sacramentum, audiui enim internam quandam vocem dicentem: hoc fac: pro te quid tu fortè facies? quasi hoc dixerit: Offer, & accipe (quod facis) corpus & sanguinem meum: ex quo vires accipias ad tuas ferendas angustias: proprij enim tui commodi causa, quid tale esse potest, quod tu non facias, ferasve libenter? *Quartus* fuit in gratiarum actione post Sacram communionem, quasi internè hæc verba audires

c 1. Corint. 10 13.

diret; conquiesce, & in hoc solare, quod hæc tua pressura geratur, videnté & cognoscente Deo, qui ersi posset, non tamen illam remouet, etiamsi plus te diligat, quàm tu te ipsum. His solidis adeò rationibus animabat Deus D. N. hunc seruum suum, vt demissè valde ac patienter huiusmodi pressuras, & internas, externasque difficultates & molestias ferret.

IPSE quoq; se ipsum animabat, & spiritum resumebat, alloquens se ipsum, dicensq; sibi: erras, si cogitas, te integrum, & non benè contusum peruenturum ad cælum. Cælorum enim regnum est detruncatorum regnum, tẽtatorum, afflictorum, contemptorum, & qui has & similes alias ærumnas & calamitates experti sunt. Quomodo igitur auderes inter tot adeò celebres ac decantatos Duces, & Capitaneos comparere, adeò timidus; vt si Deus causam & litem tuam tibi ipsi decidendam committeret; eam contra te ipsum decideres? Deus vult, te hoc intelligere preciosum esse bonum, quod quærimus, pro quo obtinendo tanta toleramus. Si cupidus quispiam in sua vinea colenda multas pecunias, & tempus expendisset: & post magna indicia copiosi fructus, videret eã grandine confringi ac destrui: quid is in animo sentiret? quod si grandines ipsæ, aureæ essent; quãtam acciperet consolationẽ? multò siquidem maius esset illi lucrũ, quàm esset iactura vineæ. Aurei sunt lapides, valdeq; preciosi, contẽptus vehemẽter locupletantes eos, qui nouerũt esse patientes.

IN huiusmodi etiam occasionibus dicere solebat: debere vnumquemq; attendere: omnes, qui sunt in cælo Sanctos, ipsum aspicere, & exspectare, quo-

re, quomodo ipse difficultatem illam superet, & ex ea proficiat. Et Christus ipse Dominus noster dicebat: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: attendens, quomodo nos in his difficultatibus geramus, iram mansuetudine frænantes; & contemptum humiliter tolerantes: saltem, ne ipse iure cõqueratur, quòd eius verbum, & exemplum parui faciamus. Cogita, inquit, quid sentiat Superior, si se primò veniente ad communes Collegij occupationes: id non sufficiat, vt alij ad easdẽ exactè & ad nutũ cõueniãt; & se ad domũ purgãdã, scutellas lauãdas demittẽte, alij non imitẽtur, & se ad cõmunẽ orationẽ surgẽte, alij exignauia in lecto remaneãt? Si igitur homo puluis graui ter fert, verba & exẽpla sua optato fructu carere: quid sentiet Christus, si verbo suo non obediatur, & exemplum obliuioni tradatur?

Matt.

Ex S. Bern. Ser. 3. de Natiuit.

§. II.

EX ijs considerationibus spiritum resumebat in suis tribulationibus, ex quibus valde profecit: quia non solùm non ostendit iram, aut indignationem aduersus contemnentes, & persequentes ob causam prædictam; sed magnum potius amorem, & gratitudinem, quasi ab eis singulare aliquod beneficium accepisset, id quod est raræ virtutis indicium, ei valde similis, quam Christus ostendit blandius, ac tenerius cum suo venditore & proditore agens. Ita ipse in varijs occasionibus ostendit. Nam Fratri cuidam valde sibi familiari Salmanticæ dicenti: iniquè agere quosdam Patres, malè de ipsius rebus sentiẽtibus. Sermonem interrupit, dicens: istos Patres venerror ego, & super caput meum pono: eò quòd plurimum

rimum eis debeat anima mea; & per quos magnũ bonũ & vtilitas mihi prouenit. Et cũ Villa-Gartiam iturus, vt Rector ibi esset, vbi erat quidam illorum Patrum futurus ipsius Subditus, idem frater dixisset: ibi poteris ei ostendere, quàm malè tecum egerit, respondit ei P. Balthassar: quem ego ibi magis venerabor, & frequentius consulã, erit iste Pater. Et cùm in eodem Collegio valde Subministro commendaret, vt singularem adhiberet curam, ne quid Patri illi deesset, eiqúe valde indulgeret, Subminister, illius rei benè conscius, admirans dixit Patri Balthassaro, cur V.R. iubet tali homini indulgeri? respondit ei Pater cum magna mansuetudine & charitate: id facio, vt illum lucrer: quem si ego non lucrabor, ipse me lucrabitur. Alius quidam eiusdem Collegij retulit eidem, quæ de ipso dicebantur: Pater verò audiens subrisit, editis singularis lætitiæ indicijs. Quod aduertens, qui illa referebat, interrogauit, cur ipse adeò exultaret? Pater cum singulari lætitia respondit, quia nunc video, Deum mihi benè velle, quem per suorum amicorum viam deducit: nam diu fui solicitus, quod videretur Dominus mei oblitus.

IN simili etiam alio casu, cùm ipsi referretur quiddam satis graue, quod insignes quidam Patres bono Zelo contra ipsum fecissent: hoc respondit: in posterum certè qnotidie istos Patres singulariter Deo in Sacro commendabo; fecitque quod dixit, explens ad literam, quod Saluator noster dixit: a *orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Hac ratione valde proficiebat ex occa-

a Mat. 5. 44.

occasionibus à Deo sibi oblatis, vt ei pacem, hac via cõmunicaret: quam ita consecutus est, vt animum haberet omnibus euentis, prosperis & aduersis superiorem; nec vllus posset cor eius commouere, aut turbare.

Ex hoc inuicto eius animo oriebatur vis & efficacitas illa, qua in suis exhortationibus loquebatur de amore & affectu ad opprobria & contemptus ferendos: Auditores exhortans, vt cùm occurrerent, gauderent: quia expertus ipse erat, quãtum ex eis proficeret. Imò interdum, vt paulò superius diximus, se ipsum ponebat exemplum, vt nos in re adeò difficili magis exstimularet. In eum finem audiui ipsum in quadam exhortatione referentem; quid euenisset in itinere, cùm ipso ex Collegio Salmanticensi, vbi fuerat Rector, veniret Villa-Gartiam, vt Rector ibi esset: nam quidã, qui simul proficiscebatur, interrogauit socium Patris, quis ille esset, vnde veniret, & quò proficisceretur? quæ sunt ordinariæ quæstiones de huiusmodi viris in itineribus. Cui cùm socius, quod verum erat, & iam diximus, respondisset: Viator ille, quasi rem valde perpendens, respondit, quòd qui erat Rector adeò præclari Collegij quale est Salmãticense, descendat, vt Rector sit in alio Collegio, quale est Villa Gartiense: id non est absque aliqua causa non bona. Insinuãs (vt alij quoq; qui simul proficiscebãtur, cogitarũt) esse genus quoddam exilij & pœnę ob aliquos eius defectus. Sanctus Pater, cùm hoc audiuit, lætatus est ex tali cõtemptu, dicens nobis: huiusmodi contẽptus absq; propria culpa esse bonos bolos sine vllo osse. Et huiusmodi dedit ei Dominus multos, vt pingue-

sceret,

sceret, & crescceret in spiritu. Nam omnes, quos retulimus, non solùm fuerunt absq; illius culpa; sed, quod amplius est, propter causas adeò sãctas, vt gloria potius dignus esset, siquidem crucem conscendit, non vt bonus latro, qui suis peccatis eam erat promeritus: sed vt ipse Christus. qui, cũ esset innocens, cruci fuit affixus propter egregia sua opera non benè ab alijs cognita, quorum causa dignus erat, qui ab omnibus hominibus honore afficeretur, & adoraretur. Similis etiam fuit Virgini Sacratissimæ, (cui erat pijssimè addictus) quæ ob conceptum filium Dei, quod opus erat æterna gloria dignum, venit in suspicionem apud S. Ioseph suum sponsum: quasi esset adultera. Quamuis nec Sanctus ille sponsus in ea suspicione fuit culpæ alicuius reus; vt qui rei adeò inusitatæ causam ignoraret: tunc autem multò melius sapiunt contemptus, cùm nec contempti præcedit culpa; nec contemnens Deum offendit, propter zelum coniunctum cum ignorãtia, quæ illum excusat à culpa. Nam licèt sancti lætentur, dum contemnuntur: gaudium tamen illud diluitur à tristitia, quæ oritur ex iniuria Deo, ab eum contemnente facta; & spirituali iactura, quam idem contemnens facit: dulcissimum tamen, ac iucundissimum est, contemptus & ignominias pro Dei honore tolerare absque vlla contra eundem admissa iniuria: tales autem fuerunt, quas Pater Balthassar sustinuit, vt dictum est.

(***)

CAPVT

CAPVT XLI.

OCCASIONES HVIVS TEMPEstatis, & responsio ad difficultates contra Orationem quietis & silentij propositas, & vtriusq; exitus.

A DEO magna est nostra miseria, & iniqua astutia Sathanæ, donorum Dei hostis, vt se in Angelum lucis trãsfiguret ad nos decipiendos, accepta ex ipsãmet donis occasione tentationis, quâ conatur ea destruere. Sed quemadmodum suam ipse malitiam ostendit, malum ex tantis bonis deducendo: ita Deus D. N. infinitam suam bonitatem & Omnipotentiam ostendit, dum ex malis deducit bona; nam licèt permittat aliquos indiscretos cum Zelo quidem, sed non secundùm scientiam, abuti frequentia Sacramentorum, Oratione mentis, & ipsa contemplatione: cum tamen id permittit, magnum aliquod bonum quærit, aut ipsorum, qui ita impingunt, sed postea se emendant; aut aliorum, qui cauti ex eo euadunt; & et alienis erratis discunt, recte agere, & interdum ad exercendam & probandam humilitatem & patientiam Magistri, permittit errare discipulos; quorum ignominia solet apud homines opinionem imminuere Magistri, quasi ignorantis discipuli

puli errorem aut excessum ipse approbet. Id itaque euenit Patri Balthassari Aluario propter aliquos discipulos ex multis, quos habuit Ecclesiasticos & sæculares, dedentes se orationi: qui, contra ipsius Magistri mentem & intentionem, quædam faciebant, ac dicebant, quæ viris grauibus ac zelantibus occasioni erant, non sentiendi benè de ea ratione orandi, quam illi sequebantur; ac proinde nec de ipso Magistro, cui eam illi tribuebant, quasi per os discipulorum ipse loqueretur.

HANC suspicionem auxit, quod aliqui ignorantes, aut parum prudentes contemnebant modum orandi mentaliter, per mentis ratiocinationes, affectus, petitiones, & colloquia cum Deo D.N. quem Pater noster S. Ignatius in libro spiritualium suorum Exercitiorum docuerat; ac dicentes: huiusmodi Exercitia esse, quasi vehicula infantum; quæ non sunt ipsis vsui, nisi dum non possunt per se ipsos ambulare: nam statim atque id didicerunt, vehicula deserunt, & proprijs pedibus ambulant, euntes cum minori labore quocunque volunt; & Spiritum sanctum nolle alligari ad regulas & præcepta orandi; sed inspirare vbi, & quomodo vult; eiusque inspirationem sequendam esse cum libertate spiritus. Quare potius vt arrogantes, quàm experti, exiguam suam ostendebant prudentiam & experientiam, volentes deducere omnes per eandem viam, quam ipsi tenebant: abducentes eos à communi & trita: qui erat manifestus error, ac deceptio contra men- ipse dixit, & sæpius docuit: Et ipsa experientia tem & sensum Patris Balthassaris, vt expressè

hanc

hanc fraudem illi retexuit, qui ordinario orandi modo, quem per sexdecim annos tenuit, tribuebat beneficium à Deo sibi collatum, quo ad Extraordinarium exaltaretur; &, hoc deficiente, recurrebat ad alterum, tanquam ad locum refugij. Cùm ergo de hac re sermo increbresceret, vt de veritate decerneretur, statuerunt Superiores huius Prouinciæ, vt sui & modi suæ Orationis rationem redderet P. Generali Euerhardo Mercuriano, ad quem prædictus rumor iam peruenerat. Ipse verò promptissimũ se ad id exhibẽs, secessit ad domum recreationis Collegij Salmãticensis, vbi tunc erat Rector, & colligens se per quindecim dies in oratione, & consideratione rerum suarum interiorum, scripsit relationem superius capite 13. positam, eò quòd tunc donum hoc cæleste illi contigerat.

SED aliæ quoque difficultates contra eius modum Orationis sunt illi propositæ, ortæ, & acceptæ (meo quidem iudicio) ex ijs, quæ audiuerant, & viderant, non tam in ipsomet Patre Balthassare, quam in alijs ipsum sequentibus, sequtanquam eius discipulos gerentibus: iusserunt ergo, illum ad eas respondere. Cuius causa Tractatum quendam confecit, in quo fusius ea, quæ ad orationem quietis & silentij, vt vocant, pertinent, explicauit: quorum aliqua posuimus in capite 14. & sequentibus; alia hic subijciemus, referentes responsa ad præcipuas difficultates illi propositas, vt sequitur.

(**)

§. I.

PRIMA difficultas est, quod in eo quiete Orationis modo, in qua anima nec meditatur, nec ratiocinatur, videtur nihil fieri; sed amitti tempus, quod vtilius expenderetur in virtutum actionibus exercendis. Ad quam difficultatem respondetur: In eo orandi modo non solùm nõ prætermitti fieri aliquid; sed potius multum fieri: & vt S. Bernardus ait, hoc Officium esse negocium negotiorum; & operum maximum opus, de quo Dauid dixit, *vacate & videte, quàm suauis est Dominus*; & S. Augustinus: otium Sanctum quærit charitas veritatis. Ex actibus autem, quos anima ibi facit, satis apparet, eam non otiari: quamuis enim cessent intellectus discursus circa particularia mysteria: non tamen cessant affectus voluntatis in conspectu Dei, quem fidei oculis aspicit; nunc enim reuerentiam ei exhibet, nũc admiratur ob ea, quæ Deus illi reuelat de se ipso ac suis perfectionibus; interdũ gratias agit, interdũ gaudet, quòd illũ videat, seq; in eius cõspectu: sicut homo aliquis manet corã alio, quẽ valdè amat, magnũq; sentit ex eo solatiũ; aliàs se ipsum, volũtatẽ omnẽ, & omnia sua eidẽ Deo offert; petitq; inprimis dari sibi se ipsum, deinde eius dona: nõvt in illis conquiescat, sed vt per ea tanquã per gradus ad ipsum conscendat; aliquando cor suum breuibus, imò nullis verbis aperit: Deus enim statim capit egeni necessitatem; si vel se coram ipso constituat, (sicut facit pauper collocans se coram diuite, nihil loquendo: eius enim necessitas & indigentia satis loquitur) exspectans Dei miseri-

Ad Tract. de Monte Dei Psal. 59. de Ciuit. Dei cap. 19.

cordiam cum plena suæ voluntatis resignatione: quamuis tali visitatione indignum se iudicet: aliàs denique se componit iuxta varios affectus, ac sensa, quæ Spiritus sancti vnctio suggerit, qui præcipuus est huius facultatis Magister, iuxta illud S. Dionysij ad S. Timotheum: *conuerte ad te radium.* ex quo admiranda illa vnio prouenire solet, quam idem sanctus *ignoti cum ignoto* appellat: quod est supremum mysticæ Theologiæ: quam vnionem, qui non est expertus, non satis poterit explicare, sed eam nunc insinuasse sufficiet.

SED hinc secunda oritur difficultas. quòdenim quis, meditatione prætermissa, exspectet, donec Deus loquatur aut inspiret, aut aliquid reuelet, videtur quodammodo tentare Deum, & error affinis deceptioni Illuminatorum. Ad hoc respondetur: Orationem sine mentis discursibus, & per solos affectus; cùm sit supremum culmen huius Exercitij, non inueniri in Tyronibus, nisi speciali Dei motione ad eam præuniantur; aut in ijs, qui longo tempore meditationibus se exercuerunt: ex quibus transeunt ad hunc Orationes quietæ modum, lumine, quod ipse Dominus communicauit, & adhuc communicat. Quare quod quis tunc abstineat à ratiocinationibus circa res particulares pertinentes ad ipsas Dei perfectiones, aut ad nostram reformationem, quæ alio tempore fieri potuerunt; non est censendus Deum tentare: vnumquodque enim exercitium exigit suum tempus; quemadmodum etiam in meditatione non semper est petitio, nec semper gratiarum actio. Cùm igitur ad hunc orandi modum non peruenitur, nisi per Dei vocatio-

cationem: placet illi, vt vocatus, exerceat se tunc temporis, non desiderandis, aut exspectandis reuelationibus; sed agnoscenda diuina eius præsentia, & exercendis in eius conspectu prædictis affectibus. Nec vllam hoc cum Illuminatorum rebus affinitatem habet; illi enim omnia ex arrogantia & superbia faciebant; nec vocati à Deo, nec dispositi ac præparati, vt oportebat: ac propterea in illo Orationis modo Deum tentabant: nihil enim intelligebant; sed omnino distracti, tempus ibi consumebant, nec fructum vllum ad morum reformationem ex eo hauriebant. Modus autem hic Orationis ad contrarium omnino impellit; & nisi hoc adsit, non patet ad illum accessus; & qui illum aggreditur, nec tamen fructum percipit, non tolerat illum; potius à se repellit, ac, vt arrogantem, reprehendit: non enim potest cum tuta quiete, & absque reprehensione iusta ante Deum comparere, qui eius spiritui repugnat: spiritui scilicet puritatis & sanctitatis, reformationis & subiectionis, quæ diuinæ voluntati debetur.

SED statim occurrit tertia difficultas, eò quòd non sciatur, quando hæc via tenetur ex Dei vocatione, & non ex parua humilitate, & cupiditate iucunditatis ac dulcedinis Dei, qua etiam amor proprius alitur & fouetur: sed respondetur ex effectu tanquam vestigio quodam, quod modus hic orandi relinquit, agnosci, eum esse Dei: quemadmodum ex fructibus dignoscitur arbor. Nam modus hic quando rectus est, & à bono spiritu prouenit, cor ipsum colligit ad Deum, mollefacit, subijcitq; eius ordinationi; illudq; impellit,

vt re ipsa Deo tradat, quidquid ille petierit dese, suis delitijs, commodis, & honore: intelligens, quòd, qui tantum obtinet, vt Deum sibi habeat amicum, valde multum acquirat: pro quo si dederit omnia quæ possidet, commodo satis precio eum acquisiuerit: nam qui dederit Deo quidquid ipse petierit: confidenter poterit ab eo petere, quod sibi maximè expedit; inclinat quoque sic orantem, vt studeat assimulari exemplari perfectionis ipsius Christi Domini, nominatim in sui ipsius contemptu, & vniuersali propriarum voluntatum abnegatione, & fidelissima ipsius Dei voluntatis executione. Qui hos effectus & alios similes in Te ipso experietur, tutus esse potest, quod sit à Deo modus ille orationis, qui ad eos exstimulat & impellit.

SED statim locum habet quarta difficultas: deprehenditur enim, eos qui hanc viam tenent, occultè, & minimè id sentientes, aut cogitantes, inaniter extolli, præferentes se ordinarium meditandi modum tenentibus. Ex quo prouenit, vt pertinaciter modo illi adhærescant, nolentes subijcere se iudicio superiorum, suorumque directorum, quos vident contrarium sentire, quàm ipsi: quia se existimant spirituales, ac propterea se posse omnia iudicare, & à nemine debere iudicari. Sed facilè huic difficultati respondetur. Huiusmodi, & quoscunque alios defectus in tenentibus modum hunc orationis obseruatos, non ab ipso modo, sed ab imbecillitate, in dispositione, aut imperfectione ipsius orantis (qui corrigi & emendari debet) prouenire: non tamen propterea modum ipsum esse damnandum: Nam similes defectus

fectus accidere ſolent vtentibus ratiocinatione, & interdum quidem maiores. nam & ibi facilè oritur vanitas ex præclara aliqua in ratiocinando inuentione: non tamen propterea quod vnus aut plures abutantur aliquo mentalis orationis modo, ille cenſendus eſt malus, aut deſerendus: nam tunc etiam ipſæ meditationes, & Sacramentorum frequētia eſſent omittendæ propterea quod aliqui eis abutantur, aut potius propter defectus in earum vſu admiſſis. Ex quo fit, quod ſi Superiores, aut qui tales orantes dirigunt, eum orandi modum prohiberent, illi cenſerentur rei, niſi tali prohibitioni parerent: Et tamen niſi probationis cauſa, non poſſent Superiores tuta conſcientia talem prohibitionem facere: cum & ipſi teneantur animas per viam ſpiritus dirigere, per quam Deus illas ducit, & illi proficiunt, & multi ſanctitatem tenuerunt, ac tenent, vt prædictum eſt. Quam diu tamen Superiores id non prohibuerint, non erunt illi rei, ſi eo modo vtantur: aut exiſtiment, ſe poſſe iudicium ferre de rebus ſpiritualibus, quas ipſa experientia melius didicerunt; quàm qui talem experientiam non habent: quemadmodum non eſt damnandus Iuriſperitus, propterea q; exiſtimet, ſe melius poſſe iudiciū ferre de rebus, quarum notitiam ſuo labore & ſtudio comparauit, quàm qui tali ſtudio nunquam incubuit: neq; eſt contra humilitatem Dei, quod quis eius dona agnoſcat, vt ait Apoſtolus: a *nos non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* a 1. Corint 2. 12.

Ex his abundè ſatis fit quintæ difficultati,

quod ſcilicet multi adeò ſe huic orandi modo tradant, vt quaſi in continua ſint ecſtaſi, obliti obligationum charitatis & Obedientiæ, & veræ mortificationis, ac ſolidarum virtutum acquirendarum, ſolum contenti, quòd quaſi verſentur in nuptijs, indulgentes ſibi dulcedine talis Orationis: ideoque retento nomine ſpiritualium virorum, ſubſtantiam vitæ ſpiritualis non curant. Ex quo etiam prouenit, vt alij ſubtrahant ſe ab agendo cum proximis, & iuuandis animabus, vt ſemper ſint ſuæ Orationi immerſi; ex qua, quòd non vtantur ratiocinatione, non eliciunt veritates, quas poſſint proximis, quibuſcum agunt, proponere: quod totum repugnat ei Inſtituto, cuius ſcopus eſt, hac ratione proximos iuuare. Item alijs eundem orandi modum tenentibus vires corporis debilitantur, quæ eſſent ad ſatisfaciendum ſtatus & Officij ſui obligationibus neceſſariæ.

SED huiuſmodi defectus verè ex ipſo modo Orationis proueniunt, ſed ex imprudentia, ac diſcretionis defectu eo modo vtentium: qui propterea corrigi debent & moneri. quòd ſi contenti ſint eo ſolo, quòd ſint intra ſe recollecti, non verò ſtudeant mortificationi, alijsque virtutibus acquirendis: verè decipiantur; & niſi modum ponant, ſeque emendent, ſuſpecta haberi poteſt talis recollectio, nec diu in ea perdurabunt: quamuis, quòd aliqui ſint defectus, non eſt tantopere mirandum: cùm omnes aliquos habeant, etiam, qui benè aliàs habent. Ex quo fit, vt cùm charitatis aut Obedientiæ, aut Officij neceſſitas exigit, vt agatur cum proximis: ipſamet contem-

platio

platio tales exſtimulet & ad id præſtandum impellat, quemadmodum Sanctus Gregorius, & Sanctus Bernardus dicunt: & experientia ipſa docet in ijs, qui ſuam Orationem benè inſtituunt. Sed vbi non ſunt eiuſmodi neceſſitates, aut obligationes Obedientiæ, nec ſanitas corporis lædi-tur: non eſt malum Deo hoc modo Orationis vacare, iuxta regulam S. Auguſtini: otium ſanctum quærit charitas veritatis; negocium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, intuendæ vacandum eſt veritati. Quapropter poterit quis huic Orationis & contemplationis modo ſe tradere, poſtquam Obedientiæ & charitatis obligationibus ſatisfecerit; ſalua etiam corporis ſanitate: nam ſi vires corporis debilitarentur, quòd eo vti neſciret; aut nimium illum continuant, aut ex capitis debilitate pergere non poſſet: meritò deberet à tali modo abſtinere, etiamſi ipſe modus ex ſe talem debilitatem non adferret: cùm aliàs minus hic defatiget ac debilitet, quàm ille, qui fit per mentis ratiocinationem. Ac propterea Sancti, qui hunc modum tenebant, diutius poterant in Oratione perdurare. Quod ſi in tali modo non plures habentur conceptus; acquiruntur tamen plures virtutes, quæ Deo magis placent: cuius auxilium tempore neceſſitatis experiuntur. nec illis nocet, non attendiſſe tunc, vt ſingulares conceptus inuenirent, quod alio tempore fieri poteſt; & præſtat magnum feruorem & ſpiritum ex Oratione haurire, vt exprimere poſſint, quod aliàs ſenſerunt ac perceperunt.

In id Iob 7. ſi dormiero, dicam: quando conſurgam. Serm. 52. in Canti. Lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 19.

SEXTA difficultas est, quod hic Orationis modus ita hominem ad se trahit, vt videatur omnis deuotio ad Sanctos, & antiquas receptasq; Orationes vocales euanescere: ideoque negligi petitionem rerum necessariarum pro Ecclesia, & rebus particularibus. Ad quod respondetur: hæc reuera non euanescere; sed potius pluris æstimari, tanquam media, per quæ tales peruenerunt ad id, quo magna quiete fruuntur. Et cum alij aptiores sint ad vocales Orationes, quàm ad mentalia exercitia; ideoq; eas suadent illis spirituales Magistri: ita alij è contra minus habent Orationis vocalis, quæ tanquam medium est ad internam deuotionem inflammandam. Ideoque S. Thomas ait: eam cùm non est in præcepto, debere interrumpi ac cessare, quando animus iam sentit se inflammari: expedit enim obtento iam fine frui, non hærendo multum in medijs. vnde videmus, multos viros prouectæ & excellentis virtutis non adeò hærere in Orationibus vocalibus, atque alios incipientes, aut ipsosmet, cùm incipiebãt: non quod eas spernant, aut parui faciant; sed quòd ad corda sua ad Deum eleuanda, non multùm opus habeãt motiuis huiusmodi externis. Et de P. nostro Sancto Ignatio refertur in eius vita, quod non posset in Officio recitando progredi, propter copiosam, quam habebat cum Deo D. N. communicationem; & quod eius socij impetrauerint à Summo Pontifice dispensationem, vt intermittere illud possit, eò quòd totam ferè diem in eo consumeret, hærens in singulis ferè verbis, vt visitationi Dei locum daret: & quam diu illud dicere ex obligatione tenebatur, necesse fuit ei satisfacere, etiam si

2.2.q 83.a.12

etiamsi tota die in eo occuparetur: alioquin irreuerentia fuisset, & ingratitudo citò se ab eo expedire. Quare, vt aures Deo ipsi præberet, & internis sensis attenderet, vocalem orationem cum legitima facultate reliquit; non tamen mentalem; cui etiam non totum tempus impendebat, vt alijs quoque obligationibus satisfaceret. Nec tamen in hoc Orationis modo omittuntur Petitiones; sed potius non petendo, occulto quodam modo plus petitur; quia eo tempore occupatur orans in re magis Deo grata; ac proinde melius impetratur quod petitur, quia dantis Domini voluntas magis ad dandum allicitur. Et cum Deo notæ sint illæ necessitates, & animus serui sui, earum reparationem optantis, nec tamen expressè tunc petentis, vt totus in eo, quod ipsi placet, occupetur; ac diuinæ eius prouidentiæ confidens, curat eis tanquam ad se pertinentibus in tempore prospicere: quemadmodum solent Domini, fidelem aliquem famulum habentes, qui magno cum amore ipsis seruit, attendere vt etiam ipso non petente, eius, & ad ipsum spectantium necessitatibus subueniant: maximè cùm ad aliquid expressè petendum alia sint tempora; illud verò non sit aptum ad expressam petitionem. Siquidem spirituales Magistri communiter dicunt: quando Deus cum benedictionibus dulcedinis aliquem præuenit, excipiendam talem visitationem cum humilitate: nec ad alios conceptus, aut affectus diuersos diuertendum, etiamsi in specie boni esse videantur: hostis enim semper conatur nos decipere, & ijs, quæ nobis dantur, defraudare; aut ipsa nostra ignorantia eisdem nos spoliabit, sub præ-

textu gratias tunc agendi, aut magna quædam pro hoc vel illo petendi : quod licet in se bonum sit, non tamen expedit eo tempore fieri, quo Deus vocat & impellit ad aliud.

§. II.

SEPTIMA difficultas est, quòd hic orandi modus videatur hominem retrahere à communi Institutione circa modum orãdi, quem P. noster S. Ignatius tradidit, Doctoresque communiter commendant ; ac proinde diuisionem quandam inter eiusdem communitatis homines efficit, his hanc viam, illis illam tenentibus. Sed facilis est ad hanc difficultatem responsio, dicimus enim: hunc modum potius fauere communi: nam, cùm Dominus noster speciali sua inspiratione ad hunc non impellit, à communi inchoandum est, à quo alter hic modus oritur : mediante enim meditatione quies obtinetur contemplationis. Et author Exercitiorum ex speciali gratia ab eis ascendit ad hunc modum, cùm de eo dicatur : potius se habebat *passiuè* fruendo sibi oblatis ; quàm *actiuè* quærendo per ratiocinationem, vt aliquid inueniat : quia iam tunc quiescebat, quasi qui ambulando ad terminum peruenisset. Quamuis autem communis orandi modus debeat ordinariè omnibus proponi : si tamen Dominus noster aliquem statim in initio ex speciali fauore collocet in oratione quietis, debet ea via iuuari : & eadem ratione ijs, qui per aliquot annos in ratiocinationibus & meditationibus sunt versati, beneque proie-

profecerunt; & ad hunc orandi modum cum interna quiete, & in Dei conspectu, & per modum contemplationis sunt benè dispositi, licebit consulere, non quidem, vt meditationes omnino deserant; sed, vt sensim remittant aliquid de ratiocinatione, addant verò plus aliquid de affectu: quasi satis de ratiocinationibus habentes, affectus illos in se excitent, quos superius retulimus. Et hoc est quod Pater noster Sanctus Ignatius dixit in Additionibus suorum exercitiorum: vt in quo puncto quæsitam deuotionem inuenerimus, in eo hæreamus absque anxietate vlterius progrediendi, donec nobis satisfecerimus. Et idem consilium ei dari potest, qui ex imbecillitate, aut ex alia causa non potest rectè longas habere ratiocinationes: ita tamen, vt in omnibus sequatur iudicium eius, qui in hac causa iudex esse potest: cuius dictamen prudentiæ, & regulis superiùs positis innixum, accipi potest pro sufficienti Dei vocationis & voluntatis indicio: qui solet tales adiuuare, & quando minimè cogitabunt eos ad contemplationis quietem exaltare. Neque hoc est diuisionem facere in communitate: nam modus orandi per affectus cum exigua ratiocinatione in genere, est multorum; cuius quod maximè est perfectum, est paucorum: semper enim perfectio inuenitur in paucis: & vtinam essent multi, vt torpentes excitarent: quare ambulare hoc modo per viam particularem non nocet; Deus enim non confert

valde

valde particularia dona ijs, qui via vitaque communi sunt contenti.

HAEC est summa & substantia eorum, quæ P. Balthassaris tractatus continebat: ad cuius finem hæc verba adiecit, ad P. Visitatorem huius Prouinciæ, ad quem illum dirigebat, hoc mihi occurrit respondendum V. R. circa hunc orandi modum: per amorem Dei (cui V. R. placere desiderat) illud videat, ac examinet; mihique & reliquis huius Prouinciæ, quorum iudicium & consilium requirent ij, qui videbuntur à Deo per hanc viam duci, præscribat, quid accipere, & quid omittere debeamus: per hoc enim medium ex ipsius bonitate spero, indicium nobis & illis daturum sanctæ voluntatis.

EXITVS huius tempestatis, quod ad ipsum P. Balthassarem eiusque modum Orationis fœlix fuit & prosper: nam cùm hæc causa esset à Superioribus alijsq; viris grauibus examinata, soleat Dominus noster humiles exaltare, eorumque tueri honorem, quem ipsi tacentes & sustinentes ob diuinum eius obsequium periculo exponunt, ita rem direxit, vt eius innocentia & veritas omnibus innotesceret: non solùm ob ea quæ in suis relationibus dixit: sed multò magis ob heroicam humilitatem & patientiam, quam in hac occasione ostendit. quæ virtutes magnum præbent testimonium innocentiæ patientis: bona enim conscientia, quæ tuta & secura est coram Deo, magnam adfert animi fortitudinem, pacem, & quietem, in ijs quæ ab hominibus patitur. Et ipsemet modus, quo in sui reddenda ratione vsus est, adeò fuit

humana

humilis, ac subiectus, vt admirationem Superioribus attulerit. Quare ipse Pater Visitator Iacobus Auellanedius, videns hominis demissionem & subiectionem, quâ ipsi tradiderat sua scripta examinanda, & quibus ad ea quæ ipse interrogauerat responderat, dixit: nihil sibi tantam attulisse admirationem, & ædificationem in hac Prouincia, atque P. Balthassaris animi demissionem & candorem in agendo; & Pater Generalis Euerhardus Mercurianus, licet non approbauerit, quod hic orandi modus ita communiter spargeretur, ideoque generalitatem illam moderatus sit (vt paulò pòst videbimus) magnam tamen opinionem & æstimationem de Patre ipso Balthassare concepit; eumque ad duo officia vnum post alterum maximi honoris & momenti, quæ Societas habet in Hispania, promouit, vt inferiùs dicetur. Eadem hæc tempestas siue tribulatio fecit eum magis innotescere; (cùm aliàs ex eadem putaretur magis humiliandus & confundendus) & accelerare in cursu, qui non erat diuturnus futurus: vt gloriosior esset eius corona.

CAPVT

CAPVT XLII.

MAGNI MOMENTI AC TVtissimum esse modum orandi per Meditationes affectus, & Colloquia cum Deo; ac proinde omnibus esse proponendum & commendandum.

NE, quæ proximis capitibus diximus, occasionem præbeant minoris faciendi ordinariam & tritam Sanctorum viam circa mentalem Orationem; nec velus authoritate propria audeas imites ac terminos ab antiquis Patribus nobis præscriptos transgredi: necessarium existimaui: valdeque vtile, summam quandam facere præcipuarum rationum quæ confirmant, & extollunt Orationem per mentis ratiocinationes, ac meditationes circa mysteria diuina cum Sanctis affectibus, petitionibus, & colloquijs cum Christo D. N. ad quæ illa mouent, & impellunt nostram voluntatem.

SIT itaque prima & fundamentis ratio, quòd cùm proprius & immediatus Orationis mentalis (quæ opus est intellectus nostri, fidei lumine illustrati) finis sit, supremam illam cognitionem assequi; de qua Christus D. N. dixit æterno suo Patri: a *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum* filium tuum: certum est, neminem posse in hac

a Ioan. 17. 3.

hac vita perfectam æternæ participationem (quam beatitudinem inchoatam appellant) consequi, nisi per contemplationem perfectam, in qua excellentissima & suprema hæc duo obiecta (Deus qua Deus, & Christus verus Deus, & homo) cum ea claritate perspiciuntur, quæ simul cum fide esse possit. Et quamuis Deus ex sua speciali gratia infundat interdum huius cognitionis magnitudinem & claritatem, non præmissa ex parte hominis diligentia: est tamen præsumptio temeraria, & censebitur tentare Deum, qui tale donum speret, aut petat, non præmissis diligentijs, quas idem Dominus iubet, tanquam dispositiones ad illud consequendum. Hæ autem (vt Sanctus Thomas ex Sancto Augustino, & Sancto Bernardo in Scala spirituali dixit) sunt Lectio, Meditatio, & Oratio: legendo scilicet scripturam diuinam, in qua est vita æterna; & libros pios Sanctorum, vbi illa declaratur; meditando attentius diuina mysteria, perscrutando & penetrando ad profunda eorum, ac mente ab alijs ad alia discurrendo, vt melius illa capiantur; & orando & petendo à Deo lumen ad ea bene intelligenda. Ac propterea saluator ipse suis discipulis dixit: b *petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis*: ignauus enim aut arrogans, qui non vult petere: non est dignus accipere; & qui non quærit, non inueniet; & nisi pulset, non aperietur ei. Necesse itaque est, virum Christianum fidem suam excitare, animæque potentias applicare, ac lectione, meditatione, & oratione, quotidie laborare, vt voti sui compos fiat.

2.2.q. 180. Art. 3 in Corpo. & art. 4.

b *Matt. 7. 7. Lucæ. 11. 9.*

HVIC

HVIC Dei Christique cognitioni coniungenda est sui ipsius cognitio, miseriarum, & peccatorum suorum, & grauitatis eorundem: quæ etsi adeò sit homini propinqua, non tamen obtinetur, nisi quis per meditationem in se ipsum ingrediatur, expendatque omnia damna, & pericula, quibus expositi sumus, & quæ nostris peccatis sumus promeriti. Necesse etiam est ratiocinationis oculos, ad ea extendere, quæ in morte & iudicio particulari & vniuersali euenient; ac similiter cogitatione descendere ad intuendum, quid in Inferno & purgatorio agatur; ascendere verò ad ea in cælo videnda, quibus beati perfruuntur. Quæ omnia, secundùm ordinariam legem & viam non obtinentur nisi per meditationem: quæ clausos hosce libros explicat & aperit, ad occulta in eis contenta perpendenda. Et quamuis S. Augustinus in sua Oratione ad Deum clamaret: *Domine nouerim te, & nouerim me*; non tamen solam eiusmodi petitione contentus erat, vt speraret, Deum deplicem illam cognitionem sibi infusurum; sed laborabat suis meditationibus, vt illas assequeretur; & reliquit libros de eis; vt, qui non possunt, aut per se ipsos non nouerunt meditari, defectum hunc suppleant lectione eorum, quæ alij sunt meditati: facientes quodammodo propriam meditationem ex aliena. Ad hæc præcipuus Orationis mentalis finis est, voluntatem permouere ad nobiles illos actus exercẽdos, quos dicimus affectus amoris Dei, doloris peccatorum, resignationis propriæ, & alios similes. Quamuis enim Deus noster tanquam voluntatis nostræ Dominus, possit illam vehementibus suis inspirationibus vel in momento

momento permouere: ex lege tamen ordinaria, vult hominem, mentis discursibus ac meditationibus voluntatem suam impellere, & allicere ad res illas sanctas, quas meditatur. Nam qui non aliud facit, quàm accedere ad ipsam Orationem, relinquens Deo, vt ipsum moueat: facilè inueniet se deceptum; & nisi ad aliquid seriò cogitandum se applicet, totus erit distractus, aridusque manebit; tempus amittet, & erit ociosus. Nam quemadmodum necesse est ligna ordinatè componere, & ad prunas exsufflare, vt ignis accendatur, & flamma excitetur: ita necesse est lectione, & meditatione veritates cumulare diuinorum mysteriorum; & exsufflare, prunasq; piorum desideriorum irritare, quæ nos ad Orationem habendam impulerunt: vt magnus ignis amoris Dei, contritionis, aut aliarum virtutum accendatur. Quam ob rem S. Basilius, cùm dixisset, bonum affectum consistere in vehementi quodam Deo placendi desiderio, cum firmitate & constantia, addit: eum affectum generari per meditationem & considerationem diuinarum perfectionum ac beneficiorum, quæ accepimus à Deo. *Regula 137. ex Breuio.*

ACCEDIT, quod orare, propriè sit loqui & conferre cum Deo de negocio nostræ salutis. Et quamuis Spiritus sanctus sit, qui doceat nos c *gemitibus inenarrabilibus postulare*; & animæ lingua (vt S. Bernardus ait,) sit ipsa Deuotio, sine qua nemo potest cum verbo diuino colloqui: de lege tamen ordinaria huiusmodi deuotio (vt ait Sanctus Thomas) non habetur, nisi per meditationem, aut contemplationem: cùm autem hæc sit paucorum: deuotio ordinariè oritur ex medita- c *Rom. 8. 26* *Serm. 45. in Cant.* *2. 2. q. 82. Art 3.*

tione, quæ etiam docet, & ostendit, quæ sint à Deo petenda; & rationes, ac titulos ad impetrandum afferendos; oblationes Deo offerendas: educendo hæc omnia ex ipso mysterio & meditationis argumento: ac propterea vt vocalis Oratio attentior magisque deuota sit, multum refert si aliqua eam præcedat meditatio; eritq; fructuseius copiosior, si intellectus, sensum penetret, & assequatur verborum, quæ orat.

Ex his desumitur alia valde efficax ratio: nam præcipuus Orationis mentalis fructus est morum reformatio; vitiorum ac passionum mortificatio, & virtutum omnium exercitatio: qui tamen fructus, est dispositio ad perfectam contemplationem; in qua ratiocinationes illæ ac discursus cessant; & originem suam ducit ab ordinaria Oratione, quæ meditationibus innititur, vt dictum est. Nam (vt S. Thomas ait) virtutes morales, quæ passiones nostras compescunt, sunt dispositiones ad perfectam contemplationem necessariæ. Et Cardinalis Caietanus, eiusdem Sancti commentator, id ampliùs explicat præclaris hisce verbis:

2.2. q. 180. artic. 2.

In q. 182. art. 1.

» Notent tamen, qui alios in via Dei instruunt, ad
» profectum spiritualem, & diligenter efficiant, vt
» prius in vita actiua exerceri faciant, quos edocet
» seu instruũt, quàm ad contemplationis fastigium
» suadeant. Oportet siquidem prius passiones do-
» mare habitibus mansuetudinis, patientiæ, &c. li-
» beralitatis, humilitatis &c. & sedare, quã ad con-
» templatiuam vitã ascendere. Et ob defectũ huius,
» multi non ambulãtes, sed saltãtes in via Dei post-
» quam multũ temporis vitæ suæ contẽplationi de-
» derũt, vacui virtutib. inueniũtur impatientes, ira-

cundi,

cundi, superbi, si in huiusmodi tanguntur. Et propterea tales, nec actiuam, nec contēplatiuā, nec ex vtroque compositam habuerunt, sed super arenā fabricarunt. Et vtinam non sit frequens defectus iste: Hæc Caietanus quæ sunt S. Gregorij, Bernardi, Isidori, aliorumque Patrum & spiritus Magistrorum doctrinæ valde conformia.

lib. 6. Moral. c. 27. Serm. 48. in Cant. lib 3. de sum. Bono. c. 15.

NECESSE igitur est, vt omnes per meditationem attēdant vitiorum suorum radices, eorumq; remedia inuenienda; eaq; cogitent, quæ voluntatē ad ea applicanda alliciant, vt à suis vitijs perpurgetur, iuxta illud Dauidis: d *Meditatus sum nocte cum corde meo, exercitabar, & scopebam spiritum meum*: Ex quo fit, vt qui Orationi quietis & silētij se dedūt, non iacto prius hoc fundamēto, & absq; speciali Dei motione, vitam ducāt infructuosam, vtpote debili, aut falso innitentē fundamento; vt propterea eorū Oratio: otiositas potiùs & spiritus remissio appellari debeat: accidit. n. illis quod auiculis è nido suo ante tēpus prodeuntibus: quæ neq; in altū volare, neq; ad ipsū nidū redire valēt: ideoq; in terrā lapsæ vitā amittūt: ita hi, nec rectè meditari norūt, nec in Dei cōspectu quieti cōsistere; sed sēper in cogitationib. terrenis vagātur, eoq; tētarint ante tēp° ad sūmū spirit° culmē p volare.

d *Psal. 76 7*

ESTQVE hoc adeò verum, vt ipsismet, qui ad quietis Orationē cōscenderūt, opus sit non obliuisci & omnino deserere exercitium meditādi, & aliquid de mysterijs diuinis cogitādi: eò q; fauor & motio Dei, quæ illos ad tantā quietē exaltauit, sæpe cessat: vt tūc necesse sit, ipsos potētijs suis operari: nō. n. esse debēt tāquā naues eminētioris labri, quæ nō nisi vēto moueātur; sed quasi triremes,

aut paruæ naues, quæ, vento deficiente, remis impelluntur; vtroque verò deficiente, immobiles manent quasi in malacia: ita, inquam, vento specialis diuinæ motionis cessante, & non adhibita cooperatione, & industria nostrarum potentiarum, manerent otiosæ, & hærentes in via sua spirituali.

PRAETEREA, cùm sit æquum in mentali Oratione omnes conformari spiritu Ecclesiæ in festis, quæ illa celebrat, Christi Domini, & Sanctorum eius, nisi vsus adsit meditationis horum mysteriorum, non aderunt, nec percipientur interna de eis sensa; nec materia ad colloquendum cum spiritu de eo, quod in pia meditatione non sensimus: nisi fortè aridè, vt solent Iurisperiti et solo studio loqui: quare, quos ipse Deus per hanc adeò excelsæ Orationis viam deducit, illustrare solet diuina sua luce ad hæc ipsa mysteria in talibus festis contemplanda: quod signum est, placere Deo, vt reliqui, per ordinariam viam ambulantes, ratiocinentur ac meditentur circa eadem mysteria.

ITEM, quod maxima nostra refert in hac vita, sunt solidæ firmæque virtutes, vt sint diuturnæ, nec ventis tentationum, aut varijs internis mutationibus moueantur: qui autem solis teneris affectibus, & suauitatibus Orationis (quæ dicitur quietis) innituntur, solent esse parum firmi, nec diuturni: eò quòd sensibilis deuotio tenerque affectus facilè mutetur & euanescat. Ac propterea S. Bernardus Eugenio Pontifici dixit: *noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est*, eò quòd facilè soleat in contrarium mutari: quare virtus illa firmior

mior ac ſolidior eſt, quæ innititur viuis rationibus ligantibus & conuincẽtibus intellectum, quæ luce ſua deceptionem retegunt, veramque ipſiuſmet virtutis opinionem & æſtimationem adferunt. Et quamuis Oratio extraordinaria, quam Deus ipſe largitur, ſecum adferat huiuſmodi rationes ac retectiones: ordinaria tamen lege illæ non obtinentur, niſi profundis meditationibus myſteriorum fidei, quæ ſunt fodinæ & fontes ex quibus illæ eruuntur.

DENIQVE qui de Oratione agentes virtutes quærunt quibus Deus & Euangelica perfectio honoretur, meritò habere debent animum à proprijs conſilijs ac iudicijs valde exutum, ac expeditum; nec preſcribere Deo tempus viſitationum, & miſericordiarum ſuarum. Quare ſuſpecta res eſſe debet, ſi quis generalem aliquam Regulam conſtituat, quòd ſcilicet, qui talem, aut talem adhibuerit diligentiam, per tot annos, aut menſes, talem à Deo fauorem, aut virtutis gradum ſit cõſequuturus. In qua re ab aliquibus notatur Caſſianus, quòd præſcripſerit tempus aliquod ad Caſtitatis perfectionem obtinendam ei, qui adhiberet diligentias ab ipſo ibi indicatas. Hoc enim non tam conſiſtit in induſtria, arte, aut tempore, cùm ſit opus gratiæ & peculiaris Dei prouidentiæ, *qui vnicuiq; diuidit pro vt vult, & quando vult.* Quare Orationis & virtutis exercitium incipientibus, plurimum refert, ordinariam tritamque viam tenere, & feruenter cooperari ex parte ſua ordinariæ Dei directioni & gratiæ, remotis impedimentis, & præſcriptis medijs adhibitis: depoſitis curis & anxietatibus profectuum, per vias

Colla.12.c.15

Extraordinarias, quos profectus meritò committent prouidentiæ Dei, vt pro suo libitu dirigat, ac disponat quod magis expediet: suam interim stationem non deferentes, donec audiant: *amice, ascende superiùs.*

Ex dictis colligitur, omnes, qui dedunt se Orationi, siue sæculares siue Religiosos, quod in ipsis est, inchoare ac progredi debere per viam hanc meditandi ordinariam, donec Deus D. N. illos vocet, & ascendere faciat speciali vocatione ad alium modum excelsiorem: quæ vocatio statim atque innotescit, admittenda est. vtrumque enim extremum est valde perniciosum: tam illorum, qui absque hac vocatione, temere aggrediuntur, quod suas superat vires: quàm illorum qui diuinæ vocationi resistunt, quando eis constat, Deum illos speciali alia via velle deducere. cuius rei iudicium erit apud prudentem & expertum spiritus Magistrum, cui ex Officio incumbet, benè examinare & intelligere speciales vias, per quas spiritus Domini suos deducit seruos; eosque ab eis non abducere; sed vt rectà tendant, & cum fructu progrediantur iuuare: nam in ipsarum meditationum via solet esse etiam magna varietas. Quosdam enim Dominus noster deducit per meditationes rerum terribilium, quæ scilicet timorem incuriunt; alios per meditationes vitæ, passionisque Saluatoris, aut beneficiorum diuinorum; alios denique per alias, faciens vnumquemque maiores motus, sensusque in his, quàm in illis percipere; & in eisdem oportet illos iuuari: spiritus enim Magistri non aliud sunt, quàm Dei Cooperatores & Adiutores, ad deducendas

cendas animas: ipse autem Deus præcipuus Dux est & Magister, quem reliqui sequi debent, vt dictum est. Quando autem ipse Deus speciali gratia non præuenit, sequendæ sunt generales regulæ in eius Ecclesia nobis relictæ. Sed tam hæ, quàm illæ speciales, & omnes diligentiæ ac industriæ dirigendæ sunt ad excellentissimum omnis bonæ Orationis finem & fructum, amplectentis quæcumque suprà retulimus.

CAPVT XLIII.

HOMINES SOCIETATIS EVM orandi modum sequi debent, qui in nostris traditur exercitiis; eorum excellentia explicatur; additur q̃ quædam valde spiritualis vtilis q̃ de eisdem exhortatio.

RATIONES in proximo capite positæ sufficienter declarant excellentiam, & securitatem eiusmodi Orationis, quem Pater noster S. Ignatius in suo exercitiorum libro tradit: estque in Societate in communi vsu: in quo libro continentur res omnes necessariæ ad perfectam mentalem Orationem, quam possunt homines quærere, cooperantes sua diligentia & industria Dei motioni, eiusque gratiæ quæ semper nos præuenit excitatque, vt illi cooperemur. Ponuntur enim in eo præparatione;

ad Orationem; argumenta & mysteria meditationum; affectus ex eis deducendi; colloquia cum Deo instituenda; ratio, & modus potentias animæ ad hæc omnia applicandi, fructus & profectus, ad quos hæc sunt dirigenda; reflexiones & examina circa eadem instituenda, ad puriorem & excellentiorem fructum colligendum: tradit etiam modum ad contemplationem & perfectum Dei amorem ascendendi, & internis sensibus cum quiete ijs fruendi, quæ in ipsa meditatione occurrerunt. Quod totum fusiùs declarauimus in nostris libris Meditationum, & Ducis spiritualis.

§. I.

NVNC subijciam speciales aliquas rationes, ob quas homines Societatis debeant hunc Orationis modum, quem P. noster S. Ignatius in suis exercitijs nobis reliquit, tenere, magnamque eorum opinionem habere. Prima est, quod vt Philosophi dicunt, res omnes eisdem causis conseruantur & augentur, quibus fuerunt generatæ: cumque Societas in suis initijs fuerit per hunc modum Orationis sensim generata, quo (vt P. Ribadenerius lib. 1. vitæ S. nostri Patris cap. 8. ostendit) vocati fuerunt & inceperunt primi nostri Patres, & ad magnam sanctitatis celsitudinem peruenerunt: Eadem igitur via nos eorum filij & successores ire decet: per quam, nisi nobis ipsis desimus, ad eandem perfectionis altitudinem perueniemus.

DEINDE ex traditione habemus, quòd Deus D. N. reuelauerit Sancto nostro Fundatori ac tradiderit

diderit hæc exercitia: (vt ſtatim videbimus) nec dubium, quod non ſint ipſi pro ſe ſolo tradita, ſed vt per ea, religionem hanc Societatis plantaret, ad cuius fundationem eum elegerat; eaque filijs ac ſucceſſoribus ſuis communicaret; eſſentque præcipuum armorum genus, quibus bellum Dæmonibus inferrent; animarum verò ſalutem promouerent; & ipſa experientia, id ita eſſe oſtendit ſtupendis mutationibus & fructibus, quos in plurimis omnium ſtatuum perſonis protulerunt: æquum igitur eſt, eum nos modum amplecti, & ſequi tanquam nobis à Deo D.N. in magnam noſtrã vtilitatem traditum. Et liceret etiam ipſos homines Societatis, qui nunc viuunt, teſtes huius vtilitatis adferre: ipſis enim manibus (vt dicitur) palpant ſpiritus renouationem, quam ſentiunt ex eo, quòd ſingulis annis recipiant ſe ad hæc exercitia per octo decemue dies facienda.

AD cuius rei Confirmationem oportunum exiſtimaui, ſpecialem quandam reuelationem hic referre, quam ſpero omnibus futuram conſolationi. Ex multis perſonis, altiſſimæ Orationis, quibuſcum egi (quæ non fuerũt paucæ, poſtquam cum eis ago) fuit quædam, cui Deus D.N. & Sanctiſſima eius mater extraordinarias valde fauores, & miſericordias exhibebant; de cuius ſincera veritate, cùm aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in huiuſmodi rebus homo habere poteſt. Illa inquam mihi dixit, quæ referam. Cùm illa intelligeret, homines Societatis, ad hæc exercitia facienda, ſe colligere Anno 1600. pro more noſtro recepto: voluit & illa in domo ſua ſe colligere, vt eadem faceret modo, quo poſ-

ſet. Cumque cœpiſſet, & mane quodam in ſua Oratione eſſet cum Domino, vidit oculis mentis venientem, & ad ſe appropinquantem Sanctum quendam Angelum inſignis maieſtatis: quæ obſtupeſcens neſciens quid hoc eſſe poſſet, dixit ei ille ſe eſſe Archangelum Gabrielem, & miſſum à Sacratiſſima Virgine, vt ipſam ſalutaret, & quædam ſignificaret. Illa, quæ valde erat humilis, hoc audiens, magis obſtupuit; ſeque contraxit, petens ab Angelo, vt priuſquàm referret, quæ in mandatis habebat, permitteret ipſam diutiùs cum Deo D. N. de re adeò graui tractare (quod in huiuſmodi occaſionibus facere ſolebat.) Angelus, cui valde placet humilitas, & cautela, ſanctaque illa ex reuerẽtia contractio; reſpondit, id ſibi valde placere. Quare eo, quaſi ibi non eſſet, prætermiſſo, acceſſit ipſa ad Dominum noſtrum, (quem vbique præſentem eſſe fides ſancta nos docet) magnoque animi ſenſu affectu ſuam ei miſeriam & vilitatem propoſuit, humiliter petens miſericordiam; & vt ab ea dignaretur auertere quidquid ſanctiſſimæ eius voluntati conforme non eſſet. Cumque in his & alijs huiuſmodi petitionibus aliquamdiu hæſiſſet, audiuit internam Domini vocem dicentis, vt quæ Angelus dicturus ei eſſet, audiret. Et illa certior & ſecurior interius facta quòd totum illud eſſet Dei opus, eum in modum quo diuina ſua Maieſtas cum ſeruis ſuis agere ſolet, & cum ſuis Prophetis faciebat, audiuit flexis genibus, & magna cum reuerentia quæ S. Angelus in cõmiſſis habebat. Qui Reginæ cæleſtis nomine ei dicebat: exercitijs quæ facere cogitaſti per mentis ratiocinationes & meditationes magnifi-

S. Thomas 2. 2. q. 171. a. 5.

gnitudinem Dei & infinitorũ bonorum, quæ per Christum vobis cõmunicantur, (in eum ferè modum quo fiunt in Societate) singulare obsequium Reginæ nostræ præstabis: significat enim tibi se fuisse & esse tanquam patronam & fundatricem illorum Societatis exercitiorum: nam se adiuuisse ac docuisse S. P. Ignatium vt ita fieret, ideoque hoc nomine initium se dedisse huic operi: imò & se toto tempore vitæ suæ in Sanctis huiusmodi exercitijs fuisse occupatam. Hæc fuit reuelatio de cuius veritate (vt dixi) perpensis omnibus circumstantijs eius, cui facta est, non possum dubitare. Certoque credo, non illi personæ factam fuisse reuelationem propter se; sed propter nos: vt scilicet Societatis homines, ac cæteri, qui sanctis his meditationibus exercentur, aliquod eis tempus seorsim tribuentes, pluris ea faciant, & ad ea continuanda magis animentur: siquidem talem habent fundatricem, protectricem, & adiutricem, qualis est ipsa Virgo Sacratissima, Dei mater, quæ etiam ea fecit, licèt cum maiori excellentia absque vlla comparatione, quàm nos, voluitque rem hanc nobis manifestare, vt illustrissimum & sanctissimum eius exemplum sequeremur.

ALIA quoque ratio valde efficax permouere nos debet ad hunc orandi modum, eò quòd Oratio non sit proprius finis Societatis, nec aliarum Religionum mendicantium, quæ cum proximis agunt: sed earum tantùm, quæ solitariam vitam ducunt; sed instrumentum quoddam vniuersale, quo simul cum alijs medijs vtimur, ad virtutes cõsequendas & animas Deo lucrandas: quare eam Orationis formam sequi debemus, quã Dominus

noster

noſter nobis deſignauit, tanquam proprium aptumque medium ad noſtri Inſtituti finem conſequendum. Ea autem forma eſt, quam noſter Fundator nobis reliquit, quæ aptiſſima eſt ad finem prædictum; proinde perfectè per eam obtinebitur.

HAS & plures alias rationes collegit breuiter ac pulchrè Pater Ioannes Suarius, huius Prouinciæ Præpoſitus Prouincialis, in quadam exhortatione, quam ex hac occaſione tunc habuit. Pater noſter Generalis Euerhardus Mercurianus grauiter tulit, cùm ex literis noſtrorum intellexit aliquos ſingulari quodam ſpiritu, non ſatis compoſito, contemnere rationem & formam Orationis noſtrorum exercitiorum: velleque inducere quandam nouam rationem orandi. Et ita de hoc argumento literas dedit, tum ad P. Balthaſſarem Aluarium, tum ad P. Prouincialem huius Prouinciæ, menſe Martij Anno 1577. & has ego vidi, & ex eis accepi aliquas rationes earum, quas in proximis duobus capitibus poſui. (idem autem & illæ continebant, quæ ad Patrem Balthaſſarem dabantur) vtrisque autem commendabat, vt iuxta ea, quæ in eis continebantur, dirigerent iuuarentque noſtros, vt modum Orationis noſtrorum exercitiorum magni facerent, & ſequerentur. Quod vt exequeretur P. Prouincialis, (cùm ego Anno 1578. in hoc Sancti Ambroſij Collegio vltimo anno Theologiæ ſtuderem) exhortationem ſpiritualem ad nos habuit valde refertam ſpiritualibus monitis, ſanctisque documentis pro ijs, qui Orationi incumbunt, quam ego ſtatim in libello meo adnotaui, viſumque mihi eſt ad rem fore, illam hic

hic inſerere eiſdem ferè verbis; aliquibus tamen additis ad ampliorem eorum, quæ dicuntur, explicationem.

§. II.

Exhortatio P. Ioannis Suarij qua oſtenditur, quanti ſit momenti, quamq; tutus modus Orationis in exercitiis noſtris præſcriptus.

RATIONI omnino conſonum eſt, nos gaudere, gratiasque Deo D.N. agere, quòd nobis modum præſcripſerit rectum ac ſecurum cum ipſo agendi, qualis in noſtris exercitijs continetur. *Primum*, quia ſi Aduocatus & Iudex, & vnuſquisque alius cupit, datque operam, vt rectè ſuo munere fungatur, eò quòd agi videat de ſuo honore, facultatibus, aut vita: quantò magis optare debet religioſus rectè in ſuo munere agere, hoc eſt in agendo cum Deo: cùm in hoc non ſolum de facultatibus, aut temporali vita agatur, ſed de ipſa æterna. *Deinde*, quia ſi magni fit, quod qui aliquò proficiſcitur, ſciat ſe bonam viam tenere, abſq; metu aberrandi, aut retrocedendi: quantò maioris erit ſolatij ei, qui agit de Oratione, quòd ſciat ſe rectam tenere, ac tutiſſimam viã: eſſet enim valde moleſtum, ſi poſt aliquot annos in Religione & Oratione poſitos, deprehendat homo, ſe eſſe deceptum, eò quòd rectam viam nõ tenuerit. Quod autem noſtrorum exercitiorum via recta ſit ac tuta, intelligimus *primò* ex fructu,

quem

quem videmus ea fecisse in multis animabus, & stupendas vitæ mutationes in multis omnis status personis. *Deinde* quod (vt Pater noster Euerhardus Mercurianus mihi dixit) Romæ ex traditione habeatur, Patrem Iacobum Lainium dixisse, Deum D.N. exercitia Patri nostro Sancto Ignatio tradidisse. *Tertiò* quòd præ omnibus solatium adfert & securos nos reddit, est approbatio Vicarij Christi quæ constat ex Bulla Pauli III. ipsi libello exercitiorum præfixa, in qua illa approbat, valdeque commendat, & exhortatur fideles, vt eis vtantur. Quæ regula ita est infallibilis, vt non possit ei subesse falsum. Quod si modo adeò solido, & approbato benè vtamur, securi poterimus comparere coram Deo in die nouissimo: vt qui modum & viam ab ipso nobis præscriptam tenuerimus: quod si decepti viximus, ab ipso Deo eiusq; Vicario decepti fuerimus. Sed cùm sit impossibile, quod nos Deus decipiat, & quod eius Vicarius in ijs, quæ toti Ecclesiæ proponit, aberret: ideò nos eum modum tenentes nec decipimur, nec erramus.

Ex his sequitur securitatē Orationis non consistere in sensis ac delicijs spiritualibus; nec in eo quòd quis sibi satisfaciat; sed in vera Ecclesiæ, nostræq; Religioni obedientia exhibita. Multos enim vidimus, internas delicias ac sensus habentes, & lacrymas fundētes, esse tamen deceptos, eò quòd sicut Saul, proprium iudicium sequantur, quod est Dæmonium voluntarium, errorum seminarium & hæresum scaturigo. quod ipsemet vidi Hispalis, vbi erat quidam hæreticus Iulianus Villauerdius, missus à suis vt ageret cum hæreticis, qui tunc

occultè

occultè versabantur in Hispania. Captus fuit, & iussu Inquisitorum egi cum homine, eiusque affectum deuinxi: & cùm ei dicerem, me salutem eius valde desiderare, respondebat: se etiam desiderare meam; sed hoc interesse, quòd ego existimarem: me salutem consecuturum per ea quæ docet Ecclesia; se verò, per id, quod ipsi videbatur. Loquebatur cum magno sensu de ipsius Dei rebus & interdum lacrymas fundens dicebat: Benedictus Deus qui consolatur nos in tribulatione nostra. Sibique satisfaciens de via illa sua, dicebat: ipse enim spiritus testimonium perhibet &c. existimabat infœlix: spiritum sanctum internum ei testimonium reddere, quòd bonam viam teneret: quod tamen non Sanctus; sed proprius, cœcus, & obstinatus spiritus dictabat. Combustus est viuus, cum tanta teneritate, ac lacrymis vt omnes obstupescerent: prudentes tamen aduertebant, Sathanam se transfigurasse in Angelum lucis, vt eum deciperet, ac obduraret. Hoc autem inter nos & illum discrimen erat: quod ille proprio iudicio duceretur, nos autem obedientia sanctæ Ecclesiæ: quam certa fide credimus à Spiritu sancto regi, ac gubernari: at iudicum proprium est dæmonium, quod appellant meridianum. Etiam Pater Magister Auila, post multos annos in Oratione positos, deprehendit, se in multis quidem rectè ambulasse, sed in multis etiam abeerasse; & de vtrisque monebat me & quosdam alios Patres, qui morabamur Montillæ: exhortans nos ad gratias Deo agendas, quòd nos ad securam Obedientiæ vitam vocasset.

VT ergo ad modum Orationis nostrorũ exercitio-

citiorum veniamus, ſuppono *primùm*: quamuis verum ſit, poſſe Creatorem abſque vlla præuia cauſa creaturam ſuam conſolari: ordinariè tamen conſolari ac promouere adiuuantem ſe: quare incumbenti & contendenti contritionem habere, Deus dat deuotionem; & pugnanti, ſuasque tentationes & paſſiones vincenti largitur Manna abſconditum.

DEINDE quamuis charitas ſit, quæ nos faciat incipere, progredi, recteque finire viam ſpiritualem: ipſamet tamen charitas incipientes inclinat ad pœnitentiæ & mortificationis actus eliciendos; Proficientes, ad actus ædificationis ſui & proximorum, imitantes virtutes in vita & paſſione Chriſti D.N. prælucentes; Perfectos impellit ad actus amoris & gaudij de perfectionibus Dei & Chriſti D.N. & ex benè factis, ac malis toleratis eius cauſa.

TERTIO, quòd licèt cor, in quo virtus aliqua aut ſpirituale donum prædominatur, ex omnibus ſubſtantiam hauriat virtutis illius prædominantis: exempli cauſa, ſi prædominatur ſpiritus humilitatis, aut contritionis: etiam ex ipſa Chriſti Domini noſtri reſurrectione, & ex ipſis Dei proprietatibus & perfectionibus humilitatem haurit & contritionem: quemadmodum noſter Pater Franciſcus Borgius adeò excellebat in humilitate, vt ex omnibus, quæ gerebantur, & accidebant ſe ipſum humiliaret, & confunderet: at, noſtra peccatis ita exigẽtibus, non videmus nũc aliquid tale multùm eminere. quare talem materiam non oportet aſſumere, quæ ex ſe animam ad id adiuuet, quo iuxta ſuam diſpoſitionem opus habet.

QVARTO,

QVARTO, in nostris exercitijs materia est & forma præclara adactus triplicis viæ, Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ, hoc est ad purgandam, proficiendam, ac perficiendam animam cum auxilio Dei aptissima. Ad primam viam, sufficientem & optimam præbent materiam exercitia primæ hebdomadæ, de peccatis scilicet, morte, iudicio, & inferno; ad secundam exercitia secundæ, & tertiæ hebdomadæ de Incarnatione scilicet, vita, passione ac morte Christi Domini nostri: ad tertiam exercitia quartæ, de Resurrectione scilicet, Ascensione Christi, & amore Diuino.

QVOD ad modum & formam attinet: *primùm* est necessaria præparatio, iuxta illud Sapientis: a *ante Orationem præpara animam tuam.* Quod fiet, si diligenter Additiones, & Regulæ seruentur, quæ ad benè Orationem habendam præscribuntur; si interdiu cor & sensus custodiantur, adhibito examine generali & particulari defectuũ occurrentium: vt his purificata anima, possit sine impedimento agere cum Deo. *Deinde* addenda est cooperatio ipso tempore Orationis exercendo potentias animæ, memoriam intellectum & voluntatem, sensusq; interiores, cogitando de ipso mysterio; & discurrendo per ea, quæ in ipso continentur; excitando voluntatem ad amorem, aut odium boni aut mali, quod in eo apparet; & internos sensus applicando ad virtutis suauitatem & dulcedinem; vitij verò horrorem & amaritudinem degustandam.

a *Eccl.* 18.23.

TERTIA est applicatio ad finem Orationis, ad fructum ex ea hauriendum: & hoc est, quod noster Pater S. Ignatius sæpius repetit in exercitijs,

tijs, cùm dicit: reflectar super me ipsum, ad fructum aliquem percipiendum. Circa quod quinque res magni momenti sunt obseruandæ. *Prima*, tempus ipsum Orationis non esse expendendum in rebus & virtutibus generatim perpendendis: exempli causa, quàm sit præclara res humilitas; quàm præstans charitas &c. Sed oportet reflexionem ita fieri super me ipsum, vt videam, quantopere hac virtute vel illa indigeam; & consilium accipere, & constituere apud me de ipsa emendatione; petita à Deo ad id gratia, & proposito emendationis sæpiùs renouato: alioquin æquè carnales manebimus, & passiones nostræ æquè excitatæ ac viuæ, atque antea: nam tormentis in altum explosis arx nec deijcitur, nec læditur. *Deinde*, quod ordinariè progrediendum sit iuxta præfectum ordinem: nam licèt tempus Orationis in eliciendis actibus amoris Dei, eiusque perfectionibus considerandis expendere, vade sit bonum: at si quis passiones suas viuas habens & immortificatas; & cùm de eis mortificandis ac moderandis agere deberet, in illis actibus hæreat: is verò error est, ac deceptio: & huiusmodi, quos tunc faceret, actus, non amoris Dei; sed amoris proprij censerentur: & sic perueniet ad domum superbiæ, quam ædificauit amor sui: veritas Dei est, quæ accipitur meditanda; sed applicatio potest esse Dæmonis, qualis fuit illa, quam adhibuit in secunda Christi tentatione. Hinc *tertium* sequitur obseruandum, quòd fru-

ctus

ctus ex meditatione capiendus, est morum meorum emendatio: vt benè faciam, & patiar propter obsequium Christi Domini nostri, & vtilitatem meam, ac proximorum, iuxta illud: b *Bona arbor bonos fructus facit. Quarta* est exsecutio eorum, quæ benè proposuimus & constituimus. Ad quod nominatim iuuant examina, generale & particulare; & aliqua pœnitentia ob admissos defectus: c *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: expugnatur enim illud regnum bonis editis operibus, sibique ipsi vim inferendo, vt ea contra propriam passionem exerceat. *Quinta*, hoc totum consistit in eo, vt applicatio rectè fiat, ad id exuendum & euellendum, quod profectum nostrum impedit; aut virtutem illam acquirendam, quæ nobis maximè deest. Ad quod præstandum tutissima est Superioris aut Confessarij directio: quæ in genere tunc recta censebitur, si tendat ad nostram abnegationem & mortificationem; ad veras solidasque virtutes acquirendas; & proximos nostros in eadem re iuuandos; particularem verò directionem regula reijcit, ad considerationem & ordinationem Superioris, dicens: *quod ad Orationem & examina pertinet ipse cum vnoquoque constituat.* Superior enim & Confessarius generalia monita & documenta singulis debent prudenter, iuxta cuiusque capacitatem & necessitatem, applicare.

b *Matt.7.17.*

c *Matt.11.12.*

HAEC fuit prudentis huius & in rebus spiritualibus experti viri exhortatio: ex qua hanc tantùm deduco conclusionem contra arrogantes, quod licèt nos non debeamus diuinum

ſpiritum aſtringere, aut Regulis noſtris, & præceptis orandi illum ſubijcere: ipſe tamen vult, vt nos ipſos aſtringamus ac ſubijciamus legibus ac Regulis illis, quas in ſua Eccleſia nobis præſcripſit, ſanctosque Patres docuit, quos nobis Duces & Magiſtros dedit: nobis autem illæ ſunt, quas Pater noſter Sanctus Ignatius in libro ſuo ſpiritualium exercitiorum præſcripſit: quæ ferè ſunt, quas communiter docent Sancti, ab omnibus Iuſtis ſeruandas: nolle autem vllis regulis aſtringi, eſt mera carnis libertas; & arrogantia ſuperbiæ valde perniciosæ: quæ pro libitu ſuo internos proprij ſpiritus impetus ſequitur: quos iudicabit fortè eſſe Dei, erunt autem Dæmonis. Quando autem Dominus aliquem voluerit per viam priuatam & extraordinariam deducere, poſuit ipſe in Eccleſia & Religionibus ſuis Magiſtros, qui nouerint, eum dirigere iuxta id, quod intelligent eſſe voluntatis & gloriæ Diuinæ, qui eſt admirabilis in modo & ratione ſuos electos deducendi: ſicut fuit cum Patre noſtro Balthaſſare, de quo agere pergimus.

CAPVT XLIV.

CONSTITVITVR P. BALTHASsar Visitator prouinciæ Aragoniæ, vbi magnam nostri fratris Ioannis Ximeni virtutem cognouit, eius q̃ relationem confecit.

CVM P. Balthassar adeò fœliciter ex prædicta probatione euasisset, Pater Generalis Euerhardus optimam de eo habens informationem, eum constituit Prouinciæ Aragoniæ Visitatorem, sicut alios Patres ad alias prouincias visitãdas mittebat, qui omnes & grauissimi erãt, magnæq; apud omnes opinionis, eò quòd Generalis locum & vices in eo munere obtinerent, cùm non posset ipse per se prouincias visitare. Discessit statim, vt satisfaceret Obedientiæ: functusque est Officio illo, modo quodam adeò exacto, vt tanquam exemplar esse possit omnibus simile munus gerẽtibus. Quare P. AEgidius Gonzaluus Abulensis tũc Romæ Assistens dixit, P. nostrum Generalem dixisse: ex sexdecim Visitationibus, quæ tunc in Societate erant institutæ: hanc habuisse singularem eminentiam. Nam P. Balthassar primum omnium studuit conseruare vnionem & pacem cum reliquis Superioribus, quoad fieri potuit: vt omnes simul reformationẽ spiritus, quæ in votis erat, aggrederentur: in qua

ipse rarò quodam sanctitatis exemplo in rebus omnibus præcedebat: id enim magnam conciliat gubernanti authoritatem; redditque omnibus amabilem; & efficit, vt quæcunque ordinat ac præscribit, facilè & cum alacritate recipiantur. Sed hanc vnionem nominatim habuit cum P. Prouinciali Petro Villaluio (qui postea etiam fuit huius Prouinciæ Castellanæ Præpositus Prouincialis, & retulit de ea visitatione, quæ iam dicentur) viro verè spirituali, valdeque candido: de quo P. Balthassar dicebat: se inuenisse hominem habentem veram virtutis opinionem & æstimationem: quare statim atque mutuò se nouerunt, & agere cœperunt, ita inuicem dilexerunt, & vniti sunt: vt nunquam in iudicijs & consilijs mutuò discreparent, ac dissentirent. Nec id est mirum: nam statim atque Prouincialis aduertit magna dona P. Visitatori à Deo collata, ita eam reuerebatur, vt quodnis eius responsum ac decretũ iudicaret, quasi è cælo elapsum: eiusque dictamina esse tanquam prima principia in materia spiritus & gubernationis.

HOC totum ex eo etiam procedebat, quod ipse P. Balthassar visitationem cuiusque Collegij, priùs cum Deo D.N. communicaret; instanter orans, vt ad maiorem ipsius gloriam & Subditorum vtilitatem illa cederet: ideoque antequam eam inchoaret in quocunque Collegio aut domo, recipiebat se per dies octo, aut quot commodè poterat, ad spiritualia exercitia Orationis & lectionis pro more Societatis facienda: quo tempore nolebat, quemquam secum loqui; sed totum transigebat cum Deo. Qua ratione

ne præter bonum exemplum, quod omnibus eius Prouinciæ dabat, eosdem etiam alliciebat, & quodammodo impellebat ad idem faciẽdum: talemq; de eo concipiebant opinionem qualis ipse reipsa erat; quare tanquam virum Sanctum eum æstimabant, ac reuerebantur; fœlices seipsos iudicantes, quòd talis Superior sibi obtigisset, valdeq; anxiè optabãt, statim illi cor pectusq; suũ aperire, eiusq; volũtati & manib. sese tradere. prudenter iudicantes: eum, qui tantam haberet cum D.N. familiaritatem & consuetudinem, non posse in sua gubernatione à recta via aberrare. Elapsis diebus suæ recollectionis, incipiebat agere cum domesticis omnibus, quos audiebat cum magna quiete, quam diu illi aliquid, quod dicerent, habebant. cui rei tempus semper tribuebat necessarium, siue cum minori siue cum maiori ageret, iuxta singulorum necessitatem, & non ob respectus humanos; qui sæpe in causa sunt, vt sine magna vtilitate tempus transigatur. Postquam eos audiebat, consolabatur, & ad perfectionem & familiaritatem cum Domino nostro exstimulabat. Nec defuerunt, qui experirentur eius lucem & spiritum Prophetiæ, quem hic interdum ostendebat: vt eos ad obsequium Diuinum magis animaret. De vno minimũ Patre illius Prouinciæ intellexi, quòd antequam esset Sacerdos, dixisset illi Pater Visitator quædam euentura; & ita euenerunt, sicut dixerat. Hac diligentia & verborum efficacitate in exhortationibus, quas ad omnes cum solito spiritu & feruore faciebat, magnum in omnibus fructum fecit, ita vt eius discessum grauiter sentirent, ob conceptum iam in eum

amorem; & fructum, quem ex eius consuetudine perceperant.

VISITATIONEM incepit à Collegio Cæsar-Augustano, vbi thesaurum quendam absconditum cum magno suo gaudio reperit: Agens enim cum alijs domesticis de rebus animarum eorum, inuenit Fratrem quendam Coadiutorem Ioannem Ximenum virum excellentis, sed occultæ virtutis. Erat is natione Valentinus, ex quodam loco in Montanis nomine Viar, qui consilio cuiusdam pij Eremitæ statuit ire Valentiam, vt Societatem ingrederetur, in cuius consilij executione duo illi euenerunt magna indicia diuinę vocationis; & ad magnam sanctitatem electionis. Alterum fuit, quod accedente in medio itinere, hoste, ad eum tentandum, vt in patriam suam rediret, & cum matre, ac fratribus pauperibus maneret: ipse Diuino spiritu afflatus, hoc se voto insigni obstrinxit: Deus, ego tibi promitto, me iturum, vt Patribus illis, amore tui seruiam; promitto etiam tibi, Deus meus, nihil me facturum, quod non sit amoris tui causa: ego enim nescio, quo eam, vt alicui seruiã, nisi tibi: qui Deus meus es, ac Dominus meus. Cum hac ingenua ac generosa promissione tentatio euanuit, suumque ille iter prosequutus est, Valentiam vsque: vbi alterum ei mirabile euenit: cùm enim à Patre Prouinciali Antonio Cortesio, magni spiritus viro, peteret in Societatem admitti; & Prouincialis cum Consultoribus ageret, an Ximenus recipiendus esset? illi, qui cum eo iam pro more Societatis egerant, iudicarunt hominem pro ea esse inutilem; & cum secundò ac tertiò ad consultandum de ea re conueniret

nenirent, eò quòd Prouincialis valde propenderet ad eum recipiendum. Ij tamen idem semper, quòd priùs, dixerunt: sed ipse P. Cortesius interna Dei motione impulsus, & vtens communi & familiari sua phrasi, qua in rebus affirmandis vti consueuerat, dixit: *in rei veritate* eum recipiemus in Sanctum, eò enim hic homo tendere videtur: & ita eum admisit. Exitus autem comprobauit, eius resolutionem fuisse à Deo cum illa prophetica phrasi. Paulò pòst missus est ad Collegium Cæsar-Augustanum, vbi ferè semper manebat ruri in prædio quod IESVS de Monte appellatur: vbi nocte dieque tanquam mancipium laborabat, quamuis sæpe ad Collegium veniebat: vbi ligna in vehiculo, & aquam in vasculo, & res alias seruitio domestico necessarias vehebat: amplectens, cum magna lætitia, laboriosa ac difficilia munia, in quibus alij magnam sentiunt repugnantiam. nec defuerunt illi contemptus occasiones, ob falsa testimonia in ipsum prolata: quibus tamen ipse nouit vtiliter vti. Et quoniam exteriùs erat vir simplex ac syncerus, & ex altera parte tanquam humilis, dona à Deo sibi collata occultabat; (quamuis communiter seruus Dei haberetur) non tamen habebatur, nec æstimabatur, quanti eius virtus & spiritus merebatur: donec Pater Balthassar rationem eius animæ accepit, ac de spiritualibus rebus cum eo agere cœpit. Qui cùm tantam cælestem lucem haberet, & earũdem rerum experientiam, statim agnouit, quantum thesaurum Maiestas diuina in eius anima recondidisset. Non satiabatur audiens referentem misericordias, quas à Deo accipiebat: & tantum temporis cum solo, & toties

agebat, vt domestici, id aduertentes, scire auerent causam tam frequentis & prolixæ communicationis inter vnum Coadiutorem, & Visitatorem adeò grauem: qui tamen, nihil hos rumores curans, oblectabatur eum audiens; eique oculos interdum aperiens, vt agnosceret, magnique faceret dona ac beneficia, quæ illi Dominus largiebatur; ac se disponeret, ad alia maiora quotidiere cipienda; reliquos etiam, qui in Collegio erant, capaces eius sanctitatis reddidit; vt quem antea non nouissent, nunc noscerent, & magni facerent. Ac propterea inter alia, ex sua humilitate, dixit se multa ab hoc fratre didicisse ad Orationem spectantia. Quod si talis Magister discebat aliquid ab eo, qui se profitebatur eius discipulum: signum est, discipulum in aliquo æque in altum volasse, atq; ipsum Magistrum.

CVM igitur in hac historia aliquas res notabiles retulerimus de aliquibus Patribus, & Fratribus studiosis Societatis, quos ipse P. Balthassar in spiritu iuuit: oportunum erit dicere aliquid de Fratre vno illiterato, qui in Sanctitate & scientia spiritus multos eruditos & literatos superauit: quem idem Pater non solum multum iuuit breui tempore, fecitque eum mundo innotescere; sed quod amplius est ex Diuina & speciali Dei Prouidentia, fuit virtutum eius historicus: quare ab ijs incipiemus, quæ cùm iam redijsset ex visitatione Villa-Gartiam de eis scripsit, respondens ad literas cuiusdam Patris Prouinciæ Aragoniæ, qui fœlicem boni huius fratris exitum eidem Patri significauerat, petens ab illo, vt quidquid de eius virtutibus nosset, ad ipsos scribere non recusaret.

Litera

Litera P. Balthassaris Visitatoris ad Patres & fratres Collegij Societatis IESV Cæsar-Augustæ.

LITERAS V.R. 10. Martij datas 25. eiusdem accepi: ad quas respōdere hactenus distuli ob graues occupationes. Quod ad vitā attinet F. Ximeni bonæ memoriæ, pauca ego scio; sed illa tamen bona & certa, ab ipsomet mihi dicta; dignaque quæ magni ab omnibus fiant; ab ijs præcipuè, qui illis maximè indigemus, vt nos excitēt, valde procul ab eis remanentes. Mi Pater, multa splendebant in Fratre illo, Dei seruo, mundo quidem incognito, sed Christo D.N. notissimo, & charissimo: quædam erga Deum, alia erga se ipsum, alia erga superiores & proximos.

ERGA Deum in particulari magnam habebat fiduciam (quam ipse vult seruos suos habere) de optimo eius ingenio, & visceribus tenerrimis, quæ nobis in sanctis suis Scripturis reuelauit: & hoc erat firmum eius gubernaculum, maximaque fortitudo in omnibus laboribus, & aduersis euentibus, cùm incidebant: in omnibus enim & per omnia se in eius vlnas conijciebat, eadem omnino ratione, successus omnes magnos & paruos accipiens. Oriebatur hæc eius fiducia ex eo, quod experientia didicerat; & ex profunda quadam reuerentia in agendo cum Deo, coniuncta cum fidelissima & promptissima Obedientia in omnibus, quæ intelligebat sanctissimæ eius voluntati esse grata. In cuius confirmationem aliqua particularia proferam, quæ magni facie-

faciebat, valdeque tenerè, tanquam singularem Dei misericordiam instar miraculi referebat; quale fuit illud, quo mulus ipsum ex fluuio Ibero, vbi iam submergendus erat, liberum eduxit. Superiori enim ipsum mittenti ad vehēdam aquam, dicebat, se non habere sufficientes vires, ad mulum continendum; & fluuium valde creuisse: ac propterea periculum esse, ne ad quemuis motum, & mulus & ipse submergerentur: & res ipsa, vt ipse verebatur, euenit: mulus enim, cui insidebat, ingressus est ad impetum fluminis: & cùm se iam videret perire, dixit Domino nostro cum magna fiducia: ô Domine, iam hîc nullum est remedium, nisi à te: nosti Domine, me Obedientiæ propo: suisse virium mearum imbecillitatem: ideoq; absque mea culpa in hoc periculum incidi. Orem miram! in eodem puncto mulus substitit, & in posteriores pedes erectus extremitatibus eorum valde cautè innitens, quasi homo esset, cœpit retrocedere: & inusitato adeò modo inde exijt, vt quasi miraculum iudicaret. Hæc autem experientia eius, quod in Deo habebat, diues illi fuit fodina, valdeque efficax ad ipsum à mundo euellendum ipsi verò Deo solidè adhærendum. habebatque de ipsius manu efficacia auxilia, vt fortiter ipsi adhæreret: *inprimis* magnam cordis à rebus omnibus expeditionem: de quo interdum dicebat: nihil melius, quàm expedire cor ab his rebus terrenis, Deoq; omnino tradere: nam statim tot beneficia donaq; super eum descendent, vt vix possit ad tot simul accipienda attendere. *Deindè* pacem quandam & solatium plenum, in omni genere euentuum. *Tertiò* tantam cordis sui ad Deum

conuer-

conuersionem, vt quasi nunquam eius aspectum Deus effugeret. *Quartò* magnam in Oratione sentiebat dulcedinem: & concesserat illi Deus, vt breuis somnus ei sufficeret, quò posset plus temporis, solus, & in quiete & silentio noctis, cùm occupationes Obedientiæ cessarent, nec externa adessent proximorum impedimenta, Orationi dare. Nam cum præ defatigatione ex continuato per diem labore, vix in nocte consisteret, sumeretque necessarium tunc alimentum, (nam sic laboranti fratri cibus & potus sufficiens maximè iuxta ordinem Obedientiæ, & ad peragendum in suis laboribus, tantum abest, vt spiritum impediat, vt potiùs eum adiuuet, nam (dicebat idem frater) Equi trahunt currum, non currus equos; si autem hi non comedant, nec trahere poterunt) tres aut quatuor horæ pro somno ei sufficiebant; & secunda, aut tertia post mediam noctem horæ iam vigilabat: & quod reliquum erat noctis pernoctabat in Oratione Dei in subdiali turris domesticæ: vbi suadebat, vt ego deambularem, experturus, quid illud esset. Cuius rei commodiùs gerendi causâ ab externis exuendi, induendique obstaculis Deus voluit eũ esse liberũ: dormiebat enim à longo tempore indutus, assentientibus Superioribus: quæ ratio tũ Orationi erat cõmodior, tum sanitati non nocebat: nihilq; in corpore nutriebat sordium, quæ ipsum molestarent, aut in expurgandis occuparent: sed animæ & corporis munditia fruebatur. Eius Oratio communiter erat de Christi Domini Passione, ob quosdam rhythmos, quos de ea referens, magnos sentiebat internos animi motus, vt non posset sibi à lacrymis

mis temperare. Sed hæc tunc ipse aperiebat, cùm suæ conscientię rationem redderet, vt iuxta Obedientiæ præscriptum, syncerè & candidè cum Superioribus ageret: & adhuc multa prętmittebat ad pudorem & ruborem suum spectantia. Vnum autem dicebat, recenti memoria retinẽdum. Nam interroganti mihi, de eius Orationis argumento respondit: Cogito, Pater, de Christi Passione: nihil enim aliud est, de quo sit cogitandum: nam in ea omnia continentur.

ERGA seipsum, vltra religiosam vitam, alijs similem, contemptum insignem habebat cum interna appetitionum & cupiditatum suarum mortificatione, quæ Dei voluntati aduersarentur. Id quod seriò omninò seruabat: eò quòd experientia didicerat, statim atque aliquid horum ipse prætermitteret; Deum sibi deesse; portionemque ordinariam sibi subtrahi, quam ipse omnibus huius mundi rebus proferebat; & cum qua excitatus viuaxque in Dei seruitio versabatur; viresque sentiebat aduersus omnes molestias, illud impedientes.

ERGA alios talem etiam sui contemptum prę-ferebat, vt certò statueret, quasvis molestias, & iniurias aliorum ferre; easdem verò alijs pro viribus præcauere; & omne potiùs obsequiũ (quod in se esset) eisdem exhibere: & hæc scaturigo fuit illi vitæ principium, & ingens thesaurus. Nihili faciebat verbum illud quod alios terrere solet: Quid homines dicent? gaudebat viles adeò vestes gestare, vt nihili ab alijs fieret, & contemneretur. Quare de hoc agens argumento dicere solebat: quid ad me quod me homines æstiment? & quid

& quid illud mihi proderit? potius si mei meminerint, & aliquam rationem habeant, posset me impedire; sed obliuisci & cõtemnere me, potius iuuaret. Hoc igitur, dicebat, velle deberem & quærere: non verò, quòd meum profectũ retardat.

ERGA Superiores elucebat in eo magna quædam reuerentia & respectus; vt qui clarissimis eos oculis intueretur, tanquam Dei vices agentes; & animi quoddam decretum non transgrediendi eorum mandata, etiam difficillima, pro vlla re huius mundi. Ideoque aiebat, Huiusmodi Superiores ponere ego debeo super oculos meos, quantumuis me illi mortificent, & (vt illius verbo vtar) me velint etiam sine causa & ratione exactissimè perficere, & omnibus numeris absolutum reddere.

ET hîc mihi retulit quiddam sub magno secreto, quod sibi ante aliquot annos cum quodã acciderat: in quo existimabat Superiorẽ excessisse limites ipsum premendo, in materia honoris, quẽ valde ad viuũ tetigisset, in qua tamen re virum se ipse præbuit, tam in vsu talis occasionis, Deo illã offerendo, vt fructum ex ea caperet; quã in ea occultanda: ne defectus eius alijs innotesceret, à quo fuisset adeò læsus & iniuria affectus. Et quãuis ex modo, quo ille casum referebat, videbatur reuera Superior excessisse, non adhibendo ei fidem, nec admittendo rationes, quibus ipse, quod obijciebatur, excusabat: nihilominus, quod res proficiscebatur à bono profectus ipsius Zelo: eam probationẽ direxit ipse ad maiorem ipsius Obedientiæ æstimationẽ, suũq; maius bonũ: hoc enim initiũ fuit & fundamẽtũ quo ipse magn° & excellẽs

inspi-

in ſpiritu euaderet: quòd ſcilicet ſponte ſibi moreretur, vt viueret Deo, reſeruans & in loco tuto talem occaſionem eiusque fructum reponens: Interroganti etiam mihi, quomodo ſe cum Deo haberet? reſpondit: antequam omnino me Obedientiæ ſubijcerẽ, ac traderẽ, ſemper eram inquietus, nec benè mihi ſuccedebat: at poſtquam id facere decreueram, & re ipſa præſtiti, adeò benè me habeo, vt neſciam, quid vltrà deſiderem: quod ſi Obedientia ipſo tempore Orationis in aliqua alia re me occuparet, nihil curarem quòd eam nõ haberem: modò ego obedirem; adeoque lætus & pacatus currum ſequar, atque ſi in ipſa Oratione manerem: præcipuè cùm neque ſic Oratio impediatur, nam etiam currum ſequens ſuos de paſſione rhythmos repetebat, ac meditabatur, ſuasque Dominicas precationes, earumque myſteria recolebat.

ERGA proximos valde ſitiebat eorum ſalutem, & vt omnes Deum agnoſcerent, eiusque legem ſanctiſſimam cuſtodirent: ex quo oriebatur internum quoddam conſilium ad homines iuuandos: cùm omnibus enim ruſticis, & ignaris hominibus occurrentibus, ita colloquebatur, vt incuperet ab aliqua re, quam illi libenter audiebant, ſed mox tranſibat, ad id quod ipſe cupiebat, fructum ſcilicet animarum eorum, & ita miſcebat ſermones de Deo. præcogitabat autem, quæ illis eſſet dicturus: & talem ſcientiam ac peritiam ipſius gradui accommodatam Deus ei dederat, adeoque ſuauiter agebat, vt ordinariè eos lucraretur, & in moribus ac vita mutaret, quibuſcum agebat. Et huiuſmodi rerum particularia quædam refero.

referebat, quæ dictis eius fidem faciebant: quosdam enim homines, accepta occasione, reprehendebat; alijs modum præscribebat & ordinem vitam suam more Christiano instituendi; & adiecit: hucusque se non fuisse ausum apertè de Deo cum omnibus loqui; sed cum magna cautela, & aliquibus tantum; sed imposterum se confidenter de Deo cum omnibus collocuturum: hoc autem ita tenerè proferebat, vt lacrymæ ex oculis fluerent. Semper loquebatur de verbis Dei; ita in eos sermones prorumpens, vt non posset se continere: cuius rei in isto Collegio vestro satis multi sunt testes, qui ad prædium ibant, omni exceptione maiores. Cuius sinceritatem, & cordis veritatem, fœlicemque in huiusmodi sermonibus progressum & exitum aduertens, non habui animum eos illi prohibendi; cùm tamen priùs, ad rē ipsam attendens, cogitassem eum monere, vt sibi ab eis temperaret. Rerum internarum magnam habebat lucem; eamque satis ostendebat; cùm in prædio aliquid proponebat ex ordinatione Obedientiæ. Quidquid hactenus de eo scripsi & plura quæ vobis sunt nota, bonum testimonium & confirmationem habuerunt ex eius adeò exemplari fine vitæ, & ex die mortis, quem nouit & significauit octo dies antequam accideret; cum tot alijs particularibus circumstantijs vobis satis notis. Superest nunc, vt cùm ego hic retulerim, quæ memoriæ occurrerunt ad vestrum solatium; & quia id à me petiuistis: vt & vos tantundem ad meam petitionem faciatis, mittendo ad me descripta, quæcunque de eo collegistis, & rhythmos præterea, quos ipse fecit & in prædio canebat; & quos

de passione Domini in suo curru meditabatur; & simul indicãdo, vnde esset oriundus, & cuius ætatis, & quot annis in Religione vixerit: nam diem obitus eius iam noui: quem Deus vtrique nostrum det æquè felicem: sitque IESVS in anima R. V. totusque eius amor & solatium Amen. VILLAGARTIAE, die Sanctorũ Philippi & Iacobi, 1579. Hæc est virtutum Ioannis Ximeni series & relatio, quam bonus eius Superior & Pater scripsit: prodens eadem opera satis apertè propriam facultatem ac talentum ad cognoscendam virtutem & spiritum suorum subditorum, qui vt bonus Pastor benè suas oues nouerat.

CAPVT XLV.

QVAEDAM ALIA IOANNIS Ximeni memoranda, & nominatim quæ cum Patre Balthassare ei euenêre.

PRAETER ea quæ P. Balthassar in præmissa sua Relatione scripsit, operæ pretium erit quædam alia addere, aut ab eodem Patre verbo relata, aut certa alia via cognita, de ingenti & præstanti huius fratris religione, & spiritu, qui semper fuit valdè propensus ad rationis dictamen sequendum, & in eadem propensione plurimum profecit in ipsa relig-

religione, ex præclaro sententiæ illius sensu, quem suprà insinuauimus, sequendi scilicet dictamen trium superiorum, Dei, Prælati, & Rationis; quamuis omnes tres sint vnus, ipse scilicet Deus: qua via valdè in omni virtute proficiebat. Cap. 21.

AB ipsis etiam suæ religionis initijs magnum studium & vim adhibuit, vt persequeretur, & repugnaret omnibus naturæ propensionibus, strenuè retundens eius impetus; & omnes ab ea prouenientes repugnantias viriliter vincens. Quando ex prædio ad Collegium redibat aliquid portans, præter exercitium Orationis se ipsum interrogabat, sibiq; respondebat. exempli causa: quò vadis Ximene? ad Collegium, vt paululum ibi quiescam. Quod si statim atque perueneris, iubereris hunc aut illum laborem subire? respondebat, non iubebunt: quia sum valde defatigatus. Quod si nihilominus id facere iubereris? dicebat: libenter faciam. Idque statim confirmans, dicebat: vtinam, Deus meus, id iubeant. Nec raro, Deo ita volente, vt eius votis satisfieret, euenit, vt statim atque fatigatus ex campo redibat, id ipsum ei faciendum imponeretur, de quo ipse in itinere ratiocinabatur: & tunc id faciebat promptissimè ac diligentissimè; & nominatim, si fimum ex stabulo auferre, aut communia loca purgare, aut huiusmodi vilia Officia præstare iuberetur: ad quæ vt se magis mortificaret, potius quàm ad alia propendebat. Sæpe etiam ipsemet offerebat se aliquibus diebus festis ad partes coci in culina

obeundas vt cocum ipsum subleuaret. Cùm diè quodam rudera ex Collegio eueheret ad ripam fluminis, occurrit ei: fore sibi aliquo modo graue, si absque veste, in solò thorace id faceret: Sed quoniam non licebat ei extra domum exire sine tali veste: hoc inijt consilium, vt coram P. Rectore sine tali veste transiret: cumque Pater Rector non iussisset vestem induere, existimauit illam facultatem sibi sufficere, & ita tota die rudera eueexit tantùm in thorace. In his & similibus occasionibus, in quibus existimabat, se posse mortificare, absque læsione Obedientiæ, ita studiosè id faciebat, vt nullam prætermitteret.

§. I.

SED multò libentiùs & hilariùs occasionibus illis vtebatur, quas Obedientia offerebat. Quodam die festo mane, in pœnam alicuius incuriæ, iusserat P. Rector, ne comederet: & postea P. Minister misit illum ad prædium, nec voluit accipere quicquam secum, quod comederet; redijt vesperi benè esuriens, sed iuit ad sanctissimum Sacramentum, vbi orans, voto se obstrinxit, Obedientiam sibi iniunctam ita expletudi: vt, nisi iuberetur, non comederet: & quamuis pulsaretur ad cœnam, ipse mansit in suo cubiculo, donec Deus ita prospexit, vt cùm P. Rector omnium vltimus ad cœnam se conferret, interrogaret, an aliquis superesset, qui cœnam non sumpsisset, cui cùm diceretur: Ximenum non venisse ad mensam, quia missus esset ad prædium; iussit, illum vocari, & interroganti, cur non venisset ad cœ-

nam, ille respondit: quia R.V. prohibuit comedere. Ex hac adeò exacta Obedientia ædificatus Rector, iussit eum cœnare. Alia die veniens ex prædio, vt aliqua necessaria pro familia acciperet, dixit quidem Superiori, cur venisset; sed is tacens, fingebat se non audire, vt illum mortificaret: Ximenus, quòd festinaret, bis, ter repetijt, quod petebat, & nihilominus Superior per integram horam stantem ibi detinuit, nec respondit. Postea existimans ipse Ximenus, se deliquisse, quòd toties repetijsset, quid quæreret, promisit Deo, si aliquid simile alia vice sibi occurreret, se contentum fore, vel semel dicendo quid quęreret; relinquendo Superiori, vt façeret, quod luberet. Redijt sequenti die propter eandem causam, dixitque Superiori: Venio Pater pro rebus necessarijs, & ita conticuit; & responsum per tres horas exspectauit: vacans toto tempore Orationi coram crucifixo ibi existente, donec P. Rector, videns eius resignationem & patiẽtiam, iussit accipere, quod quærebat. Hunc in modum multa alia valde memoranda ei acciderunt: & quod P. Balthassar in suis literis reddidit, cum iuit ad Iberum fluuium cum mulo, fuit ab omnibus pro miraculo habitum: quod ipsemet Ximenus tenerrimè recolebat, suauitatem agnoscens prouidentiæ Diuinæ, succurrentis in huiusmodi pressuris & angustijs, ijs qui suam fiduciam in illa ponunt, vt Superiorum iussa exequantur. Et vt appareat, quanti Dominus noster faciat hunc Obedientiæ modum, referam quod quædam die ei accidit oranti in Ecclesia coram imagine Beatissimæ Virginis, singulari enim affectu eam rogans, vt ipsum iuuares,

atque ita dirigeret, vt ſalutis viam rectam teneret: vocem audiuit dicentis: perge, Ximene, per iſtam cœcæ Obedientiæ viam, quam tenes; nam rectà pergis. Poſt hanc vocem valde ſenſit ſe adiutum, & in eadem virtute proficere. Cùm ſuæ conſcientiæ rationem Superioribus redderet, & interrogaretur, an ſentiret ſe ad perfectionem aſſequendam excitatum, reſpondebat: ab ea nocte, qua beatiſſima Virgo me eſt allocuta, ita benè, vt neſciam quid ampliùs deſiderem; hoc ipſe dixit P. Balthaſſari, qui ea nobis communicauit.

SED quid dicemus de ingenti eius erga paupertatem amore? nam quæ viliſſima domi erant ſibi accipiebat, in cibo, veſtitu, & reliquis; ſæpius etiam dormiens in ipſo ſtabulo ſuper ſtramen, quò ſe conferebat ſub prætextu dandi mulo pabulum. Sed multò tamen pluris faciebat paupertatem ſpiritus, ſine qua parum exterior valet. Fratri cuidam ei dicenti, quàm ineptas veſtes habes chariſſimè, & quàm exactè paupertatem colis! Ximenus reſpondit: ineptas veſtes habere non eſt paupertas: quid igitur? ait alter: paupertas, inquit, eſt pax animæ & corporis, quãdo omnia deſunt: cùm enim quis aſſueſcit ineptas geſtare veſtes, & calceos, & malè comedere, ita vt quiduis illi ſatisfaciat, & boni cõſulat, imò ſe etiam illis indignum iudicet: hæc eſt pax corporis & animæ, quam non habet, qui non eſt contentus ijs, quæ illi dantur, etiam cum bona ſunt; ſed potius conqueritur & murmurat de eo, qui dedit; eò quòd palato ſuo non arrideat. Idem aliàs multò melius ſignificauit, adhibito exemplo, cuidam interroganti quid eſſet paupertas? ſi quis, ita-

quit,

quit, hortũ aliquẽ varijs arboribus alijsq; elegantibus plantis conseuisset, & postquam optimè coluisset, & in bonum ordinem redegisset, sequenti die euulsas omnes arbores, & plantas destructas inueniret, nec tamẽ propterea turbaretur, aut pacem suam amitteret: iam hic esset vestigiũ aliquod paupertatis. Paupertas igitur spiritus est, quod quis exuat se ab omni eò quòd non est Deus: quod si quid amet aliud, aut molestiam illi adferat, nisi quod non seruiat Deo propter se ipsum; aut quod idem qui adeò bonus est, ab aliquo offendatur: non est in eo vera spiritus paupertas.

EXCELSAM hanc Philosophiam didicerat Ximenus non in libris, sed in Oratione cum vnctione Spiritus sancti, docentis præclarissimas veritates absque argumentorum strepitu: & multæ tales ab illo audiebantur: optimè enim & magna cum voluptate loquebatur de Deo, & spiritualibus, cùm erat inter eos qui vellent ipsum audire. Cùm P. Balthassar Visitator esset in prædio, cui nomen IESVS de Monte cum P. Prouinciali & alijs Patribus, voluit, vt Ioannes Ximenus tempore mensæ loco lectionis, quæ haberi solet, cancionaretur, aut diceret quòd sentiebat circa vnum caput Thomæ de Kempis. His autem adeò exacto rationum ordine, tanto spiritu, & affectu locutus est, vt omnes auditores, viri alioquin valde spirituales, obstupescerent sanctam Idiotæ illius Fratris sapientiam: Nec finis fuit mensę sine lacrymis, quod Pater Balthassar prædium ingressus, futurum prædixerat non defuturas scilicet lacrymas ad mensam. Audiui (non satis scio an ipsummet Patrem Balthassarem, an aliquem alium)

Ximenum inter alia vnum dixisse valde ad rem pro ijs, qui eruditionem habent sine spiritu. Occurrit, inquit, proximè mihi currus hordeo oneratus, quem duæ mulæ in specie satis magnæ & robustæ trahebãt: sed hæsitabant in luto, nec poterant progredi, donec ego & alij transeuntes, rotis aliquantulum eleuatis, eas iuuimus; auriga ipso clamoribus & baculis eas impellente. Tandem ex luto exiuerunt, interrogaui aurigam, qui fieret, vt mulæ adeò magnæ & robustæ non potuissent currum ex volutabro illo attrahere? respondit ille, causam esse: quod essent macræ, & parum comederent. Cum ego vrgerem, cur non comederent? respondit, non esse defectum hordei, siquidem currus eo erat plenus: sed quòd illis non daretur. Tunc (inquit Ximenus) occurrit mẽti meæ quòd aliquibus viris doctis, præclaris cõcionatoribus, & Magistris euenit: qui etiam solent in via perfectionis hæsitare, ita vt nec passum progrediantur, eò quòd valde sint macri ac debiles in spiritu. non quòd desit illis spirituale alimentum, siquidem currus intellectus eorum spiritualibus veritatibus est plenus, quas docent alios, & pro concione proferunt; sed quòd eas non comedant, nec sibi ipsis in meditatione applicent, vt corda sua permoueant ad feruenter reformandam vitam suam. Hæc dixit cum tanta spiritus vehementia, vt similitudo, quæ initio videbatur ridicula, post applicationem factam fletum excitaret.

* * *

§. II.

§. II.

ALIAS quoque particulares habebat Ximenus deuotiones, indices eius feruoris & sanctitatis, adeò erat aquæ benedictæ piè addictus: vt, cùm in reparatione templi laboraret, quoties prope aquæ benedictæ Oratorem, etiam vectabulo oneratus transiret, ibi hæreret, vt aqua benedicta piè valde se aspergeret; & quando pulsabatur ad Aue Maria, etiãsi valde esset occupatus aut onerat° in eodẽ labore, statim omnia dimittebat, genuq; flectebat, vt oraret. Et voluit se mel Deus ostẽdere, quã sibi esset pietas hæc accepta edito quodam miraculo. Nam cùm templum illud Cæsar-Augustanum ædificaretur, & Ximenus cum quodam alio. Fratre socio ingens saxum quadratum per erectos præcipites pontes sursum vertentes impellerent, cumque illud prope finem iam esset, non super partem planam iacens, sed super singularem hærens, signo ad Aue Maria audito, Ximenus statim saxum dimisit, vt oraret: quod idem socius Dominicus Clauetus, eius exemplo motus, fecit: quamuis existimaret, saxum per pontem adeò decliuem præceps ruiturum: sed etiamsi aliàs adeò esset graue, vt vix vterque illud vertendo sursum promouere posset: hæsit tamen super suum angulum: Oratione autem finita, ad illud accedentes vno impetu ad locum suum impulerunt, non sine stupore eius quod acciderat. Post Sacram communionem in prædio aliquoties exibat ad campos, quasi cum non caperet domus, vt liberius ibi cor suum resibularet, & suspirijs exclamationibusq; in cœlum spiritum relaxaret.

CVM ex prædio ad Collegiũ rediret, secũ portabat Ludolphum Carthusianum, librum adeò magnũ, vt in ipso itinere legere posset; & cùm domi tres aut quatuor lineas legisset, dicebat: eamus nunc ad ruminandũ: ouis enim, nisi ruminaret, nõ pinguesceret. Paucis libris contentus erat. nã toto tẽpore, quo vixit in Societate, septendecim scilic. annis, duos tantum libros legit: & primis quidem septem Epistolas S. Catharinæ Senensis; reliqua vitam Christi prædicti Ludolphi: & P. Balthassar vno mense ante eius obitum, ei tradidit libellum qui inscribitur Contemptus Mundi, cùm iam ipse totum in suam animam transfudisset.

ERAT quoq; animabus Purgatorij valde addictus, pro quarũ suffragio ac refrigerio multa bona opera & nominatim Sacrã ipsam cõmunionẽ, quæ ex se est opus omniũ maximum, offerebat. Præter dies Dominicos, quibus Coadiutores in Societate ex Regula cõmunicãt, solebat facultatẽ petere, vt etiam in festis cõmunicaret: sed, antequã illã peteret, rẽ cum ipsomet Domino corã sanctissimo Sacramento conferebat, dicens intra se: Superior ex hoc dubio me educet: si n. facultatẽ dederit: signũ est, Deum id velle; si negauerit: signũ erit, Deo non placere: sed in omnẽ euentũ antequã facultatẽ peteret, cõmunionem illam pro animabus Purgatorij offerebat, quarum necessitatẽ existimabat esse valdè magnam. Hęc eius pietas valdè creuit ex eo, quòd die omniũ Sanctorũ existẽti in templo Collegij corã imagine cõceptæ Virginis incidisset illi scrupulus ob exiguam cõpassionem animarũ, quæ erant in Purgatorio: quæ dum cogitat, audiuit vocem apertè dicentẽ: Ximene, memor esto animarũ Purga-

Purgatorij: cui ipse prōptissimè respondit: faciam Domine. Et ab eo tempore vsque ad suum obitum, per octo scilicet annos obtulit omnia bona opera sua externa & interna mortificationis ac deuotionis in suffragium earum animarum.

AD particulares actiones, & occupationes particulares etiam considerationes adhibebat. laborans die quodam in vinea cum alio fratre, qui valde diligenter ac celeriter opus faciebat, iudicauit Ximenus eum deuotionis & spiritus obliuisci: ideoq; illū demissè admonuit: ille præferēs suam diligentiā tarditati Ximeni (erat enim aliàs natura phlegmaticus) dixit ei: & charissimus Frater qua deuotione laborat, qui adeò tardè procedit. cui ille: quando ascendo, inquit, sequor Beatissimam Virginem & S. Iosephum, eūtes in AEgyptū, quibus me offero, vt opera mea in re aliqua vtantur; quādo autē descendo, redeo cū eisdē in Nazareth. Et hac ratione piā semper aliquā considerationem inueniebat, suis occupationibus accōmodatam.

ALIA quædam valdè memoranda euenerunt P. Balthassari cum Ximeno ex occasione cuiusdam Fratris, qui simul cum ipso manebat in prædio, ad illud colendum. Is enim aliqua fortè inuidiola motus (quæ solet interdū etiam inter bonos & in rebus officij ipsorum suboriri) accessit ad P. Visitatorē, dixitque: nō expedire, vt Ximenus curā currus haberet: nam interdū adeò mente eleuari, vt nō satis attendat, quomodo eū dirigat; ac propterea semel rotam transiuisse super quandā puellulam: offerebat autē se ipse ad currus curam habendam, ad quod P. Visitatori persuadendum aliquas alias adferebat rationes. Pater iussit vocari

Xime-

Ximenum, quem de casu puellulæ interrogauit: qui respondit, se non scire quomodo res accidisset, sed licèt rota super eam transijsset, nullum tamen intulisset detrimentum: nam se Domino Deo illam commendasse, dicendo tantùm: IESVSte adiuuet. Intellexit ergo P. Visitator: casum fuisse prodigiosum. & paulò pòst vocato ad se alteri Fratri, dixit: geras inposterum currus curam, vt petebas; sed scias, me non liberare Ximenum ob eius in ea cura defectus, siquidem, quos tu retulisti, tales non sunt: quare petas ab illo veniam; & caue, ne te Deus puniat, permittens infœlicem aliquem casum tibi euenire. Postquam autem P. Visitator Prouinciam illam reliquit, elapso integro anno & aliquid fortè plus, opus fuit, vt Frater ille cum curru iret ad vehendum aliunde sal pro Collegio; & in reditu, medio à Cæsar-Augusta milliari propè S. Amberti cœnobium, circa Solis occasum mulus, relictâ rectâ & satis lata via, impetu quodam ascendit quendam collem, non valente Fratre eum detinere: in quo ascensu currum euertit, & Fratrem ipsum deiecit in terram: ex quo casu statim mortuus est: & quoniam serò iam erat, nullus propè fuit, qui iuuare illum posset. Manè venerunt ad Collegium quidam rustici id significantes, ac dicentes, se illum iam mortuum inuenisse absque vllo aliàs vulnere. Vt sic, quòd Pater Visitator prædixerat, impleretur. Est autem valde credibile, eam p[illegible]nam fuisse tantùm temporalem: nam Frater ille tum bonus & pius erat Religiosus; tum pridie confessus erat & communicauerat. Nec mirum est, etiam in huiusmodi leues aliquos defectus inuenire

niti, qui purgatorio igne postea expurgentur.

DENIQVE absolutâ sua visitatione Pater Balthassar, ostendit spiritum prophetiæ, quem acceperat. nam in ipso suo Cæsar-Augusta discessu dixit illis Patribus, vt attenderent charissimo Ximeno, cui breui esset moriendum. eodem autem die redijt Ximenus ex prædio ægrotus ex vehementi febri; nec ampliùs è lecto surrexit: sed toto ægritudinis tempore raram conseruauit patientiam, qualis facilè ex prædictis deducitur. Qui præuidens, breue sibi superesse tempus merendi, & comparandi sibi diuitias nunquam perituras, maiorem in singulis rebus diligentiam adhibebat. adeò enim erat ad sua interiora collectus, & cum Deo coniunctus: vt videretur ad nihil aliud attendere, neque morbi accidentia eum à tali attentione impedire; sed excitare potiùs, & ad id iuuare. Nunquam est locutus, nisi interrogatus; quòd si interrogatio esset de Deo, respondebat præclarissimè. Interroganti Patri Prouinciali Petro Villaluio: num desideraret tunc ire ad cœlum, & an id à Deo peteret? respondit: Pater, simus nos boni, Deoque vt par est, seruiamus: & deponamus curam & solicitudinem de reliquo: relinquentes illud in eius manibus, qui cùm sit infinitè iustus & bonus, remunerabit nos pro meritis. Addidit verò: quòd petere cælum, poterat prouenire ex amore proprio. Infirmario porrigente ei cibum, adfuit alius quidam Frater, qui dixit: charissimè Ximene,

cur

cur nihil mihi dicis? cur non es hilaris? cui Ximenus, Asellus est defatigatus, & iam ad discessum intra octiduum præparatus. Et ita euenit: nam cùm hoc ille feria tertia dixisset, eadem tertia feria post octo dies obijt. Cùm sexta feria ante mortem idem Frater apud ipsum vigilaret, anxiumque ac defatigatum videret, ab eo quæsiuit, quid haberet: cui Ximenus respondit, se nihil tunc sentire: sed paulò post illi dixit, certè charissime, præ omnibus hominibus, qui sunt in mundo, sum ego iam consolatus. Die autem Dominico visus est ad extremum peruenisse: ideoque P. Prouincialis & reliqui præsentes ei illi dicebant, quæ tali tempore erant opportuna, cogitantes, illum ad noctem non peruenturum: & quidam Pater ei dixit: an non expediret charissimè, vt Christi passionem iam tibi legeremus? cui respondit: adhuc non est tempus; ego R. V. tempestiuè monebo: & replicanti Patri, præstare tunc legi, cùm ipse adhuc sensibus polleret, quorum vsum fortè postea non haberet: respondit: habebo, Pater. Feria secunda nocte idem Pater apud ipsum vigilauit, cui Ximenus iam satis tardè, dixit: iam tempus est Pater passionem Christi legendi. Congregatis ergò aliquot alijs Patribus postquam passionem legissent, medio circiter horæ quadrante post mediam noctem cùm iam feria tertia incepisset, spiritum Deo reddidit cum tanta pace, tranquillitate, & suauitate, vt vix, qui aderant aduerterent, donec mortuum viderunt.

MVLTI Patres & Fratres, qui aderant, ad pedes eius se proiecerunt, & magna cum veneratione, &

ne, & sanctitatis eius opinione illos osculabantur. suprà cubiculum, in quo ille mortuus est, iacebat grauis quidam Pater dormiens in lecto, qui eodem momento, quo Ximenus exspirauit, ex improuiso cum aliquo pauore excitatus, magnam in suo cubiculo vidit claritatem, quæ breui euanuit. Obijt die 24. Feb. Anni 1579. à quo tempore ad hodiernum vsque diem conseruatur valde recens & fragrans sancti huius Laici Fratris memoria, tanquam exemplaris perfectionis omnibus nostris Coadiutoribus, & etiam reliquis. Eodem die fœlicis eius obitus aut paulò post apparuit P. Balthassari Aluario in quadam pressura, in quam incidit dum iter faceret, vt in proximo capite dicetur.

Petrus Iustus.

CAPVT XLVI.

NOMINATVR PROVINCIALIS Peruanus, & reuertenti Villagartiam prodigium quoddam accidit.

CVM P. Balthassar adhuc in Aragonia versaretur circa finem suæ visitationis, & cum iam nauem conscendisset vt in Maioricam transfretaret, (quæ Insula ad eandem pertinet Prouinciam) adeò malè illum excepit mare, vt sensuum vsu quasi priuatus coactus

ANNO 1579.

coactus fuerit iter illud omittere: & tunc voluit Deus D. N. illum probare quodam nuncio, quod esset nominatus Prouinciæ Peruanæ Prouincialis, id petente, & pro eo obtinendo instante P. Balthassare Pinnio, qui illius prouinciæ Procurator venerat Romam, acturus de eius negocijs cum Patre nostro Generali, à quo P. Aluarium impetrauit: sibi persuadens, eum magno suo spiritu ac Zelo promoturum illic nostrorum feruorem, & occupationem in Conuersione Indorum. Hanc Superioris ordinationem cum magna animi tranquillitate & voluntatis suæ resignatione & conformitate cum Diuina, acceptauit. Et quamuis expertus esset, quàm malè illi succederet in mari, & quòd sentiret recens aliquod vrinæ impedimentum, à quo grauiter premebatur: non tamen propterea voluit repugnare, aut conqueri, quòd non prius actum secum esset de perfectione ad Regiones adeò remotas; sed remisit se totum prouidentiæ Dei, gubernantis nos per nostros Superiores, vt constat ex literis Cæsar. Augustæ ad prædictum P. Pinnium datis, quæ sunt huiusmodi. Si ex Deo est consilium hoc, non poterit dissoluí. Exitus acta probabit. Quod si vocatus sum in Indiam, nihil hæc vocatio apud me amittet, eò quòd non mihi, sed capiti meo ea sit proposita: hic siquidem est stylus cælestis curiæ. Quando voluit Deus, populum suum exire ex AEgypto, & migrare ad terram sibi constitutam, non quidem ei cælauit hoc concilium, non tamen eidem immediatè illud reuelauit, sed Moysi: a *notas*, inquit scriptura. *fecit vias suas Moysi*, & per eum populo; *& filiis Israel voluntates suas*. Quàm grauiter me

a *Psal.*

me mare tractauerit, potuissem proponere; sed R. V. id faciet, si iudicauerit alicuius esse momenti. Quod si id audiens Pater noster Generalis, adhuc perstiterit in sentētia: b *odoretur Deus sacrificium.* Laboribus R.V. per mare & per terram, hinc cōpatior; inde inuideo. Qui R. V. strenuum adeò ac potentem efficit, poterit & mihi vires addere. Idem R.V. diuinas augeat, & humanas, sitque tua lux & vita Amen. Hæc P. Balthassari & quòd in se fuit, in eadem voluntate perseuerauit, c *fortitudinem* suam (vt ait Propheta) *in silentio & in spe* ponens, omnibus, qui illum nouerant, admirantibus, & profectionem illam grauiter ferentibus. Et cum ipse D. Ioannam Vellassiam Gandiæ Ducissam, propter hanc causam valdè contristatam, consolaretur, dixit: multi sunt anni, ex quo in negotijs & rebus me contingentibus, nihil loquor; sed plus temporis Orationi tribuens, permitto Deo, & Superioribus meis eius nomine, vt de me disponant. Sed idem Dominus ita huic negotio prospexit, vt pro tacente alij loquerentur, præcipuè D. Magdalena Vlloia domus Villa-Gartiensis Fundatrix, cuius domus ille erat Rector, cùm mitteretur in Aragoniam. Illa igitur adeò instanter apud P. Generalem egit, vt pro consolatione sua, & animæ vtilitate Patrem ibi relinqueret, vt non potuerit eius petitioni non annuere: accedentibus etiam rationibus, quas huius prouinciæ Patres ad eum retinendum attulerunt.

b 1. Reg. 16. 19.

c Isaiæ 30. 15.

SED non negligam perpendere, quàm occulta sint Dei iudicia, & quam tutum nos diuinæ eius Prouidentiæ committere! nam eodem ipso anno mors, quam ex nauigatione timebat, aggressa il-

lum est in terra, ex qua illum abstulit. Quod si ille Superioris Ordinationi restitisset: dixissemus, hanc fuisse pœnam eius culpæ; vt in idem incideret incommodum, quod fugiebat: & sic meritum suum amisisset; diemque suum, non sine remorsu conscientiæ, ob repugnantiam præteritam, obijsset. Sed, quòd se permiserit à Deo & occulta eius Prouidentia gubernari, omnia illi fœliciter cesserunt: quia retinens meritum voluntatis in Indias traijciendi, mortuus est in loco & tempore à Deo constituto cum magna animi sui pace & tranquillitate.

SED redeamus ad nostram historiam. Imposuit P. Balthassar Aluarus visitationi suæ Aragonicæ finem cum tanta totius prouinciæ satisfactione & approbatione, vt de eius discessu valde dolerent, eumque primo loco cum magna instantia Prouincialem suum peterent. Cùm omnibus vale fecisset, & Patrem Prouincialem Petrum Villaluium (qui eum comitatus est Agredam vsque oppidum in finibus Castilliæ situm) cum multis lacrymis dimisisset: prosecutus est iter suum cum socio, & transiuit per Cerueram patriam suam, vbi ad paucos dies hæsit; inde discessit versus Burgos. In quo itinere, sicut in alijs, paternam Dei D. N. prouidentiam expertus est in se, & in ijs, qui ipsum comitabantur, inter quos tunc erat Frater eius germanus nomine Gaspar Aluarius, (vir non vulgaris momenti) qui de Creuerat cum famulo pedite Patrem Burgos vsque comitari. Tempus erat valde molestum ob pluuias & niues; & itinera quæ in locis aliquibus planis, paludes potius, quam viæ ad profici-

scen-

ſcendum aptæ, viderentur: ſed vltima dies fuit multò importunior, eò quòd continuè tota ipſa die pluerit. peruenerunt autem tempore prandij ad quoddam hoſpitium, vbi quidam homines ludebãt, &, vt moris eſt, ſanctũ Dei nomen ad ſingula verba peierabant. A quibus vir ſanctus, propter Dei amorem petijt, ne iurarent. Sed illi toti luſui immerſi, eius admonitionem non admittentes, peiora faciebant: ex quo tantum dolorem Pater concepit, videns, Deum ſuum ita grauiter, & ſine cauſa offendi, vt ſine vlla mora, nec mulabus quidem quieſcere permiſſis, nec vllo ab ipſis cibo ſumpto, ipſemet ſtabulum ingreſſus mulam ſuam eduxerit, eamque conſcendens ex hoſpitio exiuerit, alios hoc exemplo impellens vt ipſum ſequerentur. Perrexerunt per aliquot milliaria copioſiſſima ſemper pluuia deſcendente: nec inuenientes oppidum, aut pagum, nec perſonam vllam, à qua dirigerentur. Præcedebat Sanctus Pater communiter reliquos, ad iactum lapidis, vt recollectior eſſet ad orandum. Sed cùm ad quandam planitiem peruenisſet, adeò aquis redundantem, vt flumen aliquod videretur, cùm iam nox inciperet, nec poſſet viam inuenire, qua eundum eſſet: oportuit reliquos expectare. qui cùm acceſſiſſent, omnes hærebant, quòd circum circa aduerterent ingentes lacunas. Exhortatus eſt eos Pater, vt ſe Deo commendarent, eiq; confiderẽt, & auxiliũ ac directionẽ ab eo ſperarent. Omnes id ſeriò & ex animo fecerunt: & poſtquã aliquãtulũ cõſtitiſſent, & clamaſſent, ſi fortè aliquis opilio audiret, aut peregrinus veniret, qui deduceret: cùm nullus omninò

compareret, adfuit Dominus noster cum opportuno subsidio. Viderunt enim repentè comparere quendam Equitem in albo equo, qui accedens, interrogabat, quò iter suum dirigerent; & cùm responderent, se tendere Burgos, dixit ipse valde suauiter: pergamus ergo omnes, sequimini me, ego enim optimè teneo viam; & qua parte ego perrexero, tutò potestis sequi. Præcedebat ille in albo suo Equo, quem ob illum colorem etiam noctu meliùs poterant distinguere. Inuenerunt inter eundem iumentum lignis oneratum, iacens in via sub onere; & puerum propè valde afflictum, qui illud ducebat, sed iuuare non poterat: eques, qui præcedebat, nihil hærens tactu solo iumentum è terra in momento erexit. Dubitabant interdum ipsi, an deberent duci illi fidere, eumque sequi, cùm viderent, se per medias aquas deduci, nulla apparente via: nihilominus sequebantur, qui securos eos reddebat, & animum eis continuò addens, dubitationem ac metum repellebat. Postquam ex illis lacunis & laminis euaserunt, conuiunxit se eques ille P. Balthassari, & simul longo satis tractu à reliquis, iucundis quibusdam colloquijs colloquentes præcedebant. Frater P. Balthassaris, videns eos ita festinare, & famulum peditem non posse ita properare, ob defatigationem ex itineris difficultate: clamauit ad Patrem, rogans ne ita properarent, & vt compaterentur famulo pediti, imò omnibus, quos celeritate sua quodammodo raptabant. Vix loqui cessauerat, cùm vidit propè se & famulum equitem illum, etiamsi satis procul aliàs esset, vt diximus; & famulum per manũ accipiens, tanta facilitate super equum

equum retrò locauit, atq; si fuisset fasciculus aliquis straminis. & statim redijt eques ad inceptam cum Patre collocutionem: donec decima hora noctis Burgos peruenerunt. Voluit tunc P. Balthassar suo Duci valedicere, vt Fratri suo dicere posset, quæ illic esset facturus: at Dux id non admisit, dicens: se velle illos vsque ad Collegij portam deducere, per quam essent ingressuri; & inde se discessurum: & ita præcessit eos deducens, famulo super equum retrò insidente: & cùm ad portam peruenerunt, iussit eum descendere; posuitq; campanulæ funiculum in manu, vt pulsaret; & in momento eques disparuit ita vt nullus nec ad vnam nec ad alteram partem eum discedentem viderit, quamuis famulus attentè id obseruaret; neque qui retrò veniebant satis propè eum etiam videre potuerunt: adeò vt P. Balthassaris frater aduerterit, eum disparuisse: attendebat enim, vt accederet, & pro tanto beneficio gratias ageret: & cùm Patrem ipsum interrogaret, vbi eques ille esset: respōdit, eum discessisse, quia haberet quòd ageret, & ita Pater ingressus est Collegium; eius verò Frater contulit se ad domum Doctoris Ioannis Moralis Salcedij affinis sui: vbi tanquam prodigium narrauit, quod acciderat: asserens, non potuisse esse nisi Angelum, qui illos deduxisset, nullum enim alium etiam itineris benè peritum potuisse ipsos per vias adeò aquis plenas & inuias deducere; nec cum tanta celeritate ad locum peruenire, vbi famulus erat, eumque tanta facilitate retrò super equum collocare, absque alio adiutore, nec adeò repente disparuisse, nisi qui Angelus esset. Idem famulus affirmabat: Frater au-

tem Ioannes Nauarrus, ſocius Patris Balthaſſaris occultè inſinuabat, equitem illum album fuiſſe Fratrem Ioannem Ximenum, de quo proximè diximus: cuius obitus eodem hoc tempore euenit; fuit verò à Deo miſſus ad illos deducendos: & Patri dixiſſe: quoniam me in vita honoraſti, miſit me Deus, vt ex hoc periculo te deducerem. Et quamuis vir ſanctus ſua humilitate hæc tegere volebat, & hoc miraculum imminuere: nontamen potuit euertere quod alij tres tam verè & aſſeueranter promulgauerant. Eſtque valde credibile, Deum Dominum noſtrum voluiſſe, Beatum illum Fratrem hac ratione reddere bonum, quòd à Sancto illo Patre acceperat, faciendo illum participem gaudij ſui in longa illa familiaritate & colloquio, quod cum illo in itinere habuit; & eruendo eum ac ſocios à prædicto periculo.

PAVCIS diebus Burgis hæſit, fouendo animas illas, quas ad viam perfectionis alias deduxerat: & ita ſe contulit ad charum ſuum Villa-Gartienſem angulum, vt quiete quam aliàs ibi habebat, potiretur: in quo valde lubens per totam vitam manſiſſet, ſi fuiſſet illi conceſſum.



CAPVT

CAPVT XLVII.

QVID FECERIT VILLA-Gartiæ cum iis qui studiis absolutis tertiam probationem agebant: & quædam alia notatu digna.

VENIENS P. Balthassar Villa-Gartiam, redijt cum vsitato suo feruore ad munus Magistri Nouitiorum & nominatim eorum, qui, Theologiæ studijs absolutis, tertium suæ Probationis annum habituri erant, iuxta Societatis constitutiones: quod ipsum, vt fieret, seriò omninò constituerat, qui recens fuerat missus Visitator à Patre nostro Generali, eò quòd magni sit momenti ad spiritum reparandum, qui literarum studijs & exercitationibus solet debilitari; & ad discendum, aptè coniungere scholasticam Theologiam cum mystica spiritus scientia, & familiaritate cum Deo; & seriò attendendum ad proprij iudicij & voluntatis mortificationem; & propensionum, quæ recens eruperunt, aut studiorum tempore apparuerunt, cùm priùs quasi extinctæ & tectæ fuissent. Et quoniam qui huiusmodi literaria exercitia peregerunt, aperuerunt oculos, quos Tyrocinij tempore clausos habebant; ac multa viderunt, quæ priùs

ANNO 1579.

non intelligebant, aut non aduertebant:ij multò magis proficere possunt tertio hoc anno, quàm duobus illis primis:& si seriò, & ex animo ei attendatur, est optimum tempus, quod sit in religione. Et si loquendum mihi est iuxta commune prouerbium, de foro aut nundinis, sicut in eis mihi euenit:affirmo, ad gloriam Dei, quod in quadraginta annis, quibuscum hæc scribo in Societate maneo, non habuerim annum meliorem & fœcundiorem quàm illum. Tunc enim Dominus mihi oculos aperuit, vt cuperem valde seriò ei seruire:ad quod plurimum me iuuit, quod talem sortitus fuerim Magistrum, Patrem scilicet Balthassarem, quod valde fuerat mihi in votis. Cùm enim illo anno 1579. circa festum S. Lucæ sexdecim, qui studia nostra absolueramus, ad tertiam Probationem ituri essemus, octo Metinam, & octo Villa-Gartiam: valde ego optaui, & egi, vt irem Villa-Gartiam, vt maiori quiete, & solitudine, ac multò ampliùs, vt tali Magistro vterer, cuius spiritum & excellens Magisterium expertus eram in multis rebus, quas suprà retuli. Ad quorum cõfirmationem referam alia de modo & ratione, qua deducebat agentes tertiam Probationem, distincta ab ea, qua ipsos Tyrones. Hos enim exercebat & mortificabat cum aliqua seueritate, tanquam spirituali hac cælatura magis indigentes: antiquos verò illos blandiùs tractabat, constituens eos in ipsa via mortificationis, vt ipsi sed illam offerrent: qui valde exstimulabantur, tum exemplo ipsorum Tyronum, qui egregiè illam sectabãtur; tum vt ipsi bono illis essent exemplo: & ita Probatio peragebatur eo feruore, quem suprà ins-

insinuauimus fuisse Metinæ. Et quoniam Villa-Gartia est paruum Oppidum, & ferè rusticorum, petebant facultatem eundi Metinam de Rio-Seco, (qui locus & propè est, & magnus, quò in diebus Fori magnus populus confluit) vt suas ibi publicas mortificationes exercerent, quibus mundi huius honorem conculcarent, & se ipsos vincerent.

QVI magis excelluit in his mortificationibus, fuit P. Franciscus Cordubensis, (cuius mentionem fecimus capite 30.) qui semper in feruore fuit Nouitius; venitq; eò, vt inter eos moreretur, agẽs nunc tertium suæ Probationis annum, vt ex ea benè probatus migraret in cælum. Cuius mors occasionem accepit ex quadam insigni mortificatione, quam, vt se humiliaret, fecit. Intellexit enim quendam Fratrem mitti Viennam, vno miliari à Villa-Gartia, emptum aliquos nefrendes, siue porcellos, domi postea nutriẽdos. Statim ipse ad hoc onus se obtulit, dicens, se huius rei magnam peritiam habere: (quod semper dicere solebat, cùm materia erat vilis ac contemptibilis) petijt ergo facultatem, Fratrem illum comitandi: & in reditu, cùm vnus ex porcellis defatigaretur, Pater illum super humeros ad collum accepit, quemadmodum pingi solet Pastor ille Euangelicus, qui perditam ouem inuentam, ad caulam portauit: & quemadmodum fecit Carlomannus monachus in monte Casinate, dum conuentus gregem custodiret, omnibus obstupẽtibus, quod qui adeò magnus fuisset in mundo, eò se demitteret, vt ouem super humeros portaret: cùm igitur porcellus sit res adhuc vilior, non paruam adfert ad-

P. Franciscus Cordubensis.

mirationem, quòd vir adeò aliàs nobilis, & qui fuisset Salmaticensis Vniuersitatis Rector, & inter nos ipsos Sacerdos, qui tanti fieret: illum in humeris portaret. Statim atque ad Collegiũ peruenit, cœpit ex nõ coctis lateribus haras exstruere, in quibus eos custodiret; dabatq; illis cum magna cura certis horis ad comedendum. Et quia tẽpus erat valde calidũ, Sol eius caput læsit, ex quo febres sunt ortæ, quæ valde illum vrebant: & vt ipse mihi dixit, absq; vlla cõparatione, maior erat æstus internus, quàm exteriùs appareret. Morbus ita creuit, vt die vndecima vitam finiret, Sacramentis omnibus magna pietate susceptis, mortemq; ipsam accipiens cum magna suæ voluntatis cum diuina conformitate, quam semper habuit toto tempore, quo vixit in Societate. Et quamuis non fuerint multi anni; fuerunt tamen multa & magna valde eius merita, ob continuum & extraordinarium feruorem in suis humiliationibus, mortificationibus, & sanctis alijs operibus, quæ suprà retulimus: ideoque copiosum valde præmium procul dubio pro eis acceperit; & videtur voluisse, in morte magistrum sequi, quem secutus fuerat in vita. nam eodem mense Iulio Anni 1580. vterque obijt, licèt Magister paucis diebus ante discipulum, vt statim dicemus.

MAGNO etiam studio insignis hic vir curabat, vt, qui in tertia probatione versabantur, viri fierent valde spirituales, valdeque afficerentur ad Orationem & familiaritatem cum Deo: & quos videbat specialẽ ad id propensionẽ & aptitudinem habere, & à Deo præueniri, eos ampliùs iuuã-

iuuabat ac delectabatur, diutiùs cum eis agere, & versari. Et hoc nomine sæpius tunc agebat cum Patre Christophoro Gonzaluo, tunc etiam tertiam Probationem agente, cui Deus valde excelsæ Orationis donum communicauerat. Et quoniam insignes quoque aliæ dotes locum in eo habebant, eruditionis, Prudentiæ ac Zeli, eum instruebat, vt posset agere Magistrum Nouitiorum, quòd breui post factum est Metinæ: quamuis breui suum cursum absoluit. Cum hoc Patre frequenter ego tunc egi: quemadmodum enim tempore studiorum de solis rebus literarijs agebamus; ita nunc solùm de rebus spiritualibus. Quæsiui ab eo, quando, & qua ratione Deus illi tam excelsæ Orationis donum communicasset? respondit: cùm statuisset viriliter, firmoque animo opere exequi, quoddam desiderium, quod ei Dominus idem suggerebat, mortificandi scilicet inanem gloriam in materia literaria. Incepit enim studia philosophica cum magna opinione ingenij, & magnæ capacitatis indicijs. Cumque valde vexaretur ab spiritu vanitatis, dabat operam, vt non negligens ipsa studia, quantum meritò debebat, occasiones quæreret, ex quib. alij existimarent ipsum parum scire, & parui esse ingenij. Quærebat sæpe, quòd sciebat benè; sed quasi illud nõ intelligeret; ad primã sui argumẽti respõsionẽ tacebat, quasi nihil haberet, q̃ ampliùs opponeret nõ cõtẽdebat, quòd alij; vt vicisse videãtur, facere solent; nec proteruè se opponebat aliorũ dictis & sentẽtijs; libenter videbat illustriores & maioris honoris Actus alijs deferri; sibi autẽ ipsi accipiebat, quòd min⁹ erat honorificũ. His & similib. alijs

Christophorus Gonzaluus.

morti-

mortificationibus dexterè factis, alijs non aduertentibus, ex industria fieri: amisit aliquid opinionis, ingenij, & eruditionis suæ: apud Deum tamen magnum sibi religiosi viri nomen comparauit; quod remunerauit admittendo illum ad suam dulcem familiaritatem, seque illi in Oratione varijs modis communicando cum magna sua quiete, & solatio. Huiusmodi colloquia de Deo valde vtilia esse solent inter eos, qui proficere cupiũt: modò cum humilitate & sancto zelo dicantur: nam quòd vnus sentit, est instructio & calcar alterius: quare hæc cum illo Patre consuetudo multum mihi profuit: cœpi enim meam deceptionem deponere; & credere, non esse adeò difficile, atque ego existimabam, ludibria amare & contemptus; & hanc esse viam ad proficiendum & crescendum coram Deo.

SED vlteriùs progrediebatur P. Balthassaris industria, qui ne in materia Orationis & spiritus in illud extremum incideremus, vt nimium addicti quiete & recollectioni nostræ negligeremus agere cum proximis de spirituali animarum bono, ad hoc nos in suis exhortationibus etiam exstimulabat: eò quòd adeò esset proprium nostræ vocationis munus: ideoque dicebat, nimium hoc studium recollectionis in hominibus Societatis non esse spiritum Dei: cùm nobis cõstet, diuinam eius maiestatem contrarium velle, ad quod nos vocauit: nec illud est tutiùs: nam securitatem non dat angulus, sed protectio Dei, qui etiam in cubiculo potest nos deserere, si propria voluntate ad illud nos recipiamus; & proteget etiam in medio foro, si ex eius Obedientia eò nos conferamus; nec est vtilius:

vtilius: nam tali nimis amanti quietem, Deus subtrahit portionem spiritus tanquam otioso & inutili seruo. In eundem finem alia adferebat, quæ superiùs retulimus, de excelsis eius internis sensis. Sed nominatim perpendebat, quòd cùm Christus D.N. ter in eadem nocte Orationem suam interruperit, vt suos tres discipulos dormientes excitaret: non adeò sit mirum, si nos interrumpamus aut omittamus nostram, quando id exigit necessitas, ad excitandas animas somno peccatorum, aut torporis oppressas. Neque valet excusatio, quòd alijs ex obligatione incumbat, illis necessitatibus attendere: pius enim *Samaritanus* non passus est elabi sibi occasionem, eò quòd alij eam neglexerint: nam licèt Sacerdos & Leuita præterierint absque compassione eius, qui inciderat in latrones, & vulneratum reliquerant: ipse tamen suum iter interrupit & substitit, vt eius necessitati subueniret. Non itaque negligendæ sunt huiusmodi oportunitates, quando illas Deus nobis manifestat. Si inuenis (inquit) frustum auri in terra: statim te ad illud accipiendum demittis, non quærens, cur ille, qui præcessit, non acceperit. Quodnam igitur aurum est preciosiùs aliqua anima? & quis thesaurus magis te potest ditare, quàm si illam lucreris? cùm idem Dominus dixerit: *si separaueris pretiosum à vili quasi os meum eris.* Sed, ne in hoc alterum extremum incideremus nimium cum proximis agendi, cum propria nostra iactura, in memoriam nobis, cum magno interno sensu illud Christi Domini dictum reuocabat: *quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Et hac occasione dicebat

Mat. 26. 40.

Lucæ 10. 30.

Iere. 15. 19.

Matt. 16. 26

bat aliqua ex ijs, quæ suprà cap. 7. ad idem propositum retulimus.

Ex quo fiebat, vt vellet per modum probationis exercere nos eo tempore in ministerijs iuuandi proximos, vt disceremus ea cum spiritu coniũgere. Eos, qui talẽtum habebant, iubebat concionari in templo nostro; reliquos diebus Dominicis mittebat pedites singulos cum singulis socijs Nouitijs per pagos vicinos, vt pueros docerent Christianã doctrinam, aut concionarentur illis; & qui apti ad id erant, etiam Confessiones audirẽt libẽter etiam aliquas Missiones ad breue tempus instituí videbat, non solùm, vt Societas experientiam haberet de qualitatibus suorum Operariorum hoc anno; sed etiam ob ingentem fructum, qui ordinariè ex eis percipitur, ex conuersione & remedio multarum animarum, valde hoc subsidio indigentium: & quos nouerat, talentum habere ad huiusmodi Missiones, cupiebat, vt se ad illas applicarent. Habuit aliquo tempore Collegij Ministrum P. Iacobũ Vella, D. Christophori Vella Archiepiscopi Burgẽsis cognatũ, quẽ, cùm valde dispositũ videret ad proficiẽdũ in spiritu eum exercebat, mortificabat ac cælabat, quasi aliquem Nouitium: & ille adeò se eius directioni aptabat, vt præcellens euaserit; nouit Pater Balthassar in eo magnum talentum, & ad huiusmodi Missiones applicationem: ideoque paulò pòst cœpit se exercere in varijs locis, magnis, & paruis, præcipuè in mõtibus Legionis & Astorgæ, cõcionãdo cũ magno zelo & fructu, de salute animarũ: adeoq; erat infatigabilis & feruens in huius generis laboribus, vt vix esset socius, qui sequi illum

posset.

posset, Et cùm per annos aliquot in illis ministerijs fuisset occupatus, voluit Deus eum reducere Villa-Gartiam, vt finem ibi laboribus eius imponeret, accedente fælici morte. Nam cum finita quadam Missione, per Collegium hoc Abulam iturus transiret, inuasit eum lateris dolor, qui statim iudicatus est mortem allaturus. Eo tempore aderam ego, & placuit Deo D. N. vt in ea pressura illi adesse, eumque iuuare posset. Erat hic Pater timoratæ valde conscientiæ, & nonnihil scrupulosæ, ita vt interdum à faciendo Sacro se subduceret, nisi Superior, vt faceret, ei præscriberet. Initio statim huius morbi adeò horruit rationem, quam erat coram Deo in eius Iudicio redditurus, vt valde anxie & solicitè à Deo peteret, produci sibi adhuc ad annum vnum vitam, vt ampliorem posset facere pœnitentiam. Ego magnæ eius puritatis, & sanctitatis benè conscius pro viribus eum consolabar, & animabam, eramque valde solicitus, videns, quàm anxiè cuperet vitam sibi produci, quem morbus cum magna celeritate ad mortem deducebat, ideoque conatus sum hominem ab ea anxietate liberare; dicens ei: iam Deum profundissimis suis iudicijs non minùs nobis vtilibus, quàm in se Iustis, nobis satis ostendere, nolle ipsi vitam producere; ideoque vt cum diuina eius voluntate suam conformaret: hoc enim vtiliùs multò ipsi futurum, quàm longiorem vitam, etiam ad pœnitentiam agendam, petere, cum multa eò vsque ipse fecisset. Placuit itaq; Deo, tũc fidelia eius ac diuturna seruitia remunerare, remouendo ex tempore omnes timores, quibus antea angebatur, cum tãta salutis

suæ

suæ spe & fiducia, vt habens Crucifixum in manibus ingenti cum feruore diceret, *gratias Deo qui dedit nobis victoriam per IESVM Christum.* Et cum hac fiducia & animi lætitia sexto die fœliciter obijt: obtinuitq; gloriæ coronam propter obtentam victoriam: & ego cum magna pace & consolatione tam fœlicem eius transitum vidi. Deum laudãs, quòd ita in morte corroboret & consoletur seruientes ipsi cum timore & tremore per totam vitam: præcipuè in ea occupatione, qua animæ iuuantur: vt is plures secum deducat ad cælos, iuxta illud Apostoli ad suum discipulum Timotheum: *attende tibi, & doctrinæ; insta in illis: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Hæc tria sunt præcipua quæ P. Balthassar valde commendabat tertiam agentibus Probationem, optans illos excellentes euadere in Oratione, Mortificatione, & zelo animas iuuandi; & coniungere Theoriam praxi, quæ perficit opus. Alia prætermitto, quæ adferre potuissem, contentus quòd hæc insinuauerim, non solùm vt, quòd ad P. Balthassarem pertinet, referrem; sed etiam, vt intelligamus, quàm fuerit cæleste consilium Patris nostri S. Ignatij, quod constituerit in Societate tertium hunc Probationis, & recollectionis annum, post absoluta studia. Et vtinam eadem ratio in alijs quoque Religionibus, quæ in literarijs studijs occupantur, constitueretur vt studio hoc Orationis accedente repararetur feruor spiritus; qui, dum illis seriò dant operam, debilitatur & hebetatur. Ad quod plurimum iuuat, quod qui aliquot annos in scientijs comparandis posuerant, iterum fiant infantes, vt verè magni euadant

1. Cor. 15. 57.

1. Timoth. 4. 16.

dant; & agant secum tanquam stulti & ignari, vt euadant perfectè sapientes in scientia spiritus, quæ dat esse vitam & robur Scholasticæ. Quod si vel vnum annum cum diligentia ponant in hac spiritus facultate: hic sufficiet, ad reddendos ipsos contentos, & ad proficiendum in tota vita; & vt ipsorum labores erga proximos splendorem suum habeant, & vtiles fructus proferant, ad maiorem Dei gloriam, suæque Religionis & Ecclesiæ totius honorem.

CAPVT XLVIII.

NOMINATVR PROVINCIAE Toletanæ Præpositus Prouincialis, ad quā se per exercitia præparat; in quibus ingentia percipit sensa de Paupertate, contemptibus, ac Doloribus Christi Domini.

CVM Patri Nostro Generali innotuisset, quàm exactè & vtiliter P. Balthassar Aragonicam Prouinciam visitasset, nec succederet profectio eius, vt esset Prouincialis Peruanus, constituit eũ Anno 80. Prouincialẽ Toletanæ Prouinciæ, vt omnes Hispaniæ Prouinciæ talis viri doctrina & spiritu fruerentur. Ostendit autem P. Generalis quanti illum faceret, cum ijs, qui ea de re cum ipso agebant, annueras, dixit do vobis optimum quod habeo, pro vestra Prouincia, cum P. Balthassarem vobis assigno. Hoc nuncio accepto in quadragesima, statim se recepit

per aliquot ſeptimanas ad ſpiritualia Exercitia facienda, vt diutius in oratione recollecta hæreret, & à Deo impetraret id, quo indigebat ad tale onus ferendum, quod omnibus præcedentibus grauius iudicabat. Et quaſi præuideret, quadrageſimam illam fore ſibi vltimam, & ipſum annum etiam vltimum vitæ ſuæ, & munus ſibi iniunctum, extremum eſſe ſuorum laborum; ita cùm maiori, quam vnquam antea feruore ad id ſe præparabat, exercens ſe, pro vt tempus illud exigebat, in contemplandis ſacræ paſsionis myſterijs, vt in corde ſuo viuam Ieſu Chriſti crucifixi imaginem renouaret, cum tribus eius perpetuis comitibus, Paupertate, Contemptu, ac Dolore, Et quemadmodum de eiſdem tempore Quadrageſimæ alias ſolebat ad Nouitios exhortationes habere, vt ſuprà diximus: ita in hac, in qua profundiora percepit ſenſa, feruentiores etiam habuit exhortationes circa illa verba, quæ Dauid nomine ipſius Saluatoris dixit: a *pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus*; in quibus verbis via proponitur, quam Chriſtus Dominus Noſter tota vita ſua tenuit, quæ fuit Paupertatis, cruciatuum, & Contemptus, qui fuerunt ſemper eius indiuidui comites: & quo ætate creſcebat, eò magis ſeriò illum comitabantur, ita vt & ipſi cum eius ætate creſcerent vſque ad ipſam mortem, vbi ad ſummum, quod poterant, peruenerunt: & ita audeo etiam dicere de ſancto hoc viro, (qui ab ipſis initijs valde piè fuit tribus his Seruatoris noſtri comitibus addictus, vt tertio capite ſupra cœpimus inſinuare) quod quemadmodum ipſe in ætate ſua creſcebat, ita eius ſenſus & amor erga illos

a *Pſal.* 87. 16.

augebatur: & in hac quadragesima, quæ fuit vltima, peruenerit ad summum quod potuit.

VT autem huius rei lumen aliquod habeamus, referam hic summatim, quæ tunc ipse de heroica Christi D. N. paupertate nobis proposuit, tres eius distinguens gradus, magnum, maiorem, & maximum siue perfectissimum: in quibus etiam continentur, contemptus & dolores, heroica humilitas, patientia, & resignatio, quam in eis ostendit. *Primus* Paupertatis gradus fuit, quo omnibus rebus huius mundi temporalibus earumque memoriæ, & affectibus, qui illas quasi vmbræ corpora sequuntur renunciauit. Ita vt neque campos, neque agros, aut vineas, aut huiusmodi aliqua propria habuerit: neque id fuit, quod non posset ea habere; sed quod non voluerit. Quare ex omnibus rebus temporalibus huius mundi vsum tantum accepit, eumque valde parcè & solùm ad subueniendum extremæ vitæ corporalis necessitati, dans locum fami, siti, æstui, frigori, duritiei, & asperitati; nulla vsus singularitate, aut exceptione, prospiciens sibi non de cibis alijsque rebus delicatis, sed communibus & crassioribus, quales, vbicunq; erat, inueniebantur; non habens domum, aut rem aliquam propriam, sed tanquam pauper & mendicus.

SECVNDVS gradus fuit, Paupertatis amicorum & consanguineorum; familiaritatis cum magnis & potentibus; omnisque amicitiæ temporalis cum Regibus, viris eruditis, ac prælatis; & cum alijs, quorum respectu & intuitu ipsi parcerent, aut desinerent iniurias inferre, aut dicere. Potiùs nasci voluit ex matre paupere, & nutriri ac educari in domo pauperis cuiusdam

fabri; & pauperes habere discipulos; nec dedignabatur cum publicanis & peccatoribus agere, vt eos lucraretur, & ad bonam viam reduceret; & cum quibuscunque amicitiam aliquam contraheret, etiam cum propria matre, semper cor suum seruauit ita liberum, & expeditum ab omni proprietate: vt nullius intuitu omitteret facere, quod intelligeret magis gratum esse, magisque conforme æterni sui Patris voluntati: hac ratione nos docens, vt exuti, & à creaturis omnibus auulsi viuamus, & cum libertate spiritus creatori nostro seruiamus.

TERTIVS gradus fuit, quo se ipso ita sese exspoliauerit, vt ostenderet se pauperem in potentia, sapentia, sanctitate, dominio & libertate: cum tamen hæc esset occasio patiendi innumeros & grauissimos contemptus, iniurias & dolores: eò quod ab hominibus haberetur pauper, & his omnibus vacuus. Primum enim ostendit, se pauperem in potentia, cum esset omnipotens: nam & viuere & videri voluit in hoc mundo tanquam homo sine vlla potestate, imbecillis, & egenus; subiiciens se miserijs infantiæ, defatigationibus itinerum, & reliquis humanis imbecillitatibus, quas omnes, excepta culpa, pro nobis suscepit. Subiecit se in sensibilibus Elementis, frigori, æstui, alijsque creaturis, potestatem occultans, quam in illas habebat, ita vt hominum iudicio nullam in illas haberet. Dedit autem potestatem spinis, vt sacrum ipsius caput penetrarent; funibus, vt ligarent; velo, vt tegeret; flagellis, cruci, clauis, lanceæ, felli, & aceto, & reliquis passionis suæ instrumentis, vt ipsum cruciarent; Iudæis, vt

vt accusarent, ac blasphemarent, Iudicibus, vt condemnarent; carnificibus, vt flagellarent & crucifigerent; militibus, vt illuderent & irriderent; ipsi etiam Dæmoni, vt eum ex vno loco in alterum ex deserto deduceret, & per sua membra, hoc est, peccatores persequeretur: nec vlli horum restitit, quamuis vel vnico verbulo omnia potuisset auertere: nec tamen id voluit; sed ostendere se egenum talis potestatis, idque cum tanto sui contemptu: vt cum eius miracula indubitatam facerent suæ omnipotentiæ fidem; ea ipsa tamen pacto cum Dæmone inito tribuerentur.

SPOLIAVIT se quoque se ipso, ostendens se pauperem & indigentem sapientia: nam cùm esset illa plenus, noluit tamen ingenio, & subtilitate scientiarum vti, nec eloquentia humana; sed ita sincere, ac simpliciter conuersari, vt à plurimis haberetur simplex, ignarus, & quasi non habens cerebrum; veritatem suæ doctrinæ docuit verbis planis & simplicibus, volens eam virtutibus potius & miraculis confirmare, fugiens mundanum honorem sapientis, ad nostrum exemplũ.

EODEM modo renunciauit famæ suæ sanctitatis; ita sequens iustitiæ viam, vt à multis haberetur non sanctus, sed peccator & peccatorum amicus; deceptor, & blasphemus; Barabba deterior & latronibus ipsis, morteque dignus adeò infami, qualis est crucis. Et quamuis potuisset hanc sanctitatis famam facilè inter omnes obtinere, sibique eam accipere, sicut eam dedit S. Ioanni Baptistæ, alijsque seruis suis: id tamen non fecit; sed ea voluit se spoliare, vt superbiam & hypocrisim nostram confunderet.

SPOLIAVIT se etiam dominio & principatu sibi debito, quem tanquam Rex Regum & Dominus Dominantium habere potuit, sed potiùs, cùm turba vellet ipsum Regem facere, fugit ab eis; & obediuit potius ipse Regibus & Iudicibus etiam impiis & crudelibus in ijs, quæ ab ipso petebant; reddens eis etiam tributum; & eorundem iudicio se subiiciens vsque ad mortem. Pauperi quoque matri suæ, & S. Iosepho se subiecit, seruiens illis vsque ad annum trigesimum. Et inter paucos suos discipulos non tanquam Dominum, sed tanquam ministrum se gerebat, & tanquam aliquem famulum, eis seruientem, eorumque pedes lauantem. Ita enim dixit illis: quòd non venisset ministrari, sed ministrare: vt ad eius imitationem dignitates fugerent, subiectionem verò diligerent; ac se in omnibus tanquam pauperes gererent. Denique ita verbis, operibus, & prodigijs diuinitatem & maiestatem suam simplicibus & humilibus suis discipulis manifestauit; vt eandem absconderet & occultaret potentibus & superbis, sapientiam & prudentiam sibi arrogantibus. Quamobrem opinionem de eo conceperunt ipsi veritati valde contrariam: qualis autem fuit opinio, ita etiam cum illo egerunt: cùm ausi sunt temerè illum persequi, & grauissimis iniurijs & cruciatibus, ita malè mulctare, vt nullus vnquam fuerit hominum magis à suis hostibus contemptus, nec maiores dolores sustinuerit, quàm ipse: qui infinito quodam amore, & vt illis beneficaret, eosque ab æternis contemptibus, & cruciatibus liberaret, ea omnia sustinere voluit.

HAC ratione meditabatur, & colloquebatur P. Balthassar de suprema continua, & perfectis-

ma Saluatoris nostri paupertate, coniuncta cum excellentissima humilitate, & potentia in opprobrijs ac doloribus sustinendis, qui ex illa oriebantur. Et aliquoties audiui eum seorsim loquentem de tribus his Iesu Christi comitibus, cum tanto sensu & Spiritus feruore, vt obstupescerem, & accenderer desiderio feruorem illum imitandi, & curam, quam in sancta illa societate complectenda ponebat, vt Magistrũ suum imitaretur. Et certò mihi persuadeo, Dominum Deum nostrum per huius Patris Orationes hanc mihi gratiam tunc fecisse, vt deceptionem meam in hac materia retexerem. Cum enim de ijsdem tribus comitibus meditarer, tantamque difficultatem in diligendis opprobrijs, & contemptibus libenter admittendis sentirem, vt attẽta mea imbecillitate, id quasi impossibile iudicarem: orans quodam die coram sanctissimo Sacramento, sensi repentè quendam lucis radium, tanquã fulgur transeuntem, mihiq; ostendẽtem, valde possibile esse, contemptum & opprobria ita seriò & cupidè amare atque homines sæculares honorẽ; meq; animauit, vt id quærerem, cum spe obtinendi. Et ad hoc punctum nominatim dirigebat P. Balthassar suarum rationũ globos: quia aduertebat, Religiosos & nominatim studijs deditos, & ministerijs erga proximos occupatos ex nulla re tantum accipere detrimentum, quantum in ex inordinato amore honoris; quem sequitur etiam amor commoditatis temporalis: quem tamen illi pallio Religionis tegũt, sub prætextu cõsulendi bono nomini, quod ad eius & officij sui authoritatẽ multũ refert: cùm cõtrà in conculcando vano honore, & quod in ipsis est, diligẽdo contẽptu ex profunda sua humilita-

te, positum sit eorum augmentum & profectus; quemadmodum idem Pater expertus est in euentis supra positis.

CAPVT XLIX.

AD PERFECTIONIS CVLMEN in Dei amore per gradus suos peruenit; & quas præcipuas virtutes ille in se contineat: insinuantur interna aliqua eius sensa circa hunc amorem.

CVM AD VLTIMVM annum & postremos felicis vitæ P. Balthassaris menses peruenerimus, operæ pretium erit, vltimum etiam eius in spiritali vita perfectionis, quam professus est, proponere: procul dubio enim per opera, exercitia, officia, & ministeria, variosq; euentus, prosperos, & aduersos iam propositos, quasi per gradus quosdam ascendit ipse ad culmen perfectionis in omnibus virtutibus, & amore Dei, quæ omnium est suprema, in quo impletum est illud Dauidis: a *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarũ in loco, quem posuit. Etenim benedictionẽ dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur DEVS Deorum in Syon.* Vir fuit verè Beatus P. Balthassar, quem cœlestis legislator præuenit in benedictionibus dulcedinis; tantaque dedit

a *Psal. 83. 6.*

dedit adeoque continua auxilia; vt cum eis dispoſuerit ſemper in corde ſuo nouas aſcenſiones, & augmenta in omnibus virtutibus, ab alijs in alias fortiter aſcendendo: donec peruenit ad videndum per contemplationem Deum ſuum; & amandum cum ea perfectione, qua ipſe vult amari b *ex toto* ſcilicet *corde, anima, mente & viribus*. Nec vacat myſterio in hoc præcepto, in quo perfectio noſtra conſiſtit, mentionem fieri quatuor rerum, quas Deus in hoc amore ſui exigit, eò quod aliæ quatuor ſint in quibus amor ipſe præcipuè augetur ac perficitur: quas omnes largitus eſt viro huic ſancto, cum quadam excellentia: vt in omnibus eſſet perfectus. Nam *primum* magnum poſuit ſtudium in Orando & familiariter agendo cum diuina eius maieſtate: applicans totum cor ſuum, animam, ſpiritum, & omnes ſuas vires, donec in diuino conſpectu gratiam inueniret, & eius ſpiritus cum diuino coniungeretur, ſemperque in eius præſentia ambularet, explens quod ipſe Deus dixit Abrahamo: c *ambula coram me, & eſto perfectus*. Quis autem dubitet, hoc eſſe magnum diuini amoris indicium, & cauſa magni in eo progreſſus; quamuis enim contemplatio (teſte S. Thoma) eſſentialiter conſiſtat in nobiliſſimo intellectus actu, in cognoſcenda ſcilicet ſuprema veritate, quæ Deus eſt, viſione quadam ſimplici, valdeque perfectiones eius penetrante: ſimul tamen complectitur præſtantiſsimos actus charitatis, ex qua tanquam ex fonte ipſa contemplatio fluit, & ad quam tanquam ad finem tendit. Quamobrem S. Gregorius vitam contemplatiuam dicit eſſe ex toto corde ſeruare cha-

b *Matth.* 22. 37.
b *Lucæ* 10. 27.
c *Gen.* 17. 1.
2. 2. *q.* 180. *art.* 1.
Homil. 4. *in Ezechiel.*

ritatem Dei, & inardescere ad eius pulchritudinem videndam. Et in hoc P. Balthassar disposuit, vt vidimus, continuas ascensiones & accretiones, d *procedens, quasi lux* matutina, *vsq; ad perfectam diem*; & e *ascendens de hoc deserto delitiis affluens, & innexus super dilectum suum*, cui erat semper vnitus. Valde etiam excelluit in perfecta sui ipsius mortificatione; crucifigens vitia omnia & passiones ac voluntates proprias in omni materia; contendens omnia impedimenta remouere, quæ accidere poterant in corde suo, anima, Spiritu & viribus: vt se & omnes suas facultates liberè Deo, perfectoq; eius amori, & explendæ sanctissimæ eius voluntati traderet; in quo etiam, vt supra est dictum, disposuit continuas ascensiones, quam diu vixit in hac lacrymarum valle: f *ascendens sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris*; ignis enim amoris diuini impellebat ad ascendendum & crescendum in hac abnegatione sui: ac proinde etiam in ipso amore & contemplatione. Nam (vt S. Augustinus dixit) diminutio cupiditatis est augmentum charitatis: & quò amor proprius magis minuitur, eò ascendit; crescitque diuinus. Et Cassianus ait, animam nostram esse instar plumæ, à qua si pulueres aut lutum, quæ in terra illam detinent, auferatur: statim sursum ascendit: ita sublatis impedimentis Spiritus liberiùs ascenditur ad Deum. Et hac ratione ascendit & progressus est ad *tertium* quoque gradum, in quo etiam excelluit, studens plenè ac perfectè præstare omnia, quæ ei iubebat & committebat Deus, tam in rebus status & officij sui, quàm in ministerijs & operibus misericordiæ & charitatis in proximos: quorum animas, vt iuuaret, nullos

d Prouer. 4. 18.

e Cant. 8. 5.

f Cant. 3. 6.

Lib. 83. qq. q. 36.

nullos labores refugiebat; & quæuis ſolatia corporalia & ſpiritualia facilè intermittebat, vt voluntatem Dei in iuuandis proximis exequeretur: quod excellentis valde charitatis eſt indicium; mediumque efficaciſsimum ad proficiendum in ea. Nam (vt S. Gregorius dixit) probatio amoris eſt exhibitio operis, & ipſe Chriſtus Dominus ait: g *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*: &, *ſi diligitis me, mandata mea ſeruate*: & eius dilectus diſcipulus ait: h *qui ſeruat verbum eius, verè in eo charitas Dei perfecta eſt.* Quis autem perfectionem illam habet, quàm, qui vitam ſuam, ſolatium, ſanitatem, & honorem offert pro ſuis amicis, proximis ſcilicet, quos amat in Domino? cùm igitur ſanctus hic vir in his omnibus præluxerit, vt vidimus; Signum eſt, perfectam illum habuiſſe charitatem: quamuis, quod nunquam ſe perfectum iudicaret, nouas ſemper aſcenſiones in ea diſponebat, nouos ſemper aggrediens labores in vtilitatem animarum.

Homil. 30. in Euang.

g *Ioan. 14. 23. 15.*

h 1. *Ioan. 2. 5.*

Ex quo *quartum* etiam ortum habuit, in quo valdè eminuit, in tolerandis ſcilicet ijs omnibus, quæ Deus mittebat, aut euenire ei permittebat, cuiuſcunque ea generis eſſent ſiue corporis, ſiue Spiritus, ægritudines, dolores, deſolationes, internæ deſertiones, opprobria, & cõtemptus: hæc enim omnia tanquã à manu Domini miſſa amplectebatur, ac beneficia eius reputabat, ac media maioris ſui profectus ſpiritualis agnoſcẽs in eiſdẽ ſuauẽ & paternã Dei prouidentiã, ſiue oportunè eũ ex eis eriperet; ſiue conſolaretur, vt proficeret: quod ſine dubio indiciũ eſt adhuc certius perfectę charitatis, quę i *patiẽs eſt & omnia ſuffert*: & eo vſq; pro-

i *Corint. 13. 4. 7.*

k Rom 8.35. progreditur, vt cum Apostolo dicat: k *quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* nihil horum *poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro:* l *Fortis enim est vt mors dilectio:* crescitque aduersitatibus, & calamitatibus, quas patitur; & quò persecutiones grauiores sunt, eò maiores patientia emittit splendores, sicut in occasionibus superius insinuatis P. Balthassar fecit, quo vltimam quasi posuit manum, quatuor illis præcipuis rebus, in quibus accensi sui in Deum amoris perfectionem ostendit, tanquam quatuor fluminibus fluentibus ex paradiso charitatis, & vniuersam cordis sui terram irrigantibus, vt copiosos sanctorum operum fructus, & pretiosissimos clarissimarum virtutum lapides proferret.

l Cant. 8. 6.

SED quoniam hoc totum ex ijs, quæ in huius historiæ decursu adduximus, satis sunt manifesta, solùm nunc addemus profundissima quædam sensa, quæ Dominus noster, vt eum in diuino suo amore per gradus suos perficeret, cõmunicauit. *Primum* enim fecit eum interne cognoscere, ac sentire præcipuum religiosi viri in statu suo studium debere esse circa feruentem Dei amorem: nam cognoui, (inquit) Religiones esse sanctitatis officinas; Xenodochia vulneratorum ab amore Dei; & fornaces in quibus diuinus hic ignis accenditur in arte amandi Deum; & calcariæ, in quibus ignis facit lapides tanquam massam mollescere. Ideoque studuit cum dulci hoc vulnere viuere, dicens cum sponsa vulnerata charitate ego sum, nec volo ex hoc vulnere sanari: nam,

2. Sept. 1577.

nam, cum illud habeo, est verè mea sanitas. In hac calcaria studebat P. Balthassar sese accendere, emollescere, ac dealbare, viuæque petræ, qui Christus D. N. est, per continuum amorem & imitationem coniungere.

SECVNDVS fuit sensus, ex diuinis beneficiis ignem diuinum fouentibus; quæ enim omnibus erant communia, accipiebat atque si essent propria; & quæ propria erant, in recenti semper memoria seruabat: vt gratum se illi ostenderet; & pro eis redderet amorem & obsequium, quod meritò ipse pro eis exigit, & hoc nomine in suo libello elenchum quendam eorum habebat sub titulo: *misericordiæ Domini mihi factæ*. & statim eas incipit recensere, dicens ostendit mihi tenebras, in quibus fui circa omnia tam in me ipso quàm in agendo cum proximis; dedit etiam mihi cor, vt animæ meæ vlcus aperirem; desiderium humiliationis, & abiectionis; mortificationem sensualitatis; desideria sincerè & in veritate ambulandi: quod non adferat mihi tædium cura Nouitiorum; prouidentiam, qua mecum semper est vsus. Et eadem ratione aliqua alia ibi refert, quæ iam superius sunt posita, quæ omnia erant n *ligna*, quibus fidelis hic *Sacerdos* Altissimi *nutriebat* quotidie amoris *ignem*, qui in corde suo ardebat, vt magis, ac magis eum amaret, à quo tot beneficia accipiebat. Et quoniam nullum est efficacius amatorium, vt quis ab alio ametur, quàm sit illum amare: id, cuius habuit sublimiorem sensum, fuit magnus amor, quo suos Deus prosequitur: quem hac ratione explicabat. Quod Deus aliquem amet, est benè illi velle & optare; & cùm

n *Leuiti 6. 12.*

Dei

Dei velle sit etiam facere, iuxta illud Psalmographi: *quæcunq; voluit fecit:* ita quod Deus animam aliquam amet, est continua quædam misericordiarum eius scaturigo; & magnorum eius beneficiorum pluuia; quasi Deus picturam aliquam formare incipiat, nec à depingendo desistat. Ex quo oritur, vt in eadem anima solida ferueant desideria, vt occasio & materia occurrat obsequium Deo præstandi: & quoniam voluntatem efficacem Deus loco obsequij re ipsa præstitiaccipit: aduertit anima magna lucra ad suas rationes reposita: quia desideria, & oblationes ipsius plurimæ sunt & continuatæ. Et ex eodem fundamento oritur, vt in benedictionibus dulcedinis nos præueniat, & ipsa eius dona fiant merita nostra: non enim acceptat, nisi quod ipsemet donat: qui magnus est thesaurus & solatium: siquidem etiam pauper magnam ex eo consolationem haurire potest, quòd libenter det modicum illud, quod habet, & priùs accepit; & quod se ipsum omniaque sua offerat, quæ magna est oblatio; & quod voluntatem ac desiderium habeat ipsum Dominum in sanctissimo Sacramento suscipiendi, vt habeat quotidie, quod offerat.

Psal. 113. 3.

Hoc totum sanctus hic vir offerebat, vt sic ostenderet amorem, quem erga eum gerebat, qui adeo ipsum amabat: quare ita in suo libello ait: Die quodam, cum post Sacrum gratias Deo agerem, hunc circa modum diligendi Deum habui sensum; quod deberem ei omnia mea tradere, meum tempus, meas delitias, amicos, & reliqua omnia & optima, & me ipsum cum illis: siquidem

S. Aug. 1575.

dem ipse omnia sua, maxima, & minima tradit, nullo excepto, & se ipsum optat libentiùs dare. Remansit cor meum valde molle, & ad eius maiestatem cum iucundo quodam sapore propensum: quod reputaui magnum in me eius studium: Et cum alio quodam die essem in Oratione, cum huius amoris auiditate: dixi Domino nostro cum magno quodam interno sensu, ô Domine, si cum nullo alio, quàm tecum agerem; aut de solis rebus ad obsequium tuum, & bonum animarum pertinentibus, quod tibi tantoperè placet! ô si vel nunc inciperem opus illud, quod tu in tuo à nobis discessu perfecisti! ô si casus ille eueniret, quo cogerer à te non separari; nec de re vlla agerem, quæ ex tua obedientia non esset! & cum fuerit hæc oratio ex inspiratione, spem mihi fecit Dominus gratiæ huius obtinendæ. Et sine dubio ei indulsit: quia summè contendit exuere omnem creaturarum amorem, qui sui creatoris amorem relaxaret. Et quoniam hoc ipse fuerat expertus, exhortabatur alios ad eandem amoris rationem, dicens: tanti Deum facite, vt semper vobis videatur modicus omnis, quem habetis amor, vt illum ei tradatis. Quod vt exactiùs præstetis, colligite totum illum, quem in creaturas dispersum habetis: non solùm quando illæ parui vos faciunt; sed etiam quando vos depereunt; ne videamini illas retinere, quia vos illæ repellunt; sed ob summam æstimationem, & reuerentiam, qua Deum prosequimini; nec tristemini, quòd eas deseratis: Siquidem, quod illis addicti essetis, id vos procul à Deo separabat: Postea experiemini nullam

10. Martij 1569.

in

in eis causam fuisse lætitiæ; nec nunc esse, nisi in solo Deo. Quare expedit vobis, non quærere eorum amicitiam, aut familiaritatem; imò sponte ab eis oblatam repellit: & sic commodum vobis iudicabitis, quod eam etiam quærentibus denegent: tunc liberiùs ac pleniùs debitum Deo amoris & obedientiæ tributum reddetis; vestrumque cor totum in eo ponetis, qui est totus thesaurus vester. Et eadem ratione iudicatur: totum vestrum tempus, modicum esse, vt Deo illud tribuatis: cùm dicat S. Augustinus perire illud tempus, quod non in amando Deo expenditur. Et eadem ratione, quidquid vobis libet ac placet, cogitationes omnes, verba & opera, oculos, aures & reliqua omnia expendite in hoc tributo Domino reddendo.

In Manua. c. 4.

AD hunc perfectionis gradum amoris dicit, multum sibi contulisse quod suam de ipsis creaturis deceptionem deposuerit, cum enim interior quædam querela in mente obuersaretur, de quadam persona, quod non satis responderet amori, ad quem suo iudicio ille tenebatur, hæc habuit interna valdeque vtilia sensa.

30. Iulij. 1575.

AGNOSCE, quomodo Deus tuas partes agat: grauis ac difficilis conflictus tibi fuisset: si pro voto tibi euenisset. Prouidentia Dei, magnaque misericordia erga te est, quod creaturæ te à se repellant; & mittant ad creatorem, facientes, quod ipse iubet; & hoc (inquit) stupendis tribus modis præstant. *Primus*, quia non satisfaciunt, nec, cum possidentur, desiderium tuum satiant. Sicut S. Augustino respondebant: non ego sum Deus tuus, nec tua quies & solatium. *Secundus*, quòd

quòd modicum illud bonum, ac dulce, quod habent, non ſemper tibi communicent; ſed pro ſuo libitu, & cura tot mutationibus, atque ſunt in capite capilli, quia nunquam in eodem ſtatu permanet; à quibus omnibus dependere debet, qui illas ſectabitur. *Tertius* eſt, quòd ſtatim atque in aliquo alio tantillum boni, vtilis, aut delectabilis plus, quàm in nobis inueniunt: nos planè deſerant: & quamuis hanc veritatem ſæpius in nobis experti ſimus, quàm pilos in capite habeamus: nunquam tamen ſtultitiam noſtram agnoſcimus, qua ipſas creaturas ſequimur, Creatoris obliti. Ex quo prouenit, vt neque Creatorem eſuriamus, neque creaturis ſatiemur. Illud eſt ergo remedium: vt illas præueniamus, inde incipientes, vbi illæ deſinunt: ſtatim illas deſerentes; ne vel tempus cum eis amittamus; & ad Creatorem tranſeuntes, in quo requiem, pacem, & ſaturitatem inueniemus, cum æterna ſtabilitate, quam nemo poſſit mutare, aut impedire. Quid quietius eo, qui nihil deſiderat? & quid eo ditiùs, qui res omnes huius mundi magnas, & ſplendentes, tanquam ſuperfluas reputat? habete Deũ: & nihil vobis deerit.

Vide S. Aug. in id Pſal. 40. Vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

HAEC & alia ſenſa Deus illi communicabat, vt eum ab omnibus creaturis auelleret, quibus ſenſis, vt reſponderet, ita ſe gerebat, vt nullus in eo aduerteret affectum aliquem aut oblectationem cum re aliqua particulari, etiam minima, nec cum vlla perſona, quæ ipſius libertatem & ingenuitatem, qua eius anima Dominum diligebat, interturbaret, aut impediret. Longo tempore in eo laborauit, vt à corde ſuo obtineret, ita à creaturis omnibus ſe expedire, quaſi in Africæ deſer-

tis vitam ſuam duceret: donec tandem cum diuina gratia id obtinuit. Aduertebatur verò talis eius diſpoſitio & animus ex tenero affectu, quo cupiebat vitam ſuam in aliquo angulo finire: licèt multi Magnates optarent, illum apud ſe habere; & ipſe dotes, ac talenta haberet, etiam ad loca & ſtationes ſublimiores. Et hinc ad vltimum & ſupremum culmen peruenit, de quo in proximo capite dicetur.

CAPVT L.

PERFECTAM OBTINET RESignationem, & cum diuina voluntate conformitatem in rebus proſperis & aduerſis: & quædam eius de eiſdem ſenſa.

CVM VITA P. Balthaſſaris, vtens his, quæ hactenus diximus, apparet, contexta fuerit variis euentis, proſperis & aduerſis in omni genere rerum: omnes illi tanquam alæ, aut gradus fuerunt, per quos ad ſupremũ perfectionis culmen in amore diuino peruenirет, in quo locum habuit ſententia illa Apoſtoli: a *ſcimus: quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ſiue proſpera ſint, ſiue aduerſa. Nil quodnam maius bonum, quàm eiuſdem amoris & dilectionis augmentum? Et quando tale augmentum ad vltimum ſuum punctum in hac vita peruenisſe cenſebitur, niſi cùm quis id aſſecutus eſt, vt idem cum Deo habeat velle & nolle in rebus omnibus corporalibus & ſpiritualibus, magnis & paruis; neque eligere velit, aut propendere magis

a Rom. 8. 28.

ad vnam, quàm ad alteram: donec voluntatem Dei nouerit, cuius exſecutionem in rebus omnibus quærit? Et ita dicit, quod cùm ſemel aliquid peteret à Deo, quod pro ipſius obſequio cupiebat: intellexerit: omnem perfectionem conſiſtere in facienda voluntate Dei; & maximum omnium ſacrificiorum eſſe, cum eadem conformari: eſt enim ipſe ſuæ gloriæ zelans, nouitq; quid ad eandem promouendam magis expediat. Et cùm die alia dubitaret, de Sacro celebrãdo, propter quoddam impedimẽtum, quod acciderat, hunc ei ſenſum Dominus communicauit. Non parum refert rectè cognoſcere, quid Deus velit, aut in eo decipi & errare: nec paruus ſed magnus, imò maximus cenſendus eſt error, aut recta cognitio in tali caſu. Si enim Deus aliquid vult: temerariũ eſt, quòd vilis vermiculus idem non velit; & quod ille nõ vult, ſtupẽda ſtultitia eſt, ſi homo audeat illud vel aſpicere. Quod ſi hoc verum eſt in rebus omnibus etiam minimis, quas Deus vult, aut non vult; quid erit, rectè facere, aut errare in acceſſu altaris: vnde ingens adeò bonum, aut malum euenire tibi poteſt; ſi rectè venias, aut veniendo aberres? Hinc etiam (inquit) intellexi: non eſſe ſine dolore & lacrymis ducendam eam vitam, in qua tanta eſt ignorantia; & ita hallucinamur in re adeò graui: remedium verò illud nobis ſupereſſe, vt continuè inſiſtamus orationi, iuxta illud Scripturæ: b *cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Qui igitur intentionẽ ſuã rectificãs humiliter Deũ orauerit, ſperare poterit ab eo directionẽ: de quo dicitur, quòd ipſe c *diriget conſilium iuſti*; quod ſi cõtingat aliquãdo errare, licebit confidenter ſperare venia-

27. Idem 1569.

b 2. Paral. 20. 12.

Vide S. Bernard. ſerm. 50. in cant.

c *E. l. ſ. 39. 10.*

niam: eò quòd nolens & in tenebris impigerit.

QVAPROPTER magno studio attendebat, vt voluntati Dei suam conformaret; seque totum eidem resignaret, etiam in rebus spiritualibus: in quibus contentus erat sorte sibi à Deo data, etiam mediocri, aut parua. Et cum in initijs nonnihil esset inquietus, ob nimium desiderium sui in oratione profectus: tandem etiam in hoc sese subiecit, ac resignauit, accepto à Domino interno quodam sensu; dicens ei: Cùm tu, Domine, in quadam mediocritate me constitueris: mediocris esse volo, & talis videri; me deijcere, & ex tua obedientia omnibus maioribus subijcere: & malo in hac statione ab omnibus despici, modo tibi satisfaciam; quàm in aliqua alia adorari, non placendo tibi, nam statim superest mihi quod defleam præcedentem meam inquietudinem; & propterea gratias agam, quòd me supra multos extuleris. Idem ei euenit, cùm videret, se multis externis occupationibus premi; & proponeret Deo
21. Sep. 1569. D.N. teneras quasdam querelas, quòd sibi tempus deesset ad manendum cum ipso seorsim. Factum
9. Maij 1575. (inquit) est hoc verbum Domini in me: Satis tibi sit, quòd tua opera vtar: quamuis te non habeam mecum, ex quo mansi iucundus & lætus. Alio die circa eandem materiam hoc sensit. Fieri quidem potest, quòd multis Societatis hominibus tempus desit liberum, explendæ suæ voluntati; sed non deerunt occupationes, & opportunæ occasiones ad explendam diuinam. Quòd si vt granum frumenti fructum proferat, necesse est, vt moriatur; quæ melior, & maior fœlicitas? quæ verò maior stultitia, quàm dolere de tali occupatione?

tione? Si Deus electionem mortis nobis permisisset: quamnam iucundiorem inuenire potuissemus illa, in qua neque cauteria, neque opprobria adhibentur? quid autem sunt aliud hominum Societatis occupationes, quàm stationes, in quibus Deus illos ponit; spatia quædam ipsius obedientijs plena; venæ apertæ ex quibus totus sanguis effluit propriarum voluntatum: quæ magis in oculis Dei splendent, quàm lapides pretiosi: aprissimæ, ac ditissimæ viæ ad perfectionem, nec illæ ex Samaria vsque Iordanem, ex fuga Assiriorum adeò refertæ erant eorum spolijs & rebus pretiosis! aperi Domine oculos meos, & videbunt mirabilia legis tuæ. Hos gubernat lex Domini immaculata, pura ac munda; horum *cibus est*, sicut nostri Saluatoris, *vt faciant voluntatem Patris, qui in cœlis est*: cuius valde sunt egeni ac ieiuni propriæ voluntatis amatores. O à quot hominibus dulcis hic bolus ignoratur! paucorum est hoc ferculum ab omni proprio commodo lucroque expeditum: vnius Christi, vnius Apostolici Collegij post aduentum Spiritûs sancti, vnius Pauli Apostoli dicentis: Siue absentes siue præsentes simus, illi placere cupimus; ac vnij Daüidis dicẽtis, *nonne subiecta erit anima mea Domino?* & in alio loco ait: *voluntariè sacrificabo tibi.*

4. Regum. 7. 15.

Ioan. 4. 34.

Psal. 61. 2.

Psal. 53. 8.

HAEC est suprema & perfectissima pars resignationis & conformitatis cum voluntate diuina: in qua summè perficitur scopus & intentio amoris, in quo sanctus hic vir plurimùm excelluit, diligens Deum suum, non respiciens ad lucrum & præmiũ, adeò vt etiam affectum deponeret solatiorum & delitiarum, quæ in oratione

haberi ſolent: ita ſe Dei voluntati reſignando, vt eius amore eiſdem carere contentus eſſet, vt ex ſubiectis ſenſis apparebit.

Its, quæ tu Deus conſtitueris, omnis creatura acquieſcere debet; & facere quod iuſſeris. Sed nullus, cui tu fauorem hunc præſtiteris, vt aditum ad te habeat, & præſentiæ tuæ dulcedinem, & vocis, ac doctrinæ tuæ internæ ſolatium experiatur; poterit non dolere, quando huiuſmodi deliciæ ſibi ſubtrahuntur, ideoque dixit Dauid: d *auribus percipe lacrymas meas, & ne ſileas.* Ingens hic theſaurus latet, cùm eò peruenerit anima, vt experiatur, ſe non poſſe ſine Deo, eiuſque fauore viuere. Sed num propterea quod tenera interna ſenſa cordi meo deſint, eidem deerit directio Dei; & quod propria mihi ſenſa deſint deerunt Eccleſiæ communia, quæ ſunt fidei? his igitur ſplendoribus, hac luminis claritate, illuſtrandus ſum ego. Quæ veritas, vt etiam in Magis appareret, cùm illi Hieroſolymam peruenerunt ſubtraxit ſe illis ſtella, vt ſapientes, iuxta ſacram Scripturam, locum Natiuitatis Chriſti eos edocerent; & poſtea iterum ſeſe illis oſtendit, cùm ipſorum e *gaudio magno valde.* Nam particularia ſenſa ſæpe ſe occultant, quaſi flumina in aliquibus locis ſubtus terram fluentia, veniunteque ac redeunt ad nutum ipſius Dei; vt fides autem, Dei verbo, non verò ipſis ſenſis innitatur, permittit Deus, hæc aliquando abeſſe. Et iterum (ait,) intellexi: Deum pauciùs conſolationes ſpirituales largiri, eò quòd ad ipſius obſequium ita expediat. Nam eo anima eò melius præparata ac diſpoſita, quò magis aſſimilatur ſuo Redemptori, qui in hac vita fuit calamita-

d Pſal. 38. 13.

e Matt. 2. 10.

S. Bonav. proceſſ. 4. Religioſ. c. 1.

mitatibus plenus, eiusque anima multis desolationibus ac tristitijs. Solatium autem simile debet esse refrigerio, & leuamini, quo viator in hospitio est refectus: non vt in eo maneat, sed vt maiori animo & robore pergat vlteriùs; & loquens cum ipso Domino solebat cum quadam resignatione valde plena ac perfecta dicere: Domine, qui hoc me beneficio affecisti, vt me totum & quidquid in me est, tibi offerens, requiescam: hanc quoque largire gratiam, vt in eo quoque quietem inueniam, quòd me pro tuo libitu tractes. Nec altiorem finem quæro, nec minus apta media; non ampliores fauores, nec pauciores dolores; non maiores delitias, nec pauciores labores: qualem Deus me fecit, & ego sum promeritus: talis haberi volo; sicut Deus fecit & ego peccaui, ita volo tractari: nec plures teneritates volo nec pauciores desertiones ac stupores.

IVXTA hoc beneficium, quod accipiebat à Deo, docebat eos, qui cùm Spiritui se dedant, anxij sunt, eò quòd existiment, se Deum non amare feruenter; docebat, inquam, eos, vt vel in eo statu, quo sunt, incipiant illum amare. *Primum*, tolerando eum, si iudicant, malè se ab eo tractari. *Deinde*, vt contenti sint ijs, quæ ipse largitur: magnum & singulare donum, quicquid dederit, reputando. *Tertio*, vt contenti etiam sint eius moras exspectare, nec longas eas iudicantes; sed breues ac opportunas; & tanquam diuites thesauros: cùm hi pro animabus puris non in eo consistant, vt ipsius Dei bona habeant; sed in eo, quòd ille sit cum ipsis contentus.

Quarto, vt faciant & offerant, quo plura poterunt obsequia, pura soli ipsi placendi intentione. Quemadmodum enim honestissima quædam vxor amorem suum erga virum ostendit, faciendo quæcunque potest, vt illi placeat; quòd si se exornat & comit, id facit, vt ei soli placeat; nec vlli alteri; ita vt, si viro suo placeret, vt omnia illa ornamenta deponeret, libentissimè id faceret: etiamsi ab alijs non compta & ornata, deformis & vilis haberetur; contenta eo solo, quòd viro suo placeat, cum illo maneat, & iucundum lætumque illum reddat: ita anima verè & seriò Deum amans, omne suum solatium in eo collocat, vt ille benè sit cum ipsa contentus: quòd si virtutum ornamenta, scientias, & alias gratias desiderat: id non facit, vt hominibus placeat, & ab eis magni fiat; (id enim genus quoddam adulterij reputaret;) sed solùm, vt Deo suo magis placeat; aliosque iuuet ad idem præstandum. Ideoque; si Deus illi solatia, & fauores subtrahit, nec gratias gratis datas largitur; & quamuis calcetur & contemnatur, æquè ipse est pacatus: eò quòd id velit Deus, in cuius beneplacito omnia sua bona constituit: *& sic placens Deo, erit dilectus.* Et qui hac ratione Deo gratum se exhibuerit, diligetur ab ipso; sibique comparabit amoris eius præstantiam, ac diuitias ab eo prouenientes.

AD huius rei confirmationem dicebat: præcipuum omnis bonæ Orationis finem, & optimum fructum ex ea colligendum, esse: dare Deo quidquid à nobis petierit; magnaque cum conformitate ei acquiescere in omnibus, quæ de nobis statuere velit, in agendo ac deducendo nos, quibus

quibus vijs ipse voluerit; siue auferat sanitatem, honorem, commoditates, aliasque res naturales, siue circa interiora & spiritualia subtrahat pristinos fauores, subducat se à nobis, aut occultet; frigidos nos deserens, & quasi in tenebris; & simul patiatur, nos tentationibus, timoribus ac desolationibus oppugnari: vt ita ipsi maior gloria deferatur, & nos magis proficiamus; nam hoc est, quod ipse quærit; & quod reuera sequetur, si nos erimus fideles, & perseuerantes; nec ad creaturas conuertamur, ad externa quærenda solatia; etiam cùm ex ipsius Dei rebus tædio magno afficiamur; ac videamus, quasi nos ab ipso deseri; nec ipsam crucem fugiamus, nec ipsas Probationes, quas nobis mittit: si enim fideles in eis fuerimus, reuertentur priores gratiæ, meliores & potiores. Quemadmodum S. Iob redierunt greges: cuius verba semper in ore habeamus, dicentes in huiusmodi euentis: f *Dominus dedit, Dominus abstulit*: idem enim Dominus, qui dederat hoc mihi donum, illud abstulit, *sit nomen eius* in æternum *benedictum*: nam siue det, siue auferat, vtrumque ex amore facit; & in meum commodum. Et Sacerdos Heli dixit: g *Dominus est, quod bonum est in oculis eius, hoc faciat*: Nam idem etiam erit in meis, quomodocunque ipse disposuerit. Ex quo fit, vt qui huiusmodi habet resignationem; & quæcunque aggreditur, in eum dirigit finem: quamuis faciat, quidquid potest, ac debet; exitum tamen, quem quærit, ita Dei dispositioni remittit; vt quietior sit, & pacatior ex Euentu, quem Deus mittit; etiamsi solatio suo aduersetur; quàm si ex voto suo eueniret; ita Ioab belli

f *Iob.1.21.*

g *1.Reg.3.18.*

h Paral. 19. 13. dux fratri suo dicebat: h *confortare & agamus viriliter pro populo nostro & pro vrbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet.* Hæc omnia docebat P. Balthassar eos, qui orationi studebant; quæ & ipse cordi suo valde affixa conseruabat. Quare cùm huiusmodi resignatione ac fiducia præclara aggressus est, vt vidimus, in bonum animarum, facinora cum fœlici ac prospero euentu.

CAPVT LI.

GRAVES ALIQVAE SENTENTIAE circa resignationem, ac de prouidentia diuina fiduciam, ex literis eius ad ægrotos & afflictos, quibus illos consolabatur, excerptæ.

QVAMVIS P. Balthassar gratia & prudentia valeret, vt suprà est dictum, in scribendis literis ad reuocandos lapsos, & exstimulandos torpentes & pusillanimes: non tamen minùs valebat ad consolandos & animandos ægrotos & afflictos, vt qui experientia didicerat, quid esset ægrotare, & tribulari; ex qua experientia deducebat monita & consilia, quæ reliquis daret. Hæc autem præcipuè erant, (vt suprà est dictum) resignatio, & conformitas cum voluntate Dei, & suauissima eius prouidentia, in qua totum solatium suum constitutum habebat, cùm ægrotaret, aut aliàs tribularetur: & eadem ratione consolabatur suis literis ægrotantes & afflictos, varijs valdeq; iucundis modis, quorum bonos

Cap. 27.

bonos aliquos bolos hic proponemus, ad maius nostrum solatium & commodum.

§. I.

CVIDAM nobili personæ tertianæ febri laboranti has scripsit sententias: Sancta Gertrudis in quadam exstasi, diuinitùs fuit edocta Deum D.N. qui summa est bonitas, eodem amore, quo hominem condidit, dispensare, ac disponere, quæcunq; illi mittit, tam aduersa, quàm prospera, in vtrisq; respiciens maius illius bonum. Ex quo sancta illa deducebat: valde cæcos illos esse, qui non delectantur, ac se valde fœlices iudicant, cùm talia ipsis ex amore adeò intenso proueniunt. Tu autē, bone Domine, non ex illis cæcis es; sed (quæ magna est Dei bonitas) ex benè ab ipsomet edoctis; vt ex hac tantæ lætitiæ materia intelligas, te ab ipso amari, & amicè ac beneuolè tractari; & seueras hasce febres argumentum reputes teneræ gratiarum actionis: siquidē habet aliquid eius amoris, quem S. Laurentius ostendit erga Deum, cum ipsam craticulam, in qua vrebatur, conuertit in laudes Dei, dicens: *assatus, Domine, tibi gratias ago.* Ago & ego illas infinitæ charitati: quòd te ita præuenerit in benedictionibus dulcedinis, vt in hac probatione fidelis inueniaris. Cuidam alteri valde illustri in eundem sensum scripsit. Magnū, inquit, indicium, quòd statio ista tua Deo placeat, est pax & tranquillitas, quam ipse in ea tibi dat, adeo continuatam, vt quasi centrum tuum esse videatur. Gratissimus nuncius fuit mihi, optanti, te in omnibus gubernari regula adeò infallibili: quod si hanc stellam tanquam polum sequaris, ex omnibus calamitatibus fœliciter licebit exire: ne

Salmant. 19. Aug. 1574.

Salmant. 1. Martij 1576.

ne possint vlla aduersa solidum tuum solatium diluere, idque meritò: nam, cui Deus oculos aperit ad discernendum, quantum bonum in ipso habeat; etiam aperit, vt eodem lumine, videat, quantum valeant & æstimari debeant omnia pœnalia & aduersa; & agnoscat, ea esse instar velocium Postarum, quibus ingentia spatia, quæ inter animas & ipsum interiacent, velocissimè percurruntur; & eum, qui dicat ea esse impedimenta ac progressum retardare; iniuria afficere diuinam prouidentiam, si quis enim proficere cupit, eique placere, quem meritò debet plus quàm se ipsum amare: meritò etiam occasiones illas desiderabit, in quibus ei placere possit: quæ occasiones cùm sint euentus illi, quos cæcus mundus infelicitates, infortunia, & onera appellat; ea ipse talia non iudicabit; sed Dei studia & fauores inse reputabit, & quidem eo maiores, quo illa grauiora erunt.

CVIDAM Religioso hæc scripsit: corporis laborem & maiorum adhuc animæ sustinet R. V. vtrumq; à Dei dulcedine ita ordinatum, vt ipsummet Deum tecum habeas. Memini Christum D. N. S. Gertrudi aliquando dixisse: quando animam quampiam virtutibus vacuam videbat, se ad eam deduci, eò quòd eius delitiæ sint esse cum filiis hominum, quos in corpore doloribus & tribulationibus; in spiritu verò turbationibus repleret, & quidem interdum multò grauioribus, quàm essent priores, vt viam venturo ipsi sternant; & ad afflictam animam vocent, excitatis ad ipsum Deum clamoribus, cùm antea nec voces essent, nec sensus; ait enim Scriptura: a *prope esse Dominum*

a *Psal.* 33. 19.

ijs, qui tribulato sunt corde, & ipsemet dixit: b *cum ipso sum in tribulatione*. Hæc est pressuræ tuæ causa, non odium; non abiectio est beneuolentiæ Dei, sed eius dulcedinis amplexus; qui eò maiori debet esse venerationi, quò strictor est, & compressior: hoc enim indicium est, quo ipsæ creaturæ inter se mutuum amorem manifestant. Si tua crescit ærumna; crescat & fides in Deum, quæ adferet sanitatem: ita enim Apostolus de alijs infirmis benè credentibus: c *fide conualuerunt de infirmitate*: Non volet Dominus botrum adeò immaturum decerpere, quem pro sua oblectatione condidit. Quod si purè ob ipsius obsequium viuere optas: tutò potes id desiderare, ac petere: non enim ex eo offenditur Dominus, sed complacet sibi. Eidem quoque sanctæ Gertrudi dixit: quòd pietas amoris sui, quo animarum salutem desiderabat, ipsum cogebat, tãquam obsequium ipsummet quærendi, acceptare iustorum desideria, quibus non inordinatè aliqua propria bona quærerent: & si qui corporis morbis aut spiritûs desolatione, aut similibus alijs pressuris grauati, sanitatem desiderant, aut eiusmodi calamitatibus liberari: ego, vt iuxta magnitudinem amoris, quo illos prosequor, copiosissimè remunerem eorum desideria, reputo, quasi me ipsum quærant. O verba cordialis verè consolationis, pro eo qui sentit in se, quod ab ipso audiuit! compatior, quod in isto sis statu, expertus sum enim, quanta sit hominum imbecillitas cum Deus illos proprijs viribus relinquit, vt clarissimè deprehendant, quàm parum sine eo possint, quem, vt sibi ipsis innitantur, deserunt: Cùm igitur ego ad portas

b *Psal.* 90. 15.

c *Hebræ.* 11. 34.

mortis

mortis peruenerim, ſicut tu, viuo tamen: redeas & tu ad te ipſum, viueque confidens, quòd poteris eſſe ſicut ego; & vires habere adhuc maiores: reſpira & te ipſum conſolare, ſciens ad ſanitatem & alia, quæ deſideras, citiùs, & cum maiori tua voluptate impetranda, illud eſſe aptum medium, vt cum Deo te geras reuerenter, liberaliter & ingenuè te liberæ eius voluntati ac nutui tradens: nam donec DEVS id à te obtineat, ſcito, ipſum permiſſurum, vt ad mortis portas proximè accedas; quem ſi reſignatum viderit, & promptum ac paratum: audies ipſius Dei reſponſum ſicut Abraham audiuit Angeli, cum *extendit manum & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum*: cùm dixit: *non extendas manum tuam ſuper puerum* non enim aliud quærebat DEVS, quàm tuam probare fidelitatem, quam cùm iam videt, iubet, filio prætermiſſo, victimam offerre ex ariete, quem coram te habes. Nouerat benè Deus, abſque tali probatione, quo vſque Abrahami fidelitas eſſet progreſſura; ſed ipſe non ſciuiſſet, an tantam haberet virtutem, niſi Deus ad extremum illud perduxiſſet; nec tantum fuiſſet ipſi ex filio ſolatium, ſi parcum ſe tardumque erga Deum exhibuiſſet; & aliquid ex parte ſua prætermiſiſſe, quod ad eius obſequium facere potuiſſet, qui adeò benignè ac liberaliter filium ipſi ſuperſtitem, & cum tanta gloria ſua reliquiſſet. Nullum, mihi crede, aptius inuenies compendium, quo ab iſta preſſura expediaris; nec magis ad tuum palatum, quando ſanitas redierit. Proijcias te clauſis, vt dicitur, oculis in manus Dei, in quibus

Gen. 22 10.

quibus tutus omnino eris, quòd non tibi malè cedet: siquidem illæ, vt temporaneam & æternam tibi requiem promererentur, voluerunt cruci configi.

§. II.

BINAS alias scripsit valde pias de eodem argumento ad duas nobiles Dominas. Ad alteram hæc dicit: In tuis literis legi multas ærumnas, quibus premeris; & credidi plures adhuc esse ac grauiores, quàm illæ sint, quas insinuasti: si enim exprimi potuissent, non censerentur valdè graues. Memineris: dulcedinem, quam à Deo speras, hanc & similes alias habere qualitates, quæ eius magnitudinem præstantiamque ostendant. Spectaculum (ait S. Augustinus) sperant iusti se visuros, tantam in se continens dulcedinem, vt licèt magnam esse cogitari posit: quàm tamen magna sit, assequi non liceat. Nescio, quid dicam de tot ærumnis, quas Deus in te accumulat: nisi illud Dauidis, qui de eo dicit: *a congregans sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.* Sicut enim tantam aquarum multitudinem in vtrem, vas adeò paruum, infundit: ita ingentem rerum multitudinem in animam; singulas ex se quidem insipidas; sed alteram altera amariorem: & in his ait ponere DEVM abyssos thesaurorum suorum. Thesauros vocat consilia sua, arcana sua, & dispositiones non satis à nobis intellectas, quibus vtitur ad nos promouendos in bonum, & animas nostras perficiendas, & meritò talia consilia vocantur earum thesauri: quia ab eis

22. Maij. 1572.

a Psal. 32. 7.

eis omnes earum diuitiæ, omnis felicitas, & quidquid eas docet, & subleuat proueniunt. In huiusmodi igitur thesauris, (ait Dauid) Deum ponere abyssos: quando multas ærumnas & calamitates congregat in aliqua anima. Stupendum hoc verbum est! quod, nisi ipse legat & explicet, obscurum valde manebit. Pulsa ad eius fores, quas non aperit absque mysterio: & interim donec aperiantur, venerare in silentio arcanum, quod mens tua assequi non potest, magno desiderio tenetur Deus videndi in nobis filij sui imaginem ad viuum depictam. Quòd si nos videre vult solos, & ærumnis contritos & oppressos, non aliò tendunt eius curæ & cogitationes, quàm vt illa imago in nobis perficiatur. Postquam eius filius (in quo valde sibi complacet) insignia illa induit, quæ Fides nos docet, ac prædicat; non potest illi placere, quòd nos eisdem indui non studeamus; & quod, cùm ipse nos eis induerit, nos genua non flectamus, & cùm magni amoris ac reuerentiæ significatione gratias non agamus. Non sunt hæc vt solum ita dicantur; sed vt verè sentiantur, & ex eis nostri cordis solatium hauriatur. Siquidem Deus noster, qui non bis punit id ipsum: cùm semel id facit, expurgat desolatione temporali, quod fuisset æterno igne puniendum; & abluit aquâ rosaceâ, quod fuisset sanguine crudelibus cruciatibus effundendo, purgandum. Ei, qui Dei amorem habet, & per eum sentit diuinam maiestatem huiusmodi mittere excitatores; non sunt aliæ considerationes necessariæ, vt eosdem amet & adoret. Omnes illos reputat gratias, omnes nuncios celerrimos, ignitos carbones, in-

gentia

gentia lumina, ipsius Dei in se beneuolentiæ; omnes accipit tanquam amoris eius sagittas, quæ quantu nuis ipse sit durus, non tamen sinunt esse saxum. Eò te Deus noster dirigit; quare, nisi eius amore inflammeris, timeas. Eò ipse hasce tuas dirigit ærumnas, & calamitates. In quibus, nisi aduertas eius fauores ac delitias; gemas tua peccata; quæ vela sunt super oculos tuos, & impediunt videre felicitatem ac diuitias mediorum aptorum adeò & commodorum, quibus vtitur Deus, ad altissimum finem suorum consiliorum. Quousque hæc intelligas, Deus te faciet vacillare; donec hoc tibi sapiat, Deus te amaricabit; donec magni hoc facias, Deus attendet, vt te ampliùs humiliet; donec eius consilia ac dispositio tibi placeant, quæcumque desideraueris, euanescent; quidquid acciderit, displicebit; omnia tibi contra votum, & palatum euenient; omnia tibi deerunt: quia tu ipsa in ea re deficis, quæ sola sufficit satiare, honorare, ac docere possidentem. Hinc S. Augustinus in illa verba Dauidis: b *exquisiui Dominum, & exaudiuit me*, ait: qui non exaudiuntur, non Deum ipsum, sed alia ab ipso bona quærunt: & quoniam iniuriam Deo inferunt, volenti se in amore suis donis præferri, illi ita puniuntur, vt illa non consequantur, & à familiari eius amicitia repellantur. Tali pœna meritò punitur talis temeritas. Fusior hic est discursus; sed studio feci, vt in alijs breuior sim; & quòd cupiam in te perficere quod cœpit Deus. Doleo, quòd tot obruaris molestijs; sed plus illud sentio: quòd, licèt scribas, te ex parte earum thesauros agnoscere, ea pars adeò sit parua, vt mihi satis non sit. Ardes

b *Psal.* 33.5.

quidem, sed parum; luces, sed modicè: hæc enim ita accipere videris, quasi parum in eis positum arbitreris. Cùm bona tua venia, videris mihi, nec tuam paupertatem agnoscere; nec diuitias, quas Deus tibi offert, intelligere; ex quo prouenit, vt non tanti facias, pro vt par est, quod Deus mittit; neque cum eo amore, quo ille id mittit: ac propterea vereor, ne hac via ipsum Antidotum conuertatur in venenum; & parum proficiatis, de cuius vita agitur: nisi, quod iam obtinuit, magni faciat.

Metinæ vlt. Mart. 1572. ALIAE literæ tales sunt: Deo sit laus, quòd tui non obliuiscatur. Qui oculos habet ad videndum, (vt ait S. Augustinus) postarios Dei cursores reputat ægritudines, per quas celeri cursu ad eum curritur: nam, vt animas ad meliora promoueat, studio illas mittit, arguens & *castigans quos amat*. Nec volo te ignorare, conceptum animo meo solatium, ex cognitione consiliorum Dei circa res tuas, non fuisse imminutum ex recentis tui vulneris cognitione: vt ex hoc intelligas, quali te amore prosequar. c *Liuor vulneris* (ait Spiritus sanctus) *abstergit mala*. Intellige sententiam, & experieris Dei studium & fauorem. Est enim sensus: iliacus morbus & dolor; & animæ sanitas: non censentur caro pretio haberi animæ bona, quæ corporis doloribus & incommodis comparantur. Perge in bene circa tuam renunciationem cœptis: hæc enim lectio tibi nunc prælegitur. Cùm igitur initio statueris, Deum solum sine alio adiuncto comite quærere, eumque inueneris: noli nunc alium adiungere, ne iniuriâ eum afficias. Hoc ipse vt impediat, te præuenit, decorem

c *Prou. 20. 30.*

auferendo. d *Nolite* (inquit sponsa illa sancta) *me considerare, quòd fusca sim: quia decolorauit me sol.* d Cant. 1. 6.
Nec alius eius loco; nec cum ipso alius simul quę-
rendus: nam primum falsitati & fraudi; secun-
dum impuritati tribueretur. Ne hanc illi iniu-
riam aut notam inuras, vt alium quempiam si-
mul mensæ cum illo assidere facias. Petas ab eo
obnixè vt in anima tua requiescat. & si fortè du-
bitas, quomodo id facies: ipsum interroga: quod
si reuerenter ac demissè feceris, internum hoc re-
sponsum accipies: sine, filia, me agere circa te
quod ego volo: plurisque illud facias, & præfe-
ras omnibus alijs donis, quæ tibi largiri potest, si-
ue temporalia, siue æterna: sic enim & ille con-
tentus tecum erit; & tu ditior euades, magisque
proficies. Discas amplè de rebus eius sentire, cre-
dens de omnibus eius operibus, quod seruus eius
Moyses dixit: quoniam e *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia* recta & iusta. Cumque il- e Deut. 32. 4. 19.
le in filiam te susceperit: noli eius iram irritare:
nam id obseruabit, teque ad viuum punget, ac pu-
niet: quemadmodum de alijs refert Scriptura sa-
cra: *Vidit Dominus, & ad iracundiam prouocatus est: quia prouocauerunt eum filij sui, & filiæ.* & simul
attende: cum quanto rubore audienda sint ver-
ba, quæ paulò inferiùs subiecit: *Infideles filij.* &
quò ampliùs in huius Domini seruitio, & am-
plectenda eius voluntate profeceris: eò maior
tua erit apud me opinio, & æstimatio maior:
quamuis & nunc non sit parua.

HVIVSMODI rationibus vtebatur sanctus
hic vir ad consolandum suauiter, & efficaciter
infirmos & afflictos; vt prouidentiæ diuinæ fi-le-

rent; ſuamque voluntatem diuinæ ſemper accommodarent: à qua didicerat experientiâ, noſtrum dependere remedium & ſolatium; & eandem ſolere aduerſa in proſpera commutare; quemadmodum in ſeipſo expertus eſt, vti iam vidimus.

CAPVT LII.

PROFICISCITVR TOLETVM, vbi prouincialis Officium auſpicatur, & quarto menſe vltimum diem obijt Belmontij.

1580. CVM P. Balthaſſar adeo eſſet benè probatus, ac reſignatus, & in eo perfectionis gradu, quem vidimus: voluit Deus D.N. fructum iam maturum, adeoque grati ſaporis pro menſa cæleſti, decerpere. Nam quemadmodum laborem Peruanæ profectionis, vt ibi Prouincialis munere fungeretur, tanquam merendi materiam ei obtulit: (ſiquidem, quod in ſe fuit, prompta ac generoſa voluntate eam acceptauit) ita voluit eiuſdem merita multum augeri ex illa promptitudine, qua ſe obtulit ad idem Officium per triennium in Prouincia Toletana obeundum, acceptans eius laborem paulò plus quàm trium menſium, vbi mortuus eſt tanquam bonus miles in ipſo conflictu, fideliter munere ſuo fungens.

ELAPSA igitur quadrageſima Anno 1580. diſceſſit Villa-gartia cum ea præparatione, quam retu-

retulimus cap. 48. cum Christo scilicet crucifixo in corde suo, (vt ipse dicebat,) & tribus eius fidelibus comitibus, paupertate, contemptu, ac dolore: magnas reputans diuitias, honorem, ac delitias, amabilem hunc & pretiosum dulcis sui Iesu comitatum. Venit Vallis-Oletum, vt Collegij sui Fundatrici, alijsque nobilibus personis, quibus singulariter erat obstrictus, valediceret. Accidit autem, vt ego tunc ibi essem: factus enim fueram Sacerdos in Sabbatho SITIENTES siue ante Dominicam Passionis die scilicet gloriosissimi sancti Iosephi, habuique primitias meas die Annuntiationis Beatissimæ Virginis in Collegio sancti Ambrosij: retinuerunt autem me per totam hebdomadam sanctam, & sequentem in domo professa, vt iuuarem in excipiendis confessionibus. Cum igitur ego P. Balthassaris subditus essem, accepit me socium, ad Visitationes & alia negotia peragenda: quod meæ tribui fœlicitati, tunc enim adhuc magis expertus sum spiritum, feruorem, ac verborum & rationum eius vim: cumque ex abundantia cordis, os loquatur, videbantur mihi a *labia eius* sicut cælestis sponsi *lilia* a Cant. 5. 13. *distillantia myrrham primam*: non enim solum suauia & iucunda erant; sed spirabant etiam fortem quendam, & acutum, valdeque penetrantem odorem; & omnia distillabant primam illam & electam myrrham paupertatis, contemptuum, ac dolorum diuini huius sponsi, quo adeò occupatum & repletum habebat cor. quare apud eos, quos visitabat, tanto spiritu ac feruore de tribus his rebus loquebatur, vt illorum corda penetraret, & inflammaret; excitaretque desiderium non

modò de eisdem meditandi, sed eadem etiam imitandi; & adhuc inter ambulandum prodibant ex eius ore aliqua verba de hoc argumento, quæ me, valde alioquin frigidum, quasi ignem accenderent. Optassem ego sanè sanctum virum ad Prouinciam Toletanam vsque comitari, vt eius dulci sanctaque Societate fruerer; & aliquid de tribus illis bonis comitibus, quos in suo corde gerebat, mihi adhæresceret: sed non fuit mihi concessum, quare redij Villa-gartiam, vt quod audieram, alta mente retinerem, ac ruminarem. Intra octo igitur dies Vallis-Oleto discessit, & ad suam Prouinciam peruenit. vbi aliqui, qui eundem in suis initijs asperiorem, ac rigidiorem erga se & ad alios nouerant, credentes eum adhuc in seueritate sua permanere, timorem aliquem alijs incusserant: sed breui deceptionem hanc deposuerant. cœpit enim humilitatem, suauitatem, & humanitatem, qua erat à Deo exornatus, omnibus ostendere. Quare cùm primùm ad Toletanam domum peruenit, insignem ostendit senioribus omnibus Patribus animi submissionem. iuit enim ad cubicula P. Francisci Stradæ, & aliorum Patrum antiquiorum, qui ibi erant: flexisque genibus petijt ab eis manum, vt oscularetur: & tunc P. Strada dixit: Prouincialis, qui tam demissè genua flectit, bonus erit Prouincialis: nam b *vbi est humilitas, etiam est sapientia* cælestis, vt dixit Sapiens; & Christus D. N. qui adeò charos habet humiles, cælestem lucem prudentiamque eis communicat, ad rectam gubernationem: quemadmodum sancto huic viro datam esse ostendit in ipso Visitationis exordio, ita res totius Prouin-

b *Prou.* 11 2.

cia

eiæ prudenter ac maturè disponens, vt magnum omnibus adferret solatium: cuius rei fama cùm ad alia Collegia perueniret: vnumquodque Collegium cupiebat ad se citius peruenire.

SOCIVM Officij sui habuit P. Alphonsum Montoium, qui postea Officium illud in Prouincia Castilliæ gessit, postquam fuerat Domus Professæ Præpositus, vir sanè magnæ religionis, scientiæ ac prudentiæ, qui ordinem referebat, quem P. Balthassar in itinere ipso seruabat. Mane enim tres aut quatuor horas orationi tribuebat; cum ad hospitium perueniebat, faciebat Sacrum, gratias agebat, & particulare examen: & tunc sumebant cibum, & post breue temporis spatium, (nam cum esset ver ad omnia suppetebat) spiritualem aliquam lectionem habebant, & horas suas persoluebant: postea vsque ad vesperam toto itinere ordinariè vacabat orationi; nocte verò legebat Matutinum, seruato in omnibus ordine, quem habebat in Collegijs in quorum Visitatione eodem exemplo & omnium ædificatione procedebat, quem in Prouincia Aragonia seruauerat Sed cum maximè videretur in suo Officio feliciter progredi, voluit Deus eius progressum intercipere intra quatuor menses, felici quadam morte, qualis fuerat sancta eius vita.

CVM enim Toletanam domum Professam, Complutense Collegium, & Domum Probationis Villareiensem Fontanam visitasset, faciens magno feruore exhortationes suas tam domesticis, quàm sæcularibus in templo; vt omnes, quoad posset, diuino amore inflammaret, cœpit Villareij diligentias præscriptas adhibere, ad obti-

nendum magnum Iubilæum à Gregorio XIII. pro fœlici rerum Ecclesiæ progressu concessum. ieiunauit ergo cum magna seueritate vtraque septimana à Iubilæo præscripta, nemine potente illum impedire; quamuis ob suam debilitatem satis esset excusatus. Ieiunio illo debilitatum est valde corpus; quamuis sensim spiritus ad id, quod illi imminebat, disponeretur. Accessit temporis illius magnus æstus, & quem in ipso itinere mense Iulio sustinuerat: quare cùm ad Collegium Belmontense peruenisset, incidit in febrem: quam nec medici, nec domestici magni faciebant: at sanctus Pater intellexit horam suam peruenisse: & ita se ad mortem cœpit præparare. Confessus est generaliter socio suo P. Alphonso Montoio; communicauit magna cum deuotione; petijtque valde tempestiuè, & accepit extremam vnctionem, editis magnis indicijs, reuerentiæ, amoris, & æstimationis Sanctorum horum Sacramentorum; & gratiarum, quæ per illa sibi communicabantur; ac beneficij, quod accipiebat à Deo, volente ipsum ad se vocare. Nolebat Visitationes admittere: vt eo esset expeditior ad orandum, & agendum cum Deo suo. Et cum ei socius diceret, vt aliquem constitueret suo loco, respondit: ne, quæso, de negotijs mecum agas, non est enim tempus. Medicus volebat ei periculum indicare, & quam prope finem, eius esset vita; cœpitque aliquid per ambages quasdam insinuare, nolens apertè id dicere: quem cùm sanctus Pater benè intelligeret, dixit valde expeditè, & sine vlla hæsitatione: non est cur timeas, apertè mihi dicere, imminere mihi mortem; quia nihili facio viuere, nec

nec doleo quòd moriar. Quidam alius Pater videns pacatum animum, quem ostendebat, ad exeundum de carcere huius corporis, interrogauit: an gauderet, & libenter moreretur? cui respondit: si in aliquo tempore: cur non iam? quo responso bonæ suæ conscientiæ testimonium, & salutis suæ fiduciam indicauit. Sed quid mirum, quòd eam habuerit in fine tam Sanctæ vitæ: cùm in eius medio simili periculo affectus ea dixit, quæ supra cap. 28. retulimus? præcipuè cùm (vt etiam superius est dictum) reuelationem habuerit, se esse ex numero electorum ad cælum. Accesserunt omnes, qui in Collegio erant, ad hunc eius transitum, multis profusis lacrymis. Et quamuis omnes optarent, in ea hora aliquid ædificationis ex eius ore audire: vir tamen Sanctus, noluit eorum orationem interrumpere; nec suum internum cum Deo colloquium: in cuius præsentia cum magno silentio & quiete finem imposuit suæ peregrinationi, reddens spiritum suum Deo, septimo die suæ ægritudinis, hora quinta vespertina, die 25. Iulij, sancto Iacobo Apostolo sacro, cui ipse erat valde piè addictus, Anno 1580. ætatis suæ 47. & Societatis 25. Valde omnes sènserunt, se priuatos tali virtutum exemplari, & vtilitate, quam ex eius gubernatione in ea Prouincia sperabant.

CVM eius obitus in Oppido innotuisset, plurimi famâ eius sanctitatis permoti, accesserunt, vt saltem mortuum viderent, de quo non potuissent aliam notitiam habere. Et quoniam Dominus noster voluit, seruum suum adeò sibi in vita charum, post mortem honorare: inspirauit toti Collegiatæ illius Ecclesiæ capitulo, vt etiam non

vocatum, ſolenniter ad eius funus accederet. Fuit autem & funus ipſum & exequiæ cum magna ſolennitate celebratæ; & corpus eius in teſtudine repoſitum, vbi ſolent aliorum Religioſorum corpora collocari.

QVANDO in Caſtilliam peruenit nuncius de eius morte magnus fuit omnium ſenſus ac dolor, tam Societatis, quàm ſæcularium grauiſſimarum perſonarum, præcipuè Ducíſſæ de Frias, quæ ſtatim atque intellexerat de eius ægritudine, miſerat ex Villalpando mulam vnam rebus multis ad eum ſubleuandum & confortandum aptis oneratam. quando autem nuncius de eius morte peruenit, tantus fuit Dominorum illorum, qui illic aderant dolor, ac ſenſus, vt conſolationis alicuius cauſa P. Rectorem Villa garcenſem ſtatim accerſerent. Nec minor fuit dolor D. Magdalenæ Vlloiæ Fundatricis Collegij Villa-garcenſis, ex quo ille in alteram Prouinciam diſceſſerat, cuius Capellani ſolenniſſimum ibi fecerunt Officium Vigiliarum & Sacri muſicè cantati; idemque fecerunt illius Collegij Patres, vbi recens valde erat Rectoris ac Patris ſui memoria. &, quamuis plurima Sacra in diuerſis partibus pro eo dicerentur, maximus fuit tamen numerus perſonarum (inter quas valde multæ erant nobiliſſimæ, & valde doctæ) quæ eius Orationibus, tanquam viri Sancti, & multum in cælo potentis, ſeſe commendarent. Ego obſtupui & veneratus ſum occulta iudicia Dei, quòd voluerit talis viri vitæ flum abrumpere in tali ætate, & oportunitate cùm ſcilicet, iuxta naturæ curſum, diu adhuc ſuperuiuere potuiſſet; ſecundùm gratiæ verò oportuni-

tunitatem habebat aptam & commodam ad magnos fructus in Dei Ecclesia in sua Religione, & extra illam proferendos. Sed quoniam ipse est huius vineæ Dominus, eam plantat, putat, & palmites abscindit, quando & quo modo vult; ita vt nullus ei dicere possit, c *cur ita facis?* non enim à Deo exigenda ratio est eorum, quæ facit; sed id solùm pro ratione & quidem iustissima omnibus sufficere debet, quòd ipse fecerit; vt omnes, sese subijciant, & tanquam bonum rectumque accipiant, & amplectantur, quod ipse fecerit. S. Antonium Paduanum in minori adhuc ætate, quàm P. Balthassarem ad se vocauit; etiamsi fructus, quem in animabus faciebat, esset extraordinarius; & paulò maioris ætatis erat sanctus Franciscus, & S. Thomas Aquinas, alijque Sancti, cùm eos ex hac vita deduxit: non habita ratione, quòd libros, aut insignia alia facinora inchoassent, nec perfecissent. Deus enim numeratos habet dies Iustorum, & meritorum, ac præmiorum gradus; quare cùm eius dispositio & consilium locum iam habuit, eos vocat, vt in cælesti gloria in loco proprio collocet: & eadem operâ remanentes adhuc in hac vita monet, vt in hoc itinere festinemus, simusque vigiles, & benè parati ad hanc vitam deserendam: nam, nobis minimè cogitantibus, veniet filius hominis, vt vitæ nostræ rationem accipiat; & vel diligentiam nostram in eius obsequio remuneret; vel puniat incuriam in eius legis obseruatione admissam.

c *Iob. 9. 12.*

CAPVT

CAPVT LIII.

ALIQVAE REVELATIONES de fœlici eius morte & gloria: & auxilia spiritualia ab ipso etiam post mortem præstita.

QVONIAM mors Iustorum pretiosa est in oculis Dei, quorum vult perpetuam esse memoriam; ideo rem ita dirigit, vt fidelibus innotescat, quàm præclarus locus in æterna gloria sit illis datus. idque facit modò per particulares reuelationes; modò per miracula, aut insignia alia opera, quæ eiusdem rei sint indicia: & ita diuina eius Maiestas voluit Sancti huius viri mortem; & quàm illa in ipsius oculis fuerit pretiosa, reuelare eodem, quo obijt, die.

§. I.

AD id faciendum elegit idem Dominus ciuitatem Burgensem, ex qua facilè potuit in tota Prouincia Castilliæ diuulgari, in qua adeò erat notus, tantique fiebat. Ibi erat, quædam ancilla Dei (ex ijs quas Beatas sancti Francisci appellant) insignis pœnitentiæ, & magnæ Orationis, in qua magnos à Deo accipiebat fauores, etiam rerum futurarum reuelationes, quæ ita omnino eueniebant, sicut illa dicebat; & interdum vocem quandam audiebat, iubentem aliqua per se ipsam facere, quæ semper erant valdè vtilia, & quorum magnam habebat coniecturam, quod à bono

bono ſpiritu iuberentur. Hæc ergo, cùm die quodam Orationi vacaret, audiuit ſibi dici: veni, vt interſis morti cuiuſdam fidelis mei ſerui. Et tunc rapta fuit in ſpiritu ad quendam ęgrotum; vbi vidit circa eius lectum multos viros Eccleſiaſticos, magnum ſplendorem ex ſe ipſis emittentes, & cum illis magnam Angelorum multitudinem. Poſtea ingreſſi ſunt quinque alij in habitu Eccleſiaſtico, ſed cum maiori gloria & ſplendore, quàm priores; quorum vnus claram adeò & ſplendentem habebat lucem, vt ipſa cogitaret, eum eſſe Chriſtum D. N. ſed monita eſt, non eſſe. Hic ægrotum per manum dexteram accepit, & erexit; alij verò quatuor ad eius latera, & reliqui circumcirca: qui ſimul cum Angelis animam eius in cælum magno cum gaudio & muſica deduxerunt; duo verò ex Angelis apud corpus remanſerunt, vngentes, & thurificantes illud. Quæ Beata, cùm ſolennes adeò exequias vidiſſet, animæque adeo glorioſum aſcenſum, exiſtimauit eſſe quendam Epiſcopum in Italia, magnum Dei ſeruum, quem illa valde reuerebatur ac diligebat: ſed reuelatum eidem eſt, non illum eſſe, ſed Prouincialem Societatis Ieſu Prouinciæ Toletanæ. Statim autem poſt hanc viſionem, (quam vt diximus eodem die habuit, quo P. Balthaſſar obijt Belmontij,) venit illa, vt eam ſuo Confeſſario referret, Patri, ſcilicet Chriſtophoro Riuerio viro verè Sancto, prudenti, magniqueſpiritûs, qui & poſtea fuit huius Prouinciæ Præpoſitus Prouincialis, qui ſolicitè examinauit, quæ illa retulerat; & quando nuncius venit de morte P. Balthaſſaris, facta omnium circumſtantiarum collatione inuenit,

uenit, de eodem esse accipiendam hanc reuelationem. Et cùm eadem illa Beata post annos aliquot Vallis-Oleti, (quò se contulerat) interrogata à P. Francisco Salcedio, è nostra Societate, eiusdemque S. Patris ex Fratre nepos: quomodo res gesta esset? illa respondit: se id in quodam suo libello scripsisse, in quo alias notabat gratias & fauores, quas Christus D. N. exhibere illi consueuerat, quarum rationem suo Confessario reddebat: & postquam accepisset hanc, in qua vidit animam illam cum tanta gloria ad cælum ascendisse, se non posse eius obliuisci: quin quotidie eidem se commendaret; & postea se intellexisse, illum fuisse P. Balthassarem Aluarium. Quare, benè perspectis omnibus huius reuelationis circumstantijs, sanctaque eius, cui illa facta est, vitâ; cui similes gratias Deus aliquando faciebat; & quæ postea aliam etiam habuerit de morte & gloria sanctæ matris Theresse de Iesu; & denique quòd ille felicem habuerit suæ peregrinationis exitum; meritò haberi potest certa talis reuelatio; & quòd sancti de cælo, & Angeli ipsi, quibus Sanctus hic vir in hac vita piè valde fuit addictus, venerint, vt illum in morte honorarent. & siquidem vir ille magni splendoris non erat Christus D. N. piè credi potest fuisse Patrem nostrum sanctum Ignatium, cuius Pater ipse Balthassar erat filius; aut gloriosus Apostolus sanctus Iacobus, in cuius die festo diem suum ille obibat; aut aliquis alius, erga quem specialem habuisset deuotionem.

S. MATER THERESSA de IESV cum Metinæ intellexisset sancti huius viri mortem, non se po-

se potuit continere præ dolore à lacrymis vltra horam integram fundendis; nec vllus potuit eam consolari, quæ interrogata, cur, quæ reliquas huius mundi res tam parui faceret, adeò hanc sentiret? respondit, fleo propterea quod sciam, quantum noceat ac porro nocebit Ecclesiæ sanctæ Dei huius eius serui mors; & post hæc mansit in raptu siue ecstasi vltra duas horas: quid eo tempore viderit aut gestum fuerit, non dixit; scimus tamen, illam sæpius retulisse reuelationem, quam vndecimo capite posuimus, de excelso sanctitatis gradu P. Balthassaris in terra viuentis; ac de ingenti gloria, ad quam erat prædestinatus in cęlo. Et ego intellexi ex quadam fideli famula Dei eidem Sanctæ matri valde deuota, nostræque Societati piè addicta (de cuius veritate ac virtute magnam habeo certitudinem ac securitatem) quòd cùm ipsa esset valde semel afflicta, apparuerit sibi gloriosa & sancta illa mater, multis annis post suam mortem: quæ, vt ipsam in sua afflictione solaretur inter alia multa, hæc verba consolationi ipsius valde accommodata, dixit: & ego sum filia Societatis, habuique in ea Confessarium, quem nunc in cælo & agnosco & veneror. Est autem certum, illam intellexisse P. Balthassarem Aluarium: nam etsi prius alios habuerat: hic tamen diuturnior fuit, ipsamque magna cura præ alijs iuuit, ad præcelsa sua desideria exsecutioni mandanda; & de quo ipsa gloriabatur, quod confessarium & Magistrum eum haberet. Cùm igitur dixerit, se illum nunc in cælo recognoscere, ac venerari: signum est, eum occupare ibi locum & sedem adeo eminentem, atque

que ipsa vidit, cum adhuc in terra degeret.

Et quamuis hæ reuelationes magnum adferant solatium: quod tamen certiores ac securiores nos reddit, quod illæ sint veræ, est quidquid hactenus in huius historiæ progressu retulimus. Talia enim opera; tales virtutes, quales retulimus; talis charitas erga proximos; talis humilitas in opprobrijs; talis patientia in calamitatibus; talis conformitas cum Dei voluntate in rebus omnibus; talisque modus orationis adeò continuatæ, testimonia sunt in eo gradu certitudinis, quæ in hac vita de lege ordinaria haberi potest certa & firma, quòd fruatur Deo, qui talia fecit; in quibus vsque ad mortem perseuerauit. præcipuè cùm multo plura facere, ac pati optasset, quàm fecerit, & passus fuerit. propterea S. Ioannes ait, se vocem de cælo audiuisse dicentem: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus*, (cuius verba idem sunt atque facta) *vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Hæc ipsum coram Deo, Angelis, & sanctis eius honorant: & licet miracula desint, opera tamen ipsa, quæ prodigiosa satis sunt, eorum vicem supplent; suntque testimonia Sanctitatis certiora, quàm alia miracula, quæ etiam improbi ad confirmandam fidem, quam profitentur, licèt non ad ostendendam virtutem & sanctitatem quâ carent, edere aliquando possunt. Nec tamen desunt in hac historia res aliquæ raræ, ac prodigiosæ, ita viro huic sancto concessæ ad vtilitatem aliorum, vt simul fuerint quasi præmium suorum laborum, & media ad maiorem in virtutibus progressum: qua-

Apoc. 14. 13.

quale fuit donum Contemplationis, cum fructibus adeò raris, ac exquisitis, atque superius sunt narrati, scientia illa spiritus ei infusa; & Theologia ad Officium suum præstandum necessaria; cognitio occultorum cordis; prophetia & reuelatio rerum futurarum & absentium, quibus donis Deus illi indulsit, & honorauit in terra: hæc inquam omnia certa satis sunt signa & pignora bonorum æternorum, quibus nunc etiam eum honorat, eiqúe indulget in cælo.

§. II.

SED præter hæc voluit Dominus noster, eundem Patrem post mortem suam talia facere opera, quæ confirmarent ea quæ viuens præstiterat; & sanctitatem ac gloriam, quam pro eis obtinuerit. nam (vt ex Sacra scriptura deducitur) sancti, qui in cælo sunt, non deponunt curam eorum, quos sibi commissos habuerunt in terra: sed potius, cùm habeant puriorem charitatem, sintque semper in Dei conspectu, eum pro illis orantes; suis orationibus pro ipsis impetrant gratiam, & auxilia, quibus indigent, vt constantes esse, & crescere in bono possint, quod illis in hac vita persuaserant. Ad quod confirmandum facit, quod secundo libro Machabæorum refertur de duobus Illustribus Sanctis antiqui Testamenti, *Onia* summo Sacerdote, & *Ieremia* Propheta, quod eleuatis manibus multum orarent pro populo Israel; & sanctus Petrus Apostolus fidelibus, ad quos scribebat secundam Epistolam, scripsit: *dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, quæ scilicet fermo-

2. *Machab.* 15. 12.

2. *Pet.* 1. 15.

Ita Oecumenius & Græci, Bel-

Iarm. lib. de cultu Sanctorum c. 18.

ſermone eis prædicauerat, vt inuiſibiliter continuaret Officium, quod præſens & corporaliter erga illos fecerat. Hoc autem idem diſpoſuit diuina maieſtas, vt faceret P. Balthaſſar, cui adeò cordi erat zelus adiuuandi animas ſibi commiſſas, vt etiam poſt mortem idem præſtiterit officium, illas adiuuans in earum tribulationibus, & animans ac exſtimulans ad perſeuerandum in bene cœptis.

INTER has perſonas primum locum dabo D. Annæ Enriquez, cuius ſuprà facta eſt mentio, Domina nobiliſſima & valde ſpiritualis, & aduerſis rebus valde exagitata, æquè vidua, atque cùm eius vir eſſet ſuperſtes. Hæc eò quod eſſet ſancto illi viro valde piè addicta; poſtquam intellexit eius mortem, & experta eſt auxilia, quæ tunc per ipſum accipiebat, ſcripſit quandam omnium relationem his verbis, (aliquibus tamen omiſſis breuitatis causâ.)

CVM intellexiſſem morbum P. Balthaſſaris Aluarij Vallis-Oleti, contuli me in die Transfigurationis Domini ad Profeſſam Societatis Domum Confeſſionis & Communionis cauſa; & vt intelligerem aliquid de eius Patris morbo; cumque mortuus iam diceretur; adeò graue mihi id fuit, vt exprimere non poſſim; eò quòd multum de meo ſolatio, & leuamine amiſerim, quod ab eo habui tempore, quo recens relicta ſum vidua, valdeque afflicta: & quamuis aliquæ perſonæ, huius rei conſciæ, conabantur me conſolari: nihil me earum rationes mouebant. Incubui illa nocte ita triſtis: mane verò ſatis tempeſtiuè euigilans, Sancti huius Patris fui memor: ex cuius memo-

memoria ſtatim diffuſa eſt magna in animam meam lætitia, quæ res valde fuit mira: tum propter meam ordinariam conſtitutionem, tum propter talem occaſionem, & tam repente, & me nihil ex parte mea adhibente; ſed interius tamen multis rationibus mihi perſuadebatur, vt non eſſem adeò triſtis ac deſolata; quæ perſuaſio fiebat cum quadam ſuauitate & iucunditate maxima: & breuiſſimo tempore multa mihi innotuerunt, quæ faciebant obmuteſcere defectus illos, qui ob eius abſentiam in mente mea verſabantur: quos intellexi reparari velocioribus ad cælum curſoribus, quàm ſint qui in terra cum magna feſtinatione mittuntur; & expeditiores ab omnibus periculis: ſimul enim ſignificabatur, etiam ſeruos Dei, in terra non ſine magnis periculis & incommodis inter ſe inuicem communicare. Nec ſatis aſſequi poſſum, qua ratione, me tam prope eſſe viderem ei, quod ſenſui adeò procul eſſe videbatur: vt mirum omnino eſſe videretur. tantam autem concepi conſolationem, antequam è lecto ſurgerem: vt quamuis triſtis eſſe vellem, non poſſem. Ea conſolatione & animi tranquillitate toto illo mane in templo Societatis, & tribus proximè diebus potita ſum. Et ab ea hora videbar mihi, Patrem illum ad latus meum habere, non ſolum imaginariè, ſed quodam alio modo diſſimili. Tribus his diebus elapſis, licèt ego cuperem idem ſentire, non tamen poteram: ſed interiùs valde eius memoria delectabar, ſicut etiam dum viueret & abſens eſſet, aliquoties comitem ſe mihi exhibebat iucundiſſimum & puriſſimum, magis, quàm ſi præſens omnino fuiſſet; quamuis hoc

uis hoc non erat, quoties ego optabam.

POST annos aliquot 17. Nouemb. Anni 1587. pridie sancti Gregorij Thaumaturgi, cum in magnis internis angustijs fuissem, cœpi quadam nocte aliquos Psalmos orare: & quamuis versus aliqui, quandam cordis teneritudinem in me excitarent, grauis mihi tamen erat solitudo; dolebamque quòd non haberem aliquam personam, cui sensa mea, interna iuxta votum ac desiderium meum, aperirem: & sic hæsi, quasi stupore affecta, facie ad parietem versa. Dixeram ego ante paucos dies cuidam familiari animæ meæ, quę P. Balthassarem nouerat. O quanti ego facerem, si possem nunc cum isto Patre colloqui! cumque hoc adeo esset procul, vt accideret; ex inopinato inueni me apud illum: quem licet corporis oculis non viderem, sentiebam tamen propè ad dextrum latus meum comitem mihi se præbentem iucundissimum. Experiebar in eo maiestatem quandam cum familiaritate & humanitate coniunctam; & occurrebant menti meæ multa eorum, quæ dum viueret mecum loquebatur, idque tam clarè & apertè atque cùm viueret; & simul sentiebam eius spiritum: loquuta sum de rebus præteritis & præsentibus tenerrimè. Quod cum illo tunc transegi, & rationem ac modum eius colloquij non potero, nec sciam exprimere. Videbatur, non loquens mihi respondere; meque consolari, ac docere, & offerre se ad me iuuandam. Loquutus sum de meo Confessario, & alijs rebus: & experiebar illum erga me valde benignum; & eius conspectu tranquillitatem redire, cessante tempestate illa, quæ me valde cruciabat. Plurima-

rum

rum rerum lucem nihil loquens mihi adferebat, & explicabat ſpiritualem familiaritatem, & amicitiam, quam mecum habuerat: & videtur mihi, quòd ipſe videret, & luſtraret totam animam meam. Dixi ei, mi Pater, nihil mihi dicis? & viſus mihi eſt, ſignum quoddam verſus cælum feciſſe, quaſi me eò impelleret, ac ſtatûs illius amplitudinem mihi innueret: & hoc me plurimùm permouit. Cognoui eius ſanctitatem, & quàm ſeriò Deo D.N. ſeruiuiſſet: dixiqúe illi, aliarum perſonarum vitas editas eſſe, & publicè haberi; & quid eſſet, quòd eius vita in ſilentio maneret? reſpondit mihi non verbo, ſed modo, quem benè intellexi: non refert. Hoc inſinuans, quòd ex tunc vſque ad diem, quo omnia eſſent in lucem proditura, modicum eſſe tempus, cùm eſſent temporalia; & hac ratione magnum quendam odorem, & opinionem æternitatis mihi communicauit.

IN die etiam S. Andreæ fui in magnis triſtitiæ anguſtijs, ob aliquod verbum mihi ſignificatum; & cum hac afflictione ad ſacram Communionem accedens, ſenſi ſanctum hunc Patrem ad latus meum dextrum eodem modo quo nuper: & quamuis nec corporis oculis illum viderem, nec loquentem audirem, eum tamen ſentiebam, & intelligebam. Loquuta ſum illi; & ex tempore ſtatim euanuit nebula illa, quæ animam meam obnubilauerat; & ſenſi me tranquillitati reſtitutam, & animatam, videbar mihi tanquam patrinum eum habere, me docentem; & quando ſacra hoſtia in Miſſa eleuabatur, eamque adorabam; ſenſi illum prope me magnam ſanctiſſimo Sacramento reuerentiam exhibentem. Hæc omnia certa mi-

ta mihi visa sunt indicia ac testimonia, quod multum apud Deum valeat; eiusque maiestati placere per eum quasi visibiliter me adiuuare. Cumque ego gratias ei agerem, quod mihi adeò tempestiuè adfuisset; fecit, vt intelligerem, id totum Deo deberi. Ex quo aduerti eius erga Deum fidelitatem, quam semper seruauit.

ALIA quoque valde fidelis Dei famula, satis nota, & pro tali habita, retulit, quod cùm internam quandam in anima sentiret desolationem, recordata fuerit P. Balthassaris: & cum magno sensu ei dixerit: Pater, adiuua me: & paulò post visione imaginaria vidit eum ad latus suum dextrum iucundum ei exhibentem comitatum; & tunc ei dixisse: Pater mi, possibile ne est, vt cui tot bona præstitisti, beneque voluisti in terra; nunc in loco meliori existens mihi non subuenias? adiuua, quæso, me. Manebat nihilominus anima illa in sua tristitia ac desolatione, donec duo hæc verba interius audiuit, quæ ipsius esse iudicabat: *enitere ad perfectionem*: quibus illa leuamen sensit: & agnoscens necessitatem suam, sancti verò illius præstantiam, brachium extendit in eam partem, in qua eius præsentiam sentiebat, dicens: Pater, porrige mihi manum: & sanctus Pater illam porrexit; & vidit ipsa mediam brachij partem, eodem modo indutam, quo, dum viueret, esse solebat: arripuit illa Patris manum, & cognouit ipsa: hoc pignus esse fiduciæ, quam habere deberet, quòd esset voluntas Dei in ipsa, iuxta eius votum ac desiderium implenda. Et sic dulcis illa, iucundaque præsentia Patris euanuit, non tamen viuax medij brachij vestiti imago: cu-

go: cuius manum, vt dictum est, illa arripuerat.

QVIDAM Societatis Pater grauis, valdeque doctus P. Balthassari valde in vita familiaris, retulit, se in magnis ac paruis necessitatibus suis, tam spiritualibus, quàm corporalibus Deo D. N. per merita huius sancti eius serui commendantem, inuenisse remedium ac leuamen, idque aliquoties: & præcipuè in re quadam, quæ valde ipsum premebat, quasi miraculum fuisse credidit remedium, quod accepit. Et in alia afflictione, cùm se eidem Patri commendaret, internum accepit responsum, quòd in similibus necessitatibus deberet ad beatissimam Virginem recurrere; quod cum fecisset, se magnum sensisse adiumentum. Et iterum Belmontij, cùm idem faceret, submissam quandam eius vocem audiuit; & quidem sententiæ, quam proferebat, initium fuit vox externa; sed finis, interior, quasi inspiratio quædam. Nec sine causa voluit Deus D. N. omnia hæc signa & indicia fuisse ad subueniendum & subleuandum personas afflictas; sed vt eadem opera manifestaretur, quantum donum & gratiam habuerit in vita ad huiusmodi consolandas; & quam Deus eidem communicauit, ad eos per eius intercessionem consolandos, qui in tuis afflictionibus id ab eo petiuerint.

* *
*

CAPVT LIV.

TRANSLATIO OSSIVM EIVS ad Collegium Villa-gartiense.

In Psal. 115. A DEO est in conspectu Dei pretiosa mors Sanctorum eius: vt, teste sancto Basilio, quemadmodum olim, qui tangebat ossa corporis mortui contaminabatur: ita nunc contrà, qui ossa corporis alicuius sancti tangit, recipere possit virtutem, qua sanctificetur: ideoque idem Dominus vult, eiusmodi ossa in varia diuidi loca, vt in omnibus sint ornamentum, propugnaculum, ac defensio aduersus hostes nostros; & vt fidelibus eius honori sint. si à me quæras (ait sanctus Ambrosius:) quid ego in huiusmodi Ossibus ac Reliquijs Sanctorum venerer? respondeo, me in corpore illius sancti venerari vulnera, quæ pro Christo suscepit; memoriam eius, qui vitam duxit colendo semper virtutem; venerari cineres confessione Domini Dei sui consecratos, & in ipsis cineribus sementem æternitatis; venerari corpus, quod me docuit Deum amare, eidem placere, mortem non horrere. Et cur fideles non honorent corpus, quod ipsi dæmones venerantur? quem enim cruciatibus afflixerunt, eundem in sepulchro venerantur. Denique illud corpus ego veneror, quod Christus D. N. in hoc mundo honorauit; & est cum ipso in cælo regnaturum. Hi tituli, motiua & commoda ex veneratione & cultu Reliquiarum Sanctorum pro-

Orat. in 40. Martyr.

Serm 93.

prouenientia: & propterea ſtatim atque aliquem defunctum, ſanctum eſſe iudicamus: cupimus reliquias aliquas, aut rem eius aliquam habere. ex quo prouenit, vt qui P. Balthaſſarem Aluarium nouerunt, tantam de eius vitæ ſanctitate opinionem habuerint, vt aliquas corporis eius Reliquias, aut rem aliam eius ſecum habere optauerint; vt eum venerarentur, & eidem ſe commendantes, per huiuſmodi aliquod pignus copioſam Dei miſericordiam impetrarent.

QVI præ alijs in hac re deuotionem ſuam oſtenderunt, fuerunt duæ Illuſtriſſimæ Dominæ: Prima D. Iohanna Caſtilliæ, Fundatorum Collegij noſtri Villareij Fontani Neptis: quę, cùm quatuor tantum diebus cum illo egiſſet, quibus in tranſitu ibi hæſit, adeo fuit in ſuis interioribus difficultatibus ſubleuata, adeoque ſtupuit vim, & efficacitatem, qua ad cor loquebatur: vt optauerit habere ſecum poſt mortem, quem non potuit diutius habere in vita: & ita petijt à P. Prouinciali eius Prouinciæ (qui tunc erat, P. Franciſcus Porrius) vt curaret tradi ſibi caput S. Patris, quod ſpiritualis ſolatij cauſa ſecum retineret. Cui poſt paucos dies illud fuit conceſſum: tum quòd Societas valde illi eſſet obſtricta, tum quod magna cum deuotione id peteret. Ad illud tollendum miſit quendam Patrem illius Collegij cui tradidit arculam pulchrè exornatam, & pannos eleganter elaboratos, vt inuolutum & arculæ incluſum ad ipſam portaretur. Habebat caput capillos multos valde adhuc recentes, & aliquid intus ex cerebro, quod necdum fuerat conſumptum: & nihilominus nullus aderat ingratus odor, ſicut

nec ex toto sancto eius corpore, aliquid tale exhalabat, quando ipsa ossa in cistam vnam collegerunt: cùm tamen necdum caro tota esset consumpta: ideoque aliquid etiam calcis cum ossibus posuerunt, vt caro illa citiùs consumeretur: & quamuis in hac re non modicum temporis posuerint: nunquam tamen odorem aliquem ingratum perceperunt, cum tamen aliorum corporum in eadem cripta manentium fœtorem ferre non possent. Acceptum sanctum caput pijssima illa Domina posuit cum magna reuerentia, ac veneratione, in quodam Oratorio ad id solum destinato, præter alterum quod habebat; & illud pulcherrimè exornauit in testimonium amoris ac venerationis erga sanctum Patrem.

ALTERA fuit D. Magdalena Vlloia, hæc cùm cogitaret sepeliri in Collegio Villa-gartiensi, voluit sancti P. Balthassaris corpus ibidem habere, quem habuerat Confessarium & Magistrum, fueratque Rector, & primus Nouitiorum Magister in eo Collegio. Petijt ergo illud, à Patre nostro Generali, qui iam erat P. Claudius Aqua Viua, qui non potuit non annuere petenti. Ad ossa eo ferenda missus est P. Franciscus, Salcedius, nostræ Societatis, & eiusdem Patris ex sorore Nepos, cuius in præfatione nostra mentionem fecimus, attulitque illa occultè Vallisiæ inclusa vsque Villa-gartiam, & transiens per Vallis-Oletum, vbi hæc Domina manebat: dedit ei dentem ex capite Sancti extractum, vt secum illum gestaret: quæ valde gauisa est tali munere accepto. Aliqui Patres graues, ex domo nostra Professa cupiebant ipsa ossa videre, ac venerari: & P. Iosephus Acostius,

ſtius, qui vnus erat eorum, tantam percepit ſuauiſſimi odoris fragrantiam, vt interrogaret, an aliquid inter oſſa poſuiſſent, quod tam ſuauiter redolerent: cumque reſponderent, nihil eſſe poſitum, quamuis comparata quædam fuiſſent, vt ponerentur: reſpondit ille, ne id facerent: nam non deeſſe in illa domo, qui magnam fragrantiam percepiſſet. Solet enim Deus D. N. ſanctorum corporibus ſuauiſſimum odorem tribuere, quamuis non omnes illum percipiant. Conuenerunt Villa-gartiam P. Gonzaluus Abulenſis Prouincialis, & P. Ioannes Montemaiorius illius Collegij Rector, & P. Franciſcus Galartius Domus Profeſſæ Vallis-Oletanæ Præpoſitus, P. Ioannes Suarius, Antonius Padillius, & multi alij graues eius Prouinciæ Patres: acceſſit & Inquiſitor, D. Ioannes Morales Salcedius, affinis ſancti Patris, & D. Iacobus Lopez Salcedius eius ex Fratre Nepos, qui tunc erat Collegialis in inſigni ſanctæ Crucis Collegio Vallis-Oletano, quorum ſuperius facta eſt mentio. Sarcophagum ſiue ciſtam cum ſacris oſſibus depoſuerunt in quadam illius Oppidi Parochia, quæ dicitur S. Boalis, in quodam tumulo ad id præparato. Die autem ſequenti inſtituta eſt ex templo noſtro ad illam parochiam ſolennis proceſſio, ad ſacra oſſa ad illud deferenda. Præcedebant quadringenti Studioſi, & Clerus cum choro Cantorum, qui ſeruiunt noſtro templo; & hos ſequebantur Patres & Fratres Societatis, ſacris veſtibus indutus incedebat prædictus Inquiſitor Salcedius, vt Sacrum celebraret, & faceret Officium. Ciſtam ipſam acceperunt P. Rector illius Collegij, & P. Præpoſitus Vallis-Oletanus

& Pa-

& Patres alij graues, & ad certum tractum mutabantur: quia omnes cupiebant eum honorare, qui sancta sua vita ac doctrina adeò prius ipsos honorasset: collocatum fuit corpus in magno tumulo, quod fuit in medio summi sacelli erectum. Sequenti die mane fuit solenne Sacrum, & excellens concio habita à P. Roderico Cabredio, qui tunc erat socius P. Prouincialis, & postea fuit etiam Prouincialis, Visitator & Superior in Prouincijs Peruana, & Mexicana cum magna Dei gloria, & vtilitate animarum tam Hispanorum, quàm Indorum. Sacro finito, posita sunt sacra ossa in Capella Reliquiarum prope altare, in quo seruatur sanctissimum Sacramentum, ad latus epistolę: volente Deo D. N. ita eum honorare, qui adeò seriò ipsius honorem in terra quæsiuisset. Et quoniam ipse procurauerat, vt prædicta Domina Fundatrix sacellum illud adeò insigne ædificaret, in quo tantum sacrarum reliquiarum numerum & varietatem poneret ad honorem Sanctorum: ideo voluit Deus, eius corpus proprium inter illos haberet in terra locum, cuius anima inter eosdem in cælo locum habebat.

Et quoniam concio, quæ in hac Reliquiarum collocatione fuit habita, præterquam quod erudita valde sit, spiritualis, & curiosa, habet etiam breuem quandam summam, & iucundum Elenchum vitæ huius sancti viri, quam retulimus; visum mihi est, eam hic subijcere ad fœlicem huic historiæ finem imponendum.

CON-

CONCIO HABITA IN TRANSLATIONE OSSIVM PATRIS BALTHASSARIS ALVAREZ pijssimæ memoriæ ad Ecclesiam Societatis IESV Villa-gartiensem.

SALVTATIO.

MEMORIA IOSIAE IN COMpositione odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini. Eccli. 49. 1. &c.

CONVENIMVS hodierna die in Ecclesiam hanc, ad recens celebrandas exequias celebris illius viri & gloriosæ, ac fœlicis memoriæ P. Balthassaris Aluarij, Religiosi Professi nostræ Societatis IESV: etsi enim eam ipsem habeamus, quòd felix eius anima, diu iam fruatur æternis gloriæ bonis: (quod nobis pollicentur rara virtutis exempla quæ nobis in vita sua dedit) Nihilominus, vt sanctæ Ecclesiæ matris nostræ constitutionibus pareamus; nostræque obligationi satisfaciamus, Defunctorum Officium persoluimus. In quo ego minimus & indi-

indigniſſimus omnium eius filiorum, ſermonem de tali viro & in tali occaſione habiturus, ad rem eſſe exiſtimaui Sapientis verba initio propoſita: Memoria Ioſiæ, &c. quibus omnes ſui populi filios exhortabatur, vt memores eſſent glorioſi ſanctiſque illius Regis Ioſiæ, qui à Deo in bonum ſuæ gentis electus, excellentia adeò & ſtupenda opera in ſuis diebus fecit, ideoque Sapiens illis dicebat: memoriam hanc debere eſſe compoſitionis inſtar ac mixturæ ex varijs odoriferis, & aromaticis rebus per manum præſtantiſſimi alicuius artificis conditæ, quæ ſuauiſſimum odorem continuè exhalet: eritque hæc memoria in ore omnium hominum, qui de ea loquentur, quaſi mellis fauus ſapidiſſimus illis ac dulciſſimus; & quaſi ſuauiſſima & ordinatiſſima muſica in auribus exiſtentium in delicioſiſſimo conuiuio. Aptantur autem hæc verba pulcherrimè excellentiſſimo huic viro, cuius oſſa in Sarcophago illo incluſa habemus. Quemadmodum enim apprimè illi competit nomen Ioſiæ, quod in hebræo *ignem Domini* ſignificat: ita etiam facta, & quæ de altero illo Ioſia dicebantur, aptantur illi commodiſſimè. Ignis enim Domini fuit iſte magnus eius ſeruus: ſiquidem ignem verbis ſuis, ignem ſuis operibus, & ignem tota vita ſua in alijs accendebat. Bene itaque ei aptantur verba, quæ de altero illo Ioſia ſunt dicta, & quidem nominatim hodierna die in hac exequiarum, quas hodie perſoluimus, ſolennitate: id autem eſt in hac concione à nobis oſtendendum, & ad id tanquam ad propoſitum ſcopum illa dirigenda. Ad quod tamen præſtandum diuinâ gratiâ nobis opus

opus est, pro qua impetranda recurramus pro more ad Virginem sacratissimam, cui felix hic vir fuit pijssimè addictus, & per quam singulares gratias, & fauores ab ipso Domino accepit. Aue Maria, &c.

INTRODVCTIO.

MEMORIA IOSIAE, &c. stupendum est strictum illud vinculum vnionis & amoris, colligatio illa & amicitia, quam Deus in omnibus creaturis aliquam similitudinem, conformitatem, ac mutuam aliarum ab alijs dependentiam habentibus posuit; admirandus quoque ille quasi naturalis affectus, quem omnes habent, vt sint simul, nec aliæ ab alijs separentur: Ad cuius rei probationem omittamus creaturas illas, quæ sensu carent; imò & eas, quæ sensu quidem vtuntur, sed sunt irrationales: & loquamur solum de ijs, quæ ratione ducuntur, in quibus id quod diximus, eminenter apparet: nisi deprauata voluntas id impediat. Nam quemadmodum Ratio iuuat ad similitudinem, conformitatem, ac mutuam aliarum ab alijs dependentiam cognoscendam: ita etiam conducit plurimum ad hanc vnionem conseruandam. Hinc affectus ille naturalis adeò vehemens oritur, quo filius cupit esse apud suum parentem, & parens apud filium; frater apud fratrem; amicus apud amicum; & conterranei cum suis conterraneis; fidelis seruus cum suo hero, & subditus cum humano & clemente suo Domino; ac denique quicunque maiorem inter se habent conuenientiam, & aliorum ab alijs subordinationem: & eo vsque

affectus

affectus huius vis peruenit, vt cum tales non possumus apud nos superstites habere; optemus simul nobiscum aut propè nos etiam mortuos habere, quos dileximus, eorumque ossibus quasi adhærere; demusque operam, vt etiam in ipsa morte conueniant, & simul sint in vna Ecclesia, in vna Capella, imo in vno sepulchro; ita vt amor hic, & naturalis affectus videatur, cum ipsa morte contendere, & par illi esse, ita interpretans illud Canticorum: a *fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*; & per verbum *inferni* sepulchrum intelligens. quasi dicat: non est mors potens, nec ipsum sepulchrum ad amorem hunc, & affectum naturalem eorum, qui se in vita dilexerunt, impediendum: nam etiam in ipsa morte, & sepulchro volunt eorum ossa simul conuenire. Quoties nec sine mysterio (ad naturalem hunc affectum cordibus hominum ab ipsa natura innatum ostendendum) repetunt diuinæ scripturæ in libris Regum & Paralipomenon desiderium, quo Reges Iudææ tenebantur, vt in sepulchris Patrum suorum sepelirentur; & ita fieri post mortem illorum consueuisse, dicitur enim: *sepultus est in ciuitate Dauid cum Patribus suis*, &, *sepelierunt eum in sepulchro Patrum suorum*: & in eisdem libris contrà scribitur de aliquibus, quod non fuerint sepulti cum Patribus suis, nec ossa cum ossibus coniuncta, in pœnam & quidem magnam: vt euenit Ioram, & Ioas, & temerario illo Oziæ. Hunc naturalem affectum insinuat sanctus Augustinus, cum ait, matrem suam S. Monicam desiderium ingens habuisse moriendi in Africa, vt posset in sepulchro viri sui sepeliri: quamuis aduertens,

a *Cant.* 8.6.

1. *Paral.* 21. 24. & 26.

Lib. 1. *Confess.* c. 9.

tens, Dei voluntatem esse vt ad ostia Tiberina moreretur, sanctæ eius voluntati libenter acquieuit. Mille possemus huius rei exempla ex omni antiquitate adducere: sed satis sit dicere: adeò affectum hunc in hominibus vixisse, vt Cicero in eleganti illa Oratione, quam habuit pro Sexto Roscio Amerino, vt miseriam eius extolleret, in quam aduersarij eum coniecerant, non habuerit efficaciorem rationem, quam vt diceret: *cui de tanto patrimonio, ne iter quidem ad sepulchrum Patrum relictum est:* Vt scilicet illud videret: quasi dixerit: adeò cupiunt homines sepulchra Patrum suorum propè se habere, & posse ad illa ire, & sæpius inuisere, vt non potuerit magis exaggerari miseria, in quam Roscium eius hostes coniecerant, quàm dicendo, quod accessum impediuerint ad sepulchrum illud. In ipsis etiam sacris literis duo huius rei habemus exempla singularia: alterum est sanctæ illius mulieris Ruth, quæ cum amorem & affectum erga Socrum suam Noemi etiamsi alienigenam in naturalem iam conuertisset, cupiens nec viuam nec mortuam ab illa separari ei dixit: b *quocunque perrexeris pergam; & vbi morata fueris, & ego pariter morabor: quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ.* Alterum est magni illius Patriarchæ Iacob, (vt proprius iam ad nostrum propositum accedamus) qui, cùm iam esset propè mortem & in terra aliena, cupiens ossa sua cum suorum parentum ossibus coniungi, mandauit valde serio filijs suis, vt corpus suum transferrent in terram Chanaam, vbi Pater eius Isaac, & Auus Abraham sepulti erant: c *Sepelite,* inquit,

b *Ruth* 1.16.

c *Genes.* 49. 29.

quit, *me cum Patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hetæi.* In qua re duæ fuerunt circumstantiæ, quæ satis ostenderunt naturalem
Genes.50.5. hunc affectum, de quo agimus. Prima fuit ipsum desiderium & præceptum patris; secunda, cura & amor boni eius filij Ioseph, qui præcipuè negotium illud in se receperat; & non solum tanquam filius obediens, & cupiens exequi mandatum Patris, corpus eius curauit in terram Chanaam deferri; sed etiam affectu ipso naturali, de quo loquimur, ductus: nam cupiens & ipse in patria sua
Gen.50.24. sepeliri (quod in suo testamẽto cõstituit, & post-
Exod.13.19. ea Moyses impleuit) noluit ossa sua separari ab ossibus sui parentis. Quare statim corpus eius ad Auorum suorum sepulchrum detulit, vt omnia ibi simul essent. Et licet ipsius Ioseph ossa postea reposuerint in parte illa terræ promissionis, quæ
Iosu.34.32. vocabatur Sichem, (ob reuerentiam fortè sepulchri trium illorum sanctorum Patriarcharum) non tamen illud reposuerunt procul ab illo, vt affectum illum ac desiderium naturale, de quo agimus explerent.

TOTVS hic discursus est effigies quædam valde ad rem eius causæ, quæ nos hodierna die ad hanc Ecclesiam conuocauit, vt ossa Patris Balthassaris Aluarij, loculo illo inclusa, videremus; quæ ex Prouincia Toletana ad Castellanam allata sunt, & in hoc Villa-gartiensi Collegio collocata, est enim hoc opus ortum ex affectu illo & amore, quo filij tenentur simul manendi cum suis parentibus, tam in vita quàm post mortem; & imitatio quædam valde ad viuum eius, quod fecit Ioseph cum corpore Patris sui Iacob: quamuis

uis enim ibi adfuerit parentis morientis mandatum, hic autem non: adfuit tamen amor & cura fidelis ac beneuoli filij, qui ad imitationem Ioseph id fuerit exsequutus. Nec dubito, magno sosolatio dilecto huic Patri nostro futurum fuisse, vt in hac Prouincia vltimum suum diem obiret; suaque ossa simul essent cum ossibus Patrum, ac fratrum, totque filiorum suorum: sed existimauit fortè, etiam in Prouincia Toletana se inter eosdem vitam suam finire: non solùm, quòd Societatem ingressus fuerit in præcipua eius parte, Vniuersitate scilicet complutensi; & per aliquot annos ibidem vixerit; & quod tempore mortis suæ esset totius Prouinciæ Præpositus, & Pater: sed, quod etiam simul sciret singularem charitatis, & vnionis spiritum, quo Deus vult coniunctos & colligatos esse omnes, quicunque sunt in Societate, cuiuscunque nationis sint, & in quacunque mundi parte conueniant; & in viginti tribus prouincijs, quas hodie habet Societas, distributas fere in omnes terræ regiones, omnes qui in ea sunt habere cor vnum, & animam vnam: propter has, inquam, rationes, crediderim, illum nec dixisse, nec petijsse, vt ossa sua in hanc Prouinciam deferrentur: sed quamuis hæc non adfuerint, non tamen defuit amor ac desiderium Ioseph filij dilecti, huius, inquam, Prouinciæ, & nominatim huius Collegij, filij ipsius valde dilecti, quod cupidum habendi apud se dilecti sui patris ossa, ea petijt, & obtinuit per piam suam matrem, Donam, ac Fundatricem D. Magdalenam Vlloiam, & nunc simul sunt, vt videtis in illo oculo: vt inter plurima & insignia opera ac beneficia, (ob

quæ tota Societas, & peculiariter hęc Prouincia, & in ea maxime hoc Collegium eidem sumus obstricti, vt eius memoria in cordibus nostris perennetur) non sit hoc minimum; sed valde singulare: quòd curauerit fœlicissima ista ossa huc adferri, vt Collegium hoc tanti voti ac desiderij sui compos euaserit. Cuius desiderij causa non tantùm fuit naturalis ille affectus, etiamsi adeò ille sit vehemens, qualem diximus esse vnionis, aliarum rerum cum alijs, præcipuè quam filij cum parentibus habere desiderant; sed alia quoque excelsior ratio de cælo allata: vt hac ratione, recentiorem conseruantes memoriam talis Patris, imitemur rara virtutum eius exempla. Magna quidem fuit memoria, quam tota hæc Prouincia, & maximè hoc Collegium habuit semper de benedicto hoc Patre suo; & magnum solatium, quoties eius absentis recordabatur. Hoc testata sunt corda, linguæ, & colloquia omnium, qui illum nouerunt; hoc muri eius Ecclesiæ, ipsius tempore erecti cùm Rector esset, & Tyronum Magister; hoc cubicula & pergulæ, siue transitus huius Collegij, in quo suauissimus sanctitatis eius odor remansit; hoc huius Oppidi plateæ, per quas transiuit aliquoties, & vestigium virtutum suarum reliquit. Sed ab hodierno die in posterum solatium hoc erit magis commune omnibus eius filijs, huic Collegio, ipsi Oppido, totique Prouinciæ: siquidem illum præsentem iam habent, eiusque ossibus fruuntur, quæ tanquam fragrantissimi balsami vasa suauissimum odorem exhalant, eiusque memoriam cum tam propè sint, efficaciùs renouant. Quamobrem magni huius serui Dei memores iure opti-

III 246

re optimo dicere licebit: *memoria Iosiæ*, &c.

PVNCTVM I.

VT autem hoc distinctius & in particulari magis declaretur obseruandum est: tribus modis excitari posse in nobis rei alicuius memoriam: aut sola imaginatione interna ab alijs internis speciebus, quas in se habet, excitata: quæ ad talis rei memoriam eam deducunt, eiusque speciem & figuram repræsentant; aut sermone & colloquio de eadem re, cuius memoriam ipsum colloquium sensim reddit viuaciorem; aut denique tertiò ex auditu eorum, quæ alij loquuntur, & agunt de eadem re: tunc enim auditus tantum sufficit, vt interiùs rei memoria excitetur. Nunc igitur dico, omnibus his tribus modis dicere nobis prædicta verba, etiamsi metaphorica, qualis esset memoria, quæ in populo hebræo de pio illo Rege Iosia haberetur: ac proinde eisdem significari, quam de bono P. Balthassare Aluario habere debeamus.

AD explicandum primum, hoc est, quâ ratione memoria debeat internè ab imaginatione excitari, vsus est Sapiens aptissima metaphora, cùm dixit: *memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij*, &c. quasi diceret, eum in modum, quo excellens ac compositionum & fragrantium mixturarum conficiendarum peritissimus quispiam res varias miscet, muscum, balsamum, succinum, storacem, & similia, ex quibus globum componit fragrantissimi odoris: ita memoria sancti huius Regis esse debet, sicut ipsa imaginatio, quæ in se conseruat species alicuius

Dei ſerui, eiusque virtutum, quæ imaginatio, quaſi prima Magiſtra in huiuſmodi mixturis, & ſpecierum compoſitionibus conficiendis, coniungeret ſpecies aromaticas omnium virtutum ipſius Ioſiæ, & globum componeret ſuauiſſimi odoris ex eis omnibus, quibus odoratui ſuo valde indulgeret eoque frueretur vnuſquiſque filiorum eius populi, de eiſdem cogitans & memor eius, qui illis erat exornatus. Hoc igitur imaginatio noſtra impoſterum faciet diligentiſſimè, vt bene infixas habeat aromaticas excellentium virtutum ſpecies magni huius Dei ſerui; easque coniungens, compoſitionem conficiat, ſiue mixturam & globum vt ſuaui ſuo odore ſemper memoriam ipſam excitent. Iuſſit Deus Moyſen ponere in tabernaculo inter alias res altare ex incorruptibili cedri ligno, laminis aureis cooperto, quod appellabat altare thymiamatis: quia in eo offerebatur mixtura & compoſitio rerum *ſuaue fragrantium*, quod ita ex verbo græco θυμᾶν deducitur, quod ſignificat ſuffire, ſiue afflare odorem, cum accendebatur: in illo enim altari accendebatur compoſitio illa rerum ſuaueolentium, & aſcendebat ad Deum quia ſuauiſſimus ille odor ingrediebatur Sancta-Sanctorum. Et Ioſephus ait mixturam & compoſitionem illam fieri ſolitam ex tredecim rerum odoriferarum ſpeciebus, ex varijs mundi partibus allatis. Ita igitur in altari memoriæ noſtræ faciat phantaſia noſtra mixturam & compoſitionem virtutum omnium, quæ in hoc Dei ſeruo eluxerunt, in diuerſis locis, in quibus fuit: quas oſtendit in Prouincia Caſtilliæ, in qua fuit Rector Metinenſis, Salma-

Exod. 30.

Lib. 6. de bello Iudaico cap. 6.

Salmaticensis, & Villa-gartiensis; & Vice-Prouincialis; quas ostendit in Italia & Romæ missus Procurator huius Prouinciæ; quas ostendit in Aragonia, cum esset eius Prouinciæ Visitator; ac denique quas Toleti, cum illic esset Prouincialis. Et vt omnia cohæreant, coniungat etiam in particulari, faciatque compositionem tredecim illarum virtutum, quæ præ alijs omnibus in eo splenduerunt.

ET *inprimis* charitatem & amorem Dei ac proximi, quem habuit vehementer inflammatum: nam in amore Dei videbatur quodammodo consumi, & exhalari: adeò enim erat in actibus amoris eius occupatus, vt semper & continuè accensam haberet fornacem amoris Dei in pectore suo: nam in quacunque occasione, & quocunque tempore quis ad eum accederet, emittebat ex se huiusmodi amorem Dei: amor proximi in eo tantus erat, vt nullus non inueniret in eo viscera amoris plenissima in omni tempore & in omni occasione. quam nam curam ægrotantium? quod nam solatium desolatorum ac tentatorum? aliquando etiam ægrotus ex lecto surrexit, periculo exponens vitam suam; vt rogatus accederet ad alium ægrotum consolandum, consiliumque præbendum: item veniente quodam fratre tentato & afflicto media nocte ad ipsius cubiculum, surrexit Pater & iussit sibi assidere & consolatum, quietum, & pacatum ad proprium cubiculum dimisit.

CONIVNGAT & *secundam* speciem aromaticam profundissimam scilicet eius humilitatem: qui cùm magni fieret ab omnibus, qui illum no-

uerant & cum illo agebant, magnis & paruis tanta eius erat humilitas, vt coram patribus senioribus & suis superioribus esset quasi aliquis infans, quanta humilitate audiebat loquentes de aliquo argumento spirituali, etiam proprios discipulos? & cum quanta ipse quædam interrogabat in materia literaria, quasi ipse non studuisset? denique nullum in eo iudicium propriæ æstimationis apparebat; sed magnæ gratitudinis ob accepta de manu Domini beneficia: quare cum in Sacro licebat orationem aliquam dicere *ad libitum Sacerdotis*, ipse ordinariè illam dicebat, quam Ecclesia assignat pro gratiarum actione: *Deus cuius misericordiæ non est numerus*, &c. Sic enim ostendebat, se in ea oratione magnum inuenire solatium.

TERTIA species aromatica fuit rara eius Obedientia, cuius plurima possemus exempla referre, sed illud sufficiat, quòd, vt absque replica superiori suo obediret, non dubitauit honorem & nomen suum conculcare, agendo cum grauissimis quibusdam personis. maluit enim per omnes difficultates irrumpere, quàm suæ Obedientiæ deesse: cùm tamen esset quædam grauis, aut etiam maxima omnium mortificationum, quas in sua vita obijsset.

QVARTA fuit celsissima eius oratio, in qua Deo donante adeò est progressus, vt integra concione, imò pluribus opus esset, ad agendum de ea. Sufficiat nunc, quod ipse ex Obedientia scripsit cuidam suo superiori, iubenti, mitti sibi breuem summam viæ & rationis, quâ Deus ipsum deduxisset, ac etiam tunc duceret in oratione. Inter alia

alia autem, quæ in ea ſumma refert, ait: quòd tranſactis ſexdecim annis, poſtquam eſſet Societatem ingreſſus, inueniſſet cor ſuum extempore mutatum; & mutationem fuiſſe talem, quæ poſtea perdurauerit tota vita: Ex quo orta eſt interior illa Dei D. N. præſentia adeò continua ac beneuola; feneſtra illa cæleſtis aperta; ad quam ille ſtatim atque vigilaret ſe collocabat, in qua hærebat, nullis diei occupationibus aſpectum illum impedire valentibus. Quoties non ſolùm cum in ſuo cubiculo, aut receſſu eſſet; ſed etiam in medijs plateis & populi tumultu vocabatur ipſe interne; & corporis oculis clauſis, aperiebat animæ; eratque in altiſſima contemplatione? Quoties inter ambulãdum adeò erat in Oratione abſorptus, vt etiam tranſiens per pagos & oppida, id non aduerteret, ſicut ſanctus Bernardus diu ambulans propè quendam lacum? Denique per excellentiam fuit vir orationis, in qua ingens à Deo donum accepit.

QVINTA fuit continua interior & exterior paſſionum ac ſenſuum ſuorum mortificatio. Statim in eius actionibus aduertebatur, quàm ſibi præſens eſſet, & quale illud fuerit interius martyrium propriarum voluntatum, quod Deus ſolus videbat! Exteriora ſtuporem omnibus adferebant: nam ordinariè ſemel tantùm cibum in die ſumebat, parum veſperi, aut nihil: & cibus ipſe nihil habebat ſingulare, ſed planè ordinarius, & totius communitatis: cui conatus eſt ſeruus hic Dei ſemper eminenter ſe accommodare, nec aliquid ſingulare habere. Somnus erat modicus, & non continuatus; diſciplinæ prolixæ, & adeò ve-

hementes, vt quasi tremere faceret latus illud domesticum, in quo illas faciebat; & quidem in toto corpore, vt vehementiùs doleret. Denique vt vir erat orationis, ita fuit mortificationis: sunt enim hæ duæ virtutes singulariter quasi duæ inseparabiles sorores: & ita continuè in ore habebat; quòd religio esset schola mortificationis; & quòd veniremus ad eam, vt scientiam disceremus faciendi crucifixos.

SEXTA fuit eius puritas & castitas, quæ tanta erat, vt ex solo eius aspectu; compositione oculorum; vultûs modestia, & motibus eius viderentur excitari huius virtutis desideria. Fuit in ea valde excellens: & aliquando accidit ei, vt tota omnino nocte nihil dormiret, positus in oratione, vt attentus esset, beneque præparatus ob quandam vehementem valde tentationem, quæ in hoc genere occurrit.

SEPTIMA fuit extrema eius paupertas. Quàm pauca curiosa in eius cubiculo sunt inuenta? quàm pauca in vestibus? mundus quidem, & benè compositus: sed pauper. Rarissimè vestem aliquam nouam induit; sed ordinariè, qua priùs alij vsi fuissent. Si quod Breuiarium, aut Diurnale pulchrum & elegans ipsi dabatur: statim alteri illud tradebat, præferens in omnibus quod vilius & abiectius esset.

OCTAVA fuit insignis eius patientia, & tolerantia: ærumnas & pressuras magnas habuit exteriores & interiores, easque plurimas in vitæ suæ decursu: in quibus omnibus vultus eius fuit semper Serenus, absque querelis & murmurationibus: loco insignis beneficij & gratiæ valde singula-

III 246

gularis accipiens, quòd innocens aliquid pateretur. Ordinariè debili vtebatur valetudine, nec tamen aut querebatur, aut cupedias petebat; sed ita dissimulabat, atque si integrâ vteretur. Præcipuè verò dum ægrotabat hanc virtutem singulariter ostendebat: eratque res stupenda, videre illum amarissima pharmaca sumentem, quorum nec guttam in poculo relinquebat, & vltimas guttas diu exspectabat, vt nulla in eo remaneret. Dicebat ipse valde se prodere perfectionem in ferendis patienter aliorum ingenijs & moribus, & ipse valde studebat in hoc eminere.

NONA fuit magna animi fortitudo ad egregia pro gloria & seruitio Dei facinora aggredienda. Constituit ordinem in Probationibus huius Prouinciæ cum tanta disciplinæ obseruatione, vt omnes mirarentur, quod homo in specie externa non seuerus, nec præ se ferens morositatem, auderet possetque adeò intra limites continere in probatione ac tyrocinio Metinensi homines iam formatos, Collegiales Salmaticenses, Professores, Doctores, & viros valde illustres, in magnis delitijs in sæculo educatos; ita vt omnes in eius conspectu tremerent, tacerent, subiecti essent; adeoque prompti & parati, vt, cùm maximè illos premeret, non scirent aliud quid facerent, quàm vt ipsum venerarentur. Accidit semel, vt secularis quidam esset in Collegio Metinensi tanquam hospes, & nescio quomodo gladium in suum cubiculum intulerat, qui incidens in quoddam delirium, surrexit media nocte, & ex cubiculo exiens nudo gladio parietes hinc inde percuceret; & ingressus ipsius P. Balthassaris cubiculum,

lum, cœpit etiam à dextris & à sinistris temerè percutere: Pater hoc aduertens, clamauit, vt quiesceret: statim enim intellexit quid haberet. Surrexit ergo, & furiosus homo ad vocem eius cessauit: Pater illum per brachium accepit, fecitque sibi in scamno assidere, & paucis rationibus dictis, eum dimisit quietum & pacatum ad suum cubiculum.

DECIMA fuit insignis in Deum ac diuinam eius Prouidentiam fiducia cum qua valde eos consolabatur, quibuscum agebat; eosque ad calamitatum tolerantiam animabat. Satis notus est casus ille, qui redeunti ex Prouincia Aragoniæ vno die itineris ante ciuitatem Burgensem ei accidit, cum nocte quædam ipse & socij eius in magnis versarentur periculis ob occurrentem multitudinem aquarum; nec scientes, quam viam tutò tenerent: repente enim venit ad ipsos iuuenis quidam in albo equo, & rectà duxit Burgos vsque: scitur etiam Patrem ferè toto illo itinere cum illo iuuene seorsim collocutum, donec peruenerunt ad nostræ domûs Burgensis portam, vnde iuuenis ille omnino disparuit, vt nunquam sciuerint quis esset. Admiranda fuit huius Patris in eo casu fiducia, omnes enim suos comites ad benè sperandum animabat, donec euenit quod diximus: & iudicatum fuit, iuuenem illum fuisse Angelum aliquem à Deo missum, vt illos duceret; aut sanctum illum fratrem Ioannem Ximenum qui paulò ante obierat.

VNDECIMA fuit indefessa eius perseuerantia in omnibus actionibus virtutum. quanta illa fuit eius constantia, cùm per sexdecim annos (quem-

(quemadmodum ipse in relatione sua dixit, quam ex obedientia fecit) dicat, se semper laborasse, quasi terram arantem, nec fructum colligentem. & eodem tempore maiorem adferebat stuporem eius perseuerantia in Oratione, disciplinis, ieiunijs, vigilijs, & in omni genere mortificationis. Viginti quinque annis fuit in Societate, nec tamen occupationes, officia, aut profectiones impedimento illi fuerunt, quo minus in cœptis virtutum operibus progrederetur; sed pergeret pertinaciter; & ita constanter, vt admirationem adferret. Quamuis ad profectionem aliquam necesse esset, summo mane etiam hora prima post mediam noctem, se accingere, ita ipse tempus præueniebat, vt integram suam ordinariam orationis horam semper præmitteret; & propterea solatium hoc ex profectionibus accipiebat, quòd in eis tota die posset Orationi vacare.

DVODECIMA fuit insignis adeò renunciatio, & quasi auulsio cordis sui ab omnibus creaturis, etiamsi cum omni hominum genere versaretur, magniqúe ab omnibus fieret. Dicebat ipse, ea ratione cupere se cum proximis agere, eos iuuare, & ad Deum deducere; vt id non impediret internam suam recollectionem; nec magis cordi suo adhærerent, quàm si in Africæ aut AEgypti desertis habitaret: ideoque singulares omnes amicitias horrebat.

DENIQVE accedat decimatertia species aromatica, singularis scilicet Prudentia, & magisterium à Deo sibi datum, ad agendum cum animabus tam religiosis, siue Societatis, siue aliarum religionum; quàm sæcularibus cuiusuis generis & status,

ſtatûs. Fuit hoc Dei donum in P. Balthaſſare adeò excellens, vt etiam viri antiqui, graues, valdeque religioſi huius Prouinciæ optarent in eodem cum ipſo Collegio habitare: & ita, qui poterant recurrebant ad ipſum, tanquam diſcipuli, vt à tali magiſtro inſtruerentur. Res erat magna admiratione digna, quomodo ipſe iuxta perſonarum, temporum, & euentuum qualitatem, & varietatem, rigorem coniungeret cum clementia; ſeueritatem cum affabilitate; grauitatem cum lætitia; & oportunè annuere noſſet, ac renuere. Fuit denique Magiſtrorum Magiſter, qui ſingulariter excitauit in hac Prouincia, & ſtimulauit noſtros homines ad familiaritatem cum Deo in Oratione habendam; & in praxim deduxit recollectionem noſtrorum ad antiqua Societatis Exercitia per octo ſaltem, aut quindecim dies, ſingulis annis peragenda.

HAE ſunt tredecim ſuaue-olentes virtutum ſpecies, quæ ſingulariter in admirando hoc viro ſplendebant: quas phantaſia noſtra coniungere debet, vt compoſitionem & thymiama ſuaue frangrans conficiat; illudque deſiderio accendat, has virtutes imitandi: vt ſic Deo illud offerat, petatque ſibi concedi: quare non ſiſtat in ſenſitiua memoria, ſed tranſeat ad intelligentem, incorruptibilem facultatem immortalis animæ noſtræ, in qua tanquam in altari ſe collocet, aureisque laminis tegat. Hoc eſt vt anima ipſa in gratia ſit, & amore Dei, vt hæc oblatio ei placeat non ſolum, quod compoſitio ex huiuſmodi virtutibus ſit confecta; ſed etiam quòd in tali altari offerantur. Hunc igitur in modum excitanda eſt, & con-

conseruanda primùm magni huius Dei serui memoria.

PVNCTVM II.

DEBET secundò hæc memoria excitari à lingua & verbis, quibus de eo, quem memoria retinere volumus, sermonem habemus: *In omni*, inquit, *ore quasi mel dulcabitur eius memoria*: quasi dixerit: quemadmodum mel sapit, estque gustatui non deprauato dulcissimum: ita colloqui de viro iusto, eiusque virtutibus reddere debet eius memoriam dulcissimam. & re ipsa experientia hoc docuit, postquam seruus hic Dei mortuus est. nam omnibus, qui illum nouerunt, & cum eo egerunt, cùm sermo de illo incidit, memoriam adeò dulcem, suauem, & vtilem in eis renouauit: vt efficacia excitauerit desideria magis seriò seruiendi Deo, eique placendi; & euadendi in viros orationis & mortificationis; ac procurandi, vt Deus adoretur, agnoscatur, eique seruiatur: quemadmodum ipse Pater, cum eisdem agens, efficere conabatur: idque adeò seriò, vt quamuis de illo tanquam iam defuncto colloquium non potuerit non adferre colloquentibus sensum ac doloremmagnum: memoria tamen eius affectum prædictum dulcem & vtilem effecit, & in posterum adhuc efficiet amplius. Cùm Dauid loqueretur de Ionatha, magno amico suo: verbis & rationibus, quas adferebat, memoriam suam excitabat: quem cùm mortuum intellexit, magnum ei sensum, desolationem, & lacrymas adferebat, dicebatque: d *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amo-*

d 2. Reg. 1. 26.

amorem mulierum: sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam. simul verò eadem memoria dilecti amici sui, dulcedinem & suauitatem ipsi adferebat, recordanti insignium eius virtutum, & optanti eas imitari; & ita dicebat: *sagitta Ionathæ nunquam redijt retrorsum,* &c. Et quod ad rem nostram spectat, meritò memoria nostra efficiet, vt ita de bono P. Balthassare Aluario sentiamus: cui etiam ipsum Ionathæ nomen, eiusque gesta aptè conueniunt. Nomen quidem: quia Ionathas hebraicè nobis significat Dei datum, Dei donum. Quia verè fuit vir iste donum Dei, & à Deo datum in remedium, instructionem, & solatium multorum; à Deo datum in magnum huius Prouinciæ bonum. eiusdem quoque Ionathę egregia facinora ei conueniunt; si enim meministis, Ionathas fuit ille, qui Philistæorum agmini imperterritum ostendens vultum, & volens eos ex confinibus terræ illius Dei repellere, cùm reliqui exercitus Israel sine vlla cura requiescerent, exijt ipse cum solo suo armigero, e *& manibus ac pedibus reptans ascendit* ad hostes suos per prærupta, petrarum, & ita eos inuasit vt omnes disturbaret: ita igitur magnus hic Dei seruus quoties in campum exijt, vt cum dæmonibus pugnaret, vt quos sibi commissos à Deo habebat defenderet, ne hostes illis nocerent? quot difficultatibus & laboribus in hac causa se se exposuit: cùm illi, quorum curam ipse gerebat, sine cura & solicitudine requiescerent, hoc faciebat, cùm multò post alios cubitum se conferret; citiùs verò quàm illi surgeret, vt Orationem suam haberet, se ipsum verberaret, & hac ratio-

1 Reg 4. 13.

ratione pro illis pugnaret. Media ipsa nocte sæpius surgebat, vt hos iniret conflictus, cùm alij profundo somno tenerentur: ne, quid ipse faceret, aduerteretur: licèt tales eius erant ictus, vt etiam dormientes excitaret, sicut ictus Ionathæ, & pugna, quam fuit aggressus, excitauit proprium exercitum dormitantem & requiescentem. Aptè igitur ei competunt facta ipsa Ionathę, ac propterea etiam ad rem nostram pertinet; vt dolentes, quòd viuentem Patrem nostrum amiserimus: dicamus cum Dauide: *doleo super te, frater mi Ionatha*: sed simul solatium nobis & iucunditatem adferat memoria eius virtutum, excitetque eas imitandi desiderium, dicentibus: *sagitta Ionathæ nunquam redijt retrorsum*, quam enim sagittam P. Balthassar est iaculatus, quæ retrorsum rediret? sagittę erant eius verba, & quidem sagittę acutę, quæ corda traijciebant. Interrogate omnes, qui cum illo agebant, & præcipuè Illustres Dominos & magnates, in quibus talis effectus ob eorum grauitatem, & reuerentiam, qua cum illis est agendum, erat difficilior? est autem res mira quòd si vel semel cum illis Pater loqueretur, sentiebant se mutatos, & coram paupere Religioso pendebant ab ore eius tanquam infantes. Quid quæso erat exhortationes eius & conferentias spirituales audire? immittebant sanè ignem; & acutarum sagittarum instar videbantur ad intima cordis penetrare. Accidit ei aliquando, vt ingressus ad cuiusdam monasterij religiosos, breui tempore cum illis agens, ita omnes permutaret, vt seriò desiderarent Deo se totos dedere, Exercitia facere, & ipsum per duodecim dies apud se reti-

nere, vt ea illis traderet. Et hac ratione tantam opinionem & æstimationem virtutis suæ ac donorum à Deo acceptorum apud omnes, qui illum nouerant omnis generis personas, obtinuerat: vt stuporem adferret. Prælati eum venerabantur: & inter eos præclarus ille & excellens vir D. Franciscus Blancus apud S. Iacobum Archiepiscopus, qui quam de P. Balthassare opinionem & æstimationem haberet, & verbis & operibus ostendit: & nunc etiam superstites sunt. D. Christophorus Vela Archiepiscopus Burgensis, D. Teutonius Bergantius Archiepiscopus Eborensis, D. Santius Abulensis, Episcopus Cartagenæ: qui omnes sensum & opinionem suam de P. Balthassare manifestè aperuerunt. Magnates & personæ illustres eundem Patrem reuerebantur, dixisset hoc apertè Illustrissima illa Domina Christianarum Dominarum exemplar, Ducissa de Trias mater Comestabilis Castilliæ, adhuc hodie superstitis, quæ tanta reuerentia P. Balthassarem Aluarium prosequebatur, vt in suis ad eum literis hanc poneret superscriptionem: Domino meo & Patri Magistro P. Balthassari Aluario Patri meo. Idem dixisset Dux Gandiæ, paulò ante defunctus, qui ad exhortationes & conferentias P. Balthassaris tanquam Nouitius aliquis accedebat; diceret etiam hoc D. Magdalena Vlloia, siquidem veneratio, quam erga hunc Dei seruum semper habuit, adeo viua in ipsa hactenus permansit, vt propterea in animum induxerit, curare eius ossa ad hoc suum collegium deferri. Idem etiam diceret aliquis, qui propè est ipsi Regiæ Maiestati, & multi alij, quos longum esset referre. Personæ raræ virtutis &

tis & sanctitatis, quæ eiusdem Patris tempore in Hispania floruerunt, hanc etiam de P. Balthassare opinionem & existimationem habuerunt. Admirandus ille vir in Betica P. Magister Auila, licèt P. Balthassarem nunquam vidisset, quod tamen per literas mutuas se noscerent, optimè de eo eiusque virtute sentiebat. Sancta illa mater Maria Diatia Abulensis, quæ rarò cum exaggeratione loquebatur; cum de donis cęlestibus P. Balthassari à Deo communicatis, deque excellenti eius virtute sermonem faciebat, non poterat absque magna exaggeratione de eis loqui. Et illustris illa adeoque iure optimo celebris mulier, quam Deus tanquam instrumentum adhibuit ad duplicem recollectionem virorum scilicet & mulierum instituendam, sancta, inquam, Mater Theressa de Iesu cum tanta exaggeratione loquebatur de P Balthassare Aluario, vt audientibus stuporem adferret. Cuidam suæ Religiosæ, ipsam interroganti Salmanticæ, an existimaret ipsi expedire, agere cum P. Balthassare, tunc ibi existente; respondit illa: magni beneficij loco à Deo accipere deberes, quòd tibi liceret cum eo agere: est enim is, cui anima mea plurimum in hac vita debet, & qui me maximè adiuuit ad perfectionem. Viuit adhuc Salmanticæ Mater Anna de Iesu, quæ Monasterij illius fuit Priorissa, quæ testatur, se à Matre Theressa de Iesu audiuisse, quòd existimaret, P. Balthassarem Aluarium esse in altiori gradu, quàm tunc esset vllus homo in terra, &c.

PATRES Generales Societatis, qui eum nouerũt boni sunt testes æstimationis ac venerationis, qua illum prosequebantur. Pater noster Frãciscus

Borgius rari ipsius talenti ac Magisterij conscius, cupiebat eum Romæ manere, vt illius Tyrocinij ductor esset ac Magister: sed, ne hanc Castellanam Prouinciam contristaret, illum ei restituit: sed constituit tamen, vt per sex menses maneret in Tyrocinio Metinensi, & sex alios in Villa-garciensi: vt vtrunque rectè institueret. Pater noster Euerhardus constituens illum Toletanæ Prouinciæ Præpositum dixit P. Alphonso Montoio, illius Prouinciæ Procuratori hęc verba: optimum, quod pro vestra Prouincia habeo do, cùm P. Balthassarem Aluarium vobis assigno. Longum denique esset referre, quanti omnes illum facerent, quòd si huius rei causam quæras, illa præcipuè fuit, Magisterium illud à Deo ipsi communicatum, ob verborum vim & efficacitatem: cum enim ipse adeò excelsè, quæ dicebat, in se ipso sentiret: quadam quasi violentia quodcunque dicebat, auditorum cordibus infigebatur. Bene igitur illi competunt nomen & gesta Ionathæ; & quod noster de illo sermo dulcem in nobis renouet memoriam. Nec minus illi competit Illustris illius Ducis Abner memoria, principis Exercituum Israel, quam ipsemet Rex Dauid alijs verbis tum doloris teneris, tum prædulcibus, ac iucundis excitabat ac renouabat. Tenera verba ac dolorem adferentia erant, quòd conuersus ad plebem diceret: f *Scindite vestimenta vestra; & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. An ignoratis quoniam Princeps & maximus cecidit hodie in Israel?* &c. quæ verba verè erant excitantia memoriam quandam tristem ac dolentem, quam de morte Abner Rex tunc haberet, sed

f 2. Reg 3. 31.38.

ſed neque oblitus eſt aliorum, quæ ſolatium ac iucunditatem adferunt: quare memor fortitudinis ac robuſti eius pectoris accedens ad eius tumulum dixit: *nequaquam vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner: manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati*, &c. Hanc igitur memoriam dico non minus aptè, quàm præcedentem piè noſtro defuncto competere. Primùm, quòd ei aptè conueniat nomen *Abner*, quod hebraicè ſignificat *Patris lucernam*, magni inquam illius cæli Domini. Fuit enim P. Balthaſſar Aluarez verè lucerna, quam in Religionis Societatis Ieſu candelabro poſitam voluit Deus prælucere, in magnum plurimorum bonum, &c. benè illi conuenit, quòd magna fuerit, & nunc ſit cauſa, iacturam hanc & mortem eius deflendi, eò quòd in eo amiſerimus præcipuum noſtræ Religionis virum: non ſolùm, quòd talis fuerit in munijs, ac officijs quæ geſſit; eſſetque in eo, quod re ipſa gerebat Præpoſiti ſcilicet Prouincialis, in quo vitam ſuam finiuit; ſed nominatim ob excellentiam in virtute & Religione, quam ei Deus dederat: quare aptè ei competit, vt & tunc diceretur, & nunc de eodem dicatur: quoniam *Princeps & maximus cecidit in Iſrael*. Sed nec minus eidem competit id ſolatij, quod in alijs verbis ad noſtram memoriam continetur: *nequaquam, vt mori ſolent ignaui*, &c. nam reuera ita eſt, quod P. Balthaſſar Aluarius nec vixit, nec mortuus eſt, tanquam ignauus aliquis. Non vixit quidem vt talis, ſi enim verum eſt, quod dixit Euripides: *nullus ignauus in celebrem virum euaſit*; & Salluſtius: *ignauia nemo immortalis factus eſt*, &c. Qui fuit

Euripides.
Salluſt in bello Iugurt.

vir adeò celebris in vita ſua; qui immortalem adeo ſui memoriam poſteris reliquit: quomodo dicemus, ignauum eum fuiſſe? imò adeò ab ignauia fuit alienus, vt eius verba ad eā eliminandā, & ab omnibus qui ea laborarent, & qui in via Dei non progrederentur deteſtandam, tendere viderentur. Ex hoc enim verba illa ſæpius ab ipſo repetita profluxerunt; *ne quis ab excelſis filiorum Dei cogitationibus degeneret.* quæ, cùm vnus ex eius Tyronibus in ſenſu, quo ducebantur, accepiſſet, cordique ſuo infixiſſet: & poſtea in Braſiliam nauigaret, eſſetque vnus ex quadraginta noſtræ Societatis Martyribus, qui in mari ab hæreticis Martyrium ſunt paſſi: hiſce boni ſui Patris ac Magiſtri verbis, quæ in corde ſuo perpetuò infixa gerebat, reliquos comites exhortabatur ad Martyrium alacriter obeundum, dicens: *ne degeneremus ab excelſis cogitationibus filiorum Dei.* Non igitur ignauus fuit P. Balthaſar, ſed potius ignauiam, grauiter increpauit: quemadmodum ſtrenuus Dux Ioſue, qui cum ſeptem Tribus non acceſſiſſent ad accipiendam poſſeſſionem terræ, quæ illis obtingebat, dixit eis: g *vſque quo marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus Patrum veſtrorum* dedit vobis? quoties P. Balthaſar in ſuis Exhortationibus, & Conferentijs mentionem hac de re, & præmio quod ſperamus faciebat; de terra, inquam, illa viuorum; de robuſto pectore, & animo forti, quo difficultates omnes ſint peruincendæ: vt aditus ad eam pateat? quantam vim in verbis illis Saluatoris: h *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud!* &c. nec vixit, nec mortuus eſt quaſi ignauus aliquis; mor-

g Ioſue 18. 5.

h Matth. 11. 12.

mortuus est, dum in suo Officio laboraret, consumptus & exhaustus, eò quòd semper vigilans fuerit tanquam strenuus Societatis miles, cum hasta in manu, bombarda in humeris, clypeo in brachio, lorica indutus, & galea ad caput imposita. Hoc dico: quòd cùm illud Officium adeò laboriosum fuerit superimpositum corpori adeò debilitato, sanitati imbecilli, ob longas vigilias, ieiunia, verberationes, cilicia, & continuam interiorem & exteriorem passionum, ac sensuum mortificationem, quę omnia in Officio adeò graui & laborioso ita continuabat, vt nihil remitteret: quare intra paucos menses fuit expeditus: nequaquam vt mori solent ignaui. O verba solatij plena! ô quàm dulcem talis Patris memoriam renouant!

PVNCTVM III.

TERTIO hęc talis Patris memoria excitanda in nobis est ex ijs, quæ ab alijs de eo dici audiemus, sicut ipse Sapiens dixit, hoc tertio modo renouandum esse in populo hebræo memoriam Iosiæ Regis: id enim verba illa vltima insinuant: *& vt musica in conuiuio vini*: quæ est etiam pulcherrima Metaphora, quasi diceret: quemadmodum in splendido aliquo conuiuio, etiamsi intentum valde sit palatum comedentium ad ciborum saporem: eosdem tamen excitat trahitque ad se dulcissima ac suauissima Musica: ita vt simul cibus sit palato sapidus & gratus; auribus verò musica dulcis ac iucunda: ita Sapiens volebat, vt Iosiæ memoria populum illum ad eundem cogitandum adduceret, vt sermonem de eo audire, illi esset, quasi suauissimam audiret musicam, dum

in conuiuio aliquo hilari & iucundo versaretur. Hæc igitur est tertia memoriæ ratio, quæ hactenus fuit, & in posterum erit de Patre Balthassare Aluario in medijs colloquijs spiritualibus, quæ instar sapidissimorum ciborum animas valde recreant, quæ illis vesci solent: cùm ad agendum de Deo, de virtutibus, de Oratione, de Mortificatione, & alijs conueniunt. quanto maiori voluptate afficitur aliqua ex illis animabus, quæ P. Balthassarem nouerunt, dum de illis agunt, si in medio colloquio occurrat occasio, mentionem illius sancti faciendi, dicentes: quomodo ille Pater hoc faciebat? quomodo hoc docebat? quomodo loquebatur? mirum certè est, quanto afficiantur solatio; & afficientur in posterum ex huiusmodi memoria, quasi iucundissimam aliquam musicam in medio splendidissimo conuiuio audirent. Peruenerat Dux ille Holofernes Bethuliam, eo animo, vt totam terram Israel sibi subijceret: sed totus populus Dei, dediderunt se Orationi; ad quam mutuò se exhortabantur, & ad pœnitentiam agendam: erantque illis hi sermones in ea pressura magno solatio; & eos tanquam iucundum conuiuium, quo se inuicem inuitabant, accipiebant. in quibus dum versarentur, Sacerdos Heliachim cupiens maius adhuc illis solatium, & animum addere, circumiuit totam terram Israel exhortans eos, vt in eo, quod cœperant, constanter perseuerarent: quibus eius verbis magnum solatium acceperunt, magnaque cum voluptate eum audiebant; ipse verò, vt solatium illud adhuc magis augeret, adiecit dicens: i *Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute*

i Iudith. 4. 13.

tute sua & exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in Equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit, &c. Fuerunt illis hæc verba instar iucundissimæ Musicæ in conuiuio vini suauissimi exhortationis Sacerdotis Eliachim: talis itaque nobis fuit, & futura in posterum est boni P. Balthassaris memoria. Propterea enim eius ossa huc sunt allata, & manebunt in hoc Collegio: vt meritò dicere ei possimus, quod quidam Iob amicus ei dicebat: k *cum te consumptũ putaueris, orieris vt lucifer*. O corpus, quamuis videaris consumptum; ô ossa, etsi videamini mihi esse confracta: viuetis tamen in nostra memoria; & splendebitis tanquam lucifer mane oriens, ex consideratione exemplaris vestræ vitæ in omnibus filijs vestris huius Prouinciæ, & in omnibus eorum successoribus. Illic videbamini esse occulculta; & quasi iam dissoluta: sed vult Deus, vt hodie hîc tanquam recens lucifer compareatis. Hoc modo viuere debent hæc ossa in nostra memoria; sic lucere debent, donec vltimus ille & gloriosus perueniat dies, in quo & viuant & splendeant altiori alio modo in se ipsis; nunc lucet anima, & vt existimare licet, viuit in cælo in magna gloria. Cuius rei habuit reuelationem testis illa valde fide digna, quam paulò ante insinuaui, Sancta Mater Theressa de Iesu, quæ asseuerauit, adhuc viuente ipso P. Balthassare, & aliquot ante eius mortem annis, ostendisse sibi Deum gloriam, quam ipsi in cælo præparasset, valde excelsam. Omitto alias, tempore mortis magni huius serui Domini (quæ non defuerunt) factas; quæ simul cum ijs, quæ aliunde nouimus, & in hac concione

k Iob. 11.17.

insinuauimus de exemplari eius vita, quæ meritò faciunt nos id, quod iam dixi, existimare de gloria, qua eius anima fruitur in cælo. Sed eius ossa nunc viuunt & splendent in memoria nostra, quæ in loculo illo mortua, & corporis oculis non lucentia manent: sed dies veniet, qua & ipsa viuent, & magno splendore lucebunt. quanta ea lux erit, quam hæc ossa diffundent cùm gloriâ induta resurgent gloriosa? an non de omnibus, qui se tanquam bonos ministros Domini animarum conuersioni dediderunt, dictum est: l *qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates?* Quid ergo de eo cogitabimus, qui tantâ curâ & solicitudine, cum stupendo adeò & copioso fructu id præstitit: nisi quòd in illa die apparebit tanquam stella, & pulcherrimus lucifer? fruamur nos eo interim, possidentes eius ossa; viuat, luceatque in nostra memoria, vt qui non habemus eum in loculo illo viuentem: gaudeamus saltem, quòd in eo quidem mortuum; sed in memoria nostra viuentem habeamus. Sentiebat gloriosus sanctus Bernardus mortem Fratris sui Gerardi & cõuersus ad Deum dicebat: *Gerardum tu dedisti, Gerardum tu abstulisti: & si dolemus ablatum, non tamen obliuiscemur, quòd datus fuit; & gratias agimus, quòd habere illum meruimus.* Ita igitur nos dicamus: benedictus sit Deus, quòd excellentem adeo virum viuentem habuerimus; sed & mortuum restituerit: m *moriatur anima mea morte Iustorum: fiant nouissima mea huius similia.* n *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accin-*

l *Dan. 12. 3.*

Serm. 26. in Cant.

m *Num. 23. 10.*

n *Habac. 3. 16.*

ctum

ctum nostrum, &c. vbi sanctum hunc virum videbimus, qui suas passiones, suos sensus, suasque voluntates adeo accinctas habebat. Hæc interim nostra memoria repetat: vt quod eius recordemur, sit nobis suauissimorum odorum globus, fauus mellis gustatui nostro dulcissimus, musica auribus nostris gratissima, qua vocem illam, dignam quæ de cælo veniret, audiamus: o *Beati mortui, qui in Domino moriuntur:* Beati enim sunt in suis animabus; & beati in suis corporibus; beati in sepulchris; beati in suis ossibus; beati in vita; felices in morte; felices dum vixerunt in terra; & felicissimi dum æternis gloriæ præmijs fruuntur in cælo. Quam gloriam mihi & vobis Deus, &c. o *Apoc.* 14. 13.

* * *

Laus Deo Beatæque Virgini Matri.

INDEX

INDEX CAPITVM
HVIVS LIBRI.

CAP. I. ORtus & Educatio P. Balthassaris: & eius in Societatem Iesu Ingressus, Tyrocinium, & studia literaria pag. 1

CAP. II. Ingens eius ab ipso Tyrocinio propensio ad Orationem & familiaritatem cum Deo: ac diligentia ab eo adhibita, ad eam perfectè consequendam 12. §. 1. 15. §. 2. 21

CAP. III. Meditationes suas à mysterijs Humanitatis Christi cœpit: singulari ad eam deuotione semper affectus: & fructus inde perceptus 26. §. 1. 27. §. 2. 33

CAP. IV. Ab ipso Tyrocinio suiipsius mortificationem in rebus omnibus magno studio exercuit; totoque vitæ cursu cum multis pœnitentiæ operibus est prosecutus 38. §. 1. 40. §. 2. 45

CAP. V. Emisit tria Vota; Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ: quæ perfectè semper custodiuit 51. §. 1. Eius Castitas 53. § 2 Paupertas 56. §. 3. Obedientia 59

CAP. VI. Sacerdos factus, piè Diuinum Officium orat, & quotidie Sacrum Missæ celebrat 67. §. 1. 68. §. 2. 74

CAP. VII. Incipit exercere ministeria erga proximos: habetque auxilia & monita à Deo Domino nostro, vt simul in propria perfectione crescat 78. §. 1. 79 § 2. 82

CAP. VIII. Prudentia, ac dexteritas eius in iuuandis animabus; & quibus medijs vniuersim ad id vtebatur 88

CAP. IX. Magnum fructum facit Abulæ in multis personis insignis virtutis 95

CAP. X. Abulæ iuuit Mariam Diatiam in heroicis eius virtutibus; & fuit mutua quædam & vtilissima inter eos conferentia circa quinque patiendi fontes 104
§ 1 106. § 2. 111

CAP. XI. Matrem Theressam de Iesu idem Pater plurimum iuuit: & illa habuit reuelationem de prædestinatione P. Balthass. 116 § 1. 117 § 2. 122

CAP. XII. Mittitur Metinam de Campo, & Anno 1567. Professionem edit quatuor Votorum, quam seruauit 127

CAP.

III 246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAP. XIII. *Quomodo hoc ipso anno largitus ei sit Deus Orationis & Contemplationis donum* 133. § 1. *Relatio, quam de modo suæ orationis ad P. Generalem Societatis misit* 135. § 2. 142

CAP. XIV. *Amplius prædictus orationis modus, eiusdemque causæ declarantur* 148. § 1. 149. § 2. 154 § 3. 159

CAP. XV. *Diuinitus modum hunc orationis adijt, & insignia dona accepit ad sui perfectionem, & proximorum auxilium* 163. § 1. 166. § 2. 173

CAP. XVI. *Orationis suæ efficacitate Metinæ, & alibi multa fecit in proximos admiratione digna* 176 § 1. 175. § 2. 183. § 3. 187

CAP. XVII. *Suis exhortationibus magnum fecit fructum in multis sæcularibus, ac Religiosis personis* 189

CAP. XVIII. *Charitas eius explicatur, itemque labores & pericula, quibus in gratiam animarum se exposuit* 200. § 1. 202. § 2. 206

CAP. XIX. *Probationis ordinem Metinæ constituit eiusdem talenta ad Nouitios instruendos, eorumque sub ipso feruor* 211

CAP. XX. *Aliqui valde insignes Metinæ Tyrones. Et recensentur quædam notatu dignissima fratrum Francisci Godoij, & Antonij Padillij* 222. § 1. *Frater Franciscus Godoius* 224. § 2. *Pater Franciscus Padillius* 228

CAP. XXI. *Qua ratione se ad exhortationes præpararet, pro Tyronum informatione* 237. § 1. 239. § 2. 242

CAP. XXII. *Plura eius ad eandem argumenta* 247. § 1. 248. § 2. 253

CAP. XXIII. *Præclarè gessit Rectoris munus Metinæ, & in alijs Collegijs; & insignes eius ad gubernandum dotes* 256. § 1. 259. § 2. 263

CAP. XIV. *Eius zelus & solicitudo in promouendis studijs humanioribus, & pia institutione tradenda* 269. § 1. 270. § 11. 277

CAP. XXV. *Profectio eius Romana cum Dei fiducia Angelorumque custodia* 279

CAP. XXVI. *Visitat domum Lauretanam; & fert secum*

Exem-

Exemplar Imaginis à S. Luca depictæ; magnaque eius erga Virginem SS aliosque deuotio 290

CAP. XXVII. *Manet ipse loco Prouincialis Romam cum duobus alijs Patribus proficiscentis: qui capti fuerunt ab Hæreticis, pro quorum redemptione multum ille laborauit* 299

Literæ P. Ioannis Suarij ad Patrem Balthassarem Aluarium 301

Literæ P. Ægidij Gonzalij ad Patrem Balthassarem Aluarium 308. §. 1. 313

CAP. XXVIII. *Graues morbos hoc tempore patitur, in quibus insignem patientiam & perfectionem ostendit* 315

CAP. XXIX. *Fit Rector Collegij Salmanticensis, datque operam vt literæ cum spiritu coniungantur; magnumque in Fratribus nostris studiosis feruorem excitat* 324. §. 1. 326. §. 2. 331

CAP. XXX. *Notabilia exempla duorum Fratrum studiosorum valde feruentium, Ioannis Ortunij & Francisci Cordubensis* 337

Frater Ioannes Ortunius 338

Frater Franciscus Cordubensis 345

CAP. XXXI. *Valde attendebat ad Professorum perfectionem: & insignis virtus P. Francisci Riberæ, qui tunc sacras literas profitebatur* 356

CAP. XXXII. *Magnum fructum facit in multis illius Vniuersitatis viris, & alijs præcipuis sæcularibus* 364

CAP. XXXIII. *Monita eius circa colloquia de rebus Spiritualibus contra deprauatas phrases Illuminatorum, qui tunc temporis surrexerunt* 373

Tractatus de modo loquendi de rebus Spiritualibus 375 §. 1. *de oratione ibid.* §. 2. *de sensis Spiritualibus* 381. §. 3. *de Mortificatione Ecclesiastica & vera* 383. §. 4. *de Obedientia* 387. §. 5. *de Confessione & Communione* 388 §. 6 *de Matrimonio, Castitate, ac Religionibus* 391

CAP. XXXIV. *Quo zelo literis suis absentes iuuerit, aliquot exemplis docetur* 393. §. 1 395. §. 2. 399 §. 3. 406

CAP.

CAP. XXXV. *Factus est Rector Collegij Villa-gartiensis, vbi plurimum iuuit D. Magdalenam Vlloiam eius Fundatricem ad grandia illa, quæ in Dei obsequium fecit* 409. §.1. 417

CAP. XXXVI. *P. Balthassar literis suis eandem Dominam iuuat, quam Deus ad insignem perfectionem euexit* 424. § 1 425. §.2. 430

CAP. XXXVII. *Fructus quem P. Balthassar in quibusdam præcipuis personis fecit, quarum vni duas præclaras dedit meditationes de Prouidentia diuina* 437
§ 1. 440. §.2 444

CAP. XXXVIII. *Hoc tempore profectus est Burgos, ac duabus personis suis cognatis modum quendam vitæ valdè ordinatum tradidit* 448

CAP. XXXIX. *Profunda eius Humilitas in Officijs honoratis, & prosperis euentibus: & insignes sensus circa eandem virtutem* 454. §.1. 455. §.2 462. §.3. 464

CAP. XL. *Oritur magna tempestas ob eius Orationem, in qua humiliter tulit contemptus* 467 § 1. 468. §.2. 474

CAP. XLI. *Occasiones huius tempestatis, & responsio ad difficultates contra Orationem quietis & silentij propositas, & vtriusque exitus* 478. §.1. 461. §.2. 490

CAP. XLII. *Efficacissimum esse modum Orandi per Meditationes, Affectus, & Colloquia cum Deo* 494

CAP. XLIII. *Homines Societatis eum orandi modum sequi debent, qui in nostris traditur exercitijs; eorum excellentia, atque ad ea exhortatio* 503. §.1. 504.
§.2. *Exhortatio P. Ioannis Suarij ad modum Orationis in exercitijs nostris præscriptum* 509

CAP. XLIV. *Constituitur P. Balthassar Visitator prouinciæ Aragoniæ, vbi magnam nostri Fratris Ioannis Ximeni virtutem cognouit, eiusque relationem confecit* 517

Literæ P. Balthassaris Visitatoris ad Patres & Fratres Collegij Societatis Iesu Cæsar-Augustæ 523

CAP. XLV. *Quædam alia Ioannis Ximeni memoranda circa P. Balthass.* 530. §.1. 532. §.2. 537

CAP.

CAP. XLVI. *Nominatur Prouincialis Peruanus, & reuertenti Villa-gartiam prodigium quoddam accidit* 543

CAP. XLVII. *Quid fecerit Villa gartiæ cum ijs qui studijs absolutis tertiam probationem agebant: & quædam alia notatu digna* 551

CAP. XLVIII. *Nominatur Prouinciæ Toletanæ Præpositus Prouincialis, ad quam se singulari modo præparat, variaque sensa experitur* 561

CAP. XLIX. *Ad perfectionis culmen in Dei amore per gradus suos peruenit; insinuanturque interna aliqua eius sensa circa hunc amorem* 568

CAP. L. *Perfectam obtinet resignationem, & cum diuina voluntate conformitatem in rebus prosperis & aduersis: & quædam eius de eisdem sensa* 578

CAP. LI. *Graues aliquæ sententiæ ex literis eius ad ægrotos & afflictos, quibus illos consolabatur, excerptæ* 586. §. 1. 587. §. 2. 591

CAP. LII. *Proficiscitur Toletum, vbi Prouincialis Officium auspicatur, & quarto mense vltimum diem obijt Belmontij* 596

CAP. LIII. *Aliquæ reuelationes de felici eius morte & gloria: & auxilia spiritualia ab ipso etiam post mortem præstita* 604

CAP. LIV. *Translatio ossium eius ad Collegium Villagartiense* 616

Concio habita in translatione Ossium Patris Balthassaris Aluarez pijssimæ memoriæ ad Ecclesiam Societatis Iesu Villa-gartiensem 621

SALVTATIO. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij: In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Eccli. 49. 1. &c. ibid. 625

INTRODVCTIO. 629

PVNCTVM I. 637

PVNCTVM II. 647

PVNCTVM III.

FINIS.

Soc.tis Jesu Paderb.

HIII 246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AIII
246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HII
246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HIII
246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FIII
246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FIII
246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

III
246

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2462

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN